12



DE CAELESTI CONVERSATIONE

Per internam Orationem, & Exercitia spiritus

LIBRI VIII.

AVTHORE
THOMA MASSVTIO
Societatis IESV
Theologo.

ROMAE
Sumptibus Hæredis Bartholomæi Zannetti.
MDCXXII
Superiorum permissu

B. P. IGNATIO
SOCIETATIS IESV
INSTITVTORI.

QVAMVIS habeam ſatis mihi perſuaſum, omnem conſilij mei rationem, in hoc qualicumq. à me ſuſcepto labore, tibi, etiam me tacente, eſſe manifeſtam; qui in ſpeculo diuinæ eſſentiæ lucidiſsimo, totius religioſæ familiæ tuæ ſtatum, atque progreſſum clarè intueris, tanquam ad aliquam gloriam tuam pertinentem: tamen, vt etiam alijs eadem intentio mea conſtaret, ac propoſitum voluntatis in ſignum grati erga te animi mei conteſtarer, tibi iure optimo dicandus fuit hic labor. Agitur de modo, & ratione dignè cum Deo, & Beatis in cælo regnantibus conuerſandi per internam orationem, & exercitia ſpiritus: cuinam conuenientius, quàm Dei domeſtico, & aulico cæleſti, à quo iuuari cupimus, & ſperamus in hac parte, noſtra hæc Tractatio fuerat inſcribenda? Agitur de illa ipſa ratione, & modo, quem obſeruandum in hac materia nobis ipſe præ-

ſcripſiſti, & literis conſignatum reliquiſti: cui niſi tibi, acceptum, fuerat referendum? Agitur denique à me, qui non tam vt quemquam docerem, quàm vt ipſe addiſcerem, & iure mandantibus obtemperarem, hæc primum cœpi mecum reuoluere, expendere, & conferre tua de hac arte ſapientiſsima documenta, cum ijs, quæ alij de eàdem materia ſcripſerunt, præſertim Eccleſiæ Patres antiquiores. Si quid igitur in hoc genere aſſecutus ſum, à te potiſsimum Magiſtro diſcipulus debui agnoſcere: ſi quid minus potui, tibi perficiendum debui offerre. Poteris ex cathedra altiori, Deo dante, quamuis magiſterio in abdito noſtri cordis occultiori: ſcies fonti ſuperni luminis vicinior: voles igne charitatis ardentior, niſi noſtra officiat indignitas, hanc nobis impetrare dignè cum Deo, & Cælitibus conuerſandi cæleſtem prudentiam, aſsiſtricem, vt appellat Salomon, Dei ſedibus ſapientiam, & ſcientiam Sanctorum. Hanc optamus, hanc te monente olim in terris, & quà verbis, quà exemplis hortante, atque docente nos modo ſectamur; vtinam tuo quoque patrocinio è cælo te opitulante adipiſcamur.

INDEX

MVTIVS VITELLESCVS SOCIETATIS IESV.

Præpositus Generalis.

CVm De cælesti conuersatione per internam orationem, & exercitia spiritus, libros octo P. Thomæ Massutij, Societatis nostræ Theologi, aliquot eiusdem Societatis Theologi, quibus id commissum fuit, recognouerint; ac in lucem edi posse probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandentur, si ita Reuerendiss. D. Vicesgerenti, & Reuerendiss. Patri Magistro sacri Palatij videbitur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 14. Iunij 1621.

Mutius Vitellescus.

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. M. Sacri Palatij Apostolici.

P. Episcopus de Curte Vicesg.

Ego Antonius Sanctarellus Societatis Iesu accepi à Reuerendissimo Patre Magistro sacri Palatij Apostolici Fratre Hyacintho Petronio recognoscendos de Cælesti Conuersatione per internam orationem, & exercitia Spiritus, libros octo, admodum Reuerendi Patris Thomæ Massutij Societatis Iesu Theologi; in quibus nihil reperi, quod Fidei, aut bonis moribus aduersetur. Quinimo omnibus Christi fidelibus eos perutiles fore testor. Romæ. In domo Professa Societatis Iesu 28. Iunij 1621.

Antonius Sanctarellus manu propria.

Imprimatur.

Fr. Ignatius Ciantes Rom. Lector, & Soc. Reuerendiss. P. Fr. Hyacinthi Petronij Rom. sacri Palatij Apostolici Magistri, Ord. Prædicatorum.

INDEX CAPITVM.

LIBER PRIMVS.

De animi præparatione ad orationem internam.

LIBER SECVNDVS.

De proximis dispositionibus, & præludijs ad orationem, siue ad meditationem.

Quo-

LIBER TERTIVS.

De ipsa Meditatione, & varijs eius formis.

CAPITVM.

LIBER QVARTVS.

De varijs auxilijs diuinæ gratiæ pro perficiendo intellectu, & voluntate ad bene meditandum.

LIBER QVINTVS.

De affectibus incipientium eliciendis in via Purgatiua.

LI-

DE CAELESTI CONVERSATIONE, PER INTERNAM ORATIONEM ET EXERCITIA SPIRITVS.

Liber Primus.

DE ANIMI PRAEPARATIONE Ad Orationem internam.

CAPVT PRIMVM.

Quam sit vtile agere cum Deo per orationem internam.

1 *NOSTRA conuersatio in cælis est, vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum Nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Adhuc mortali corpore in terra, nondum vtique in cælis versabatur Apostolus, dum hæc scriberet ad Philippenses; quin etiam vinculis, & catena ferrea sub Nerone Tyranno detinebatur: & tamen in cælis quodammodo se esse, & cum Beatis conuersari, sicut experiebatur, ita verissime affirmabat. Ibi enim collocatam habebat omnem spem suam: eò feruentissimis affectibus, & assidua cordis meditatione toto spiritu ferebatur: *Non contemplantibus nobis* (dicebat ipse de se suisq. similibus) *quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt.* Quare contemplandi exercitium, quod exercitium spiritus, & Meditatio- Ad Philip. 3. 20. 2. Cor. 4. 18.

nem, & Orationem internam hic appellamus, describens Sanctus Augustinus: *Quid*, inquit, *est aliud nisi ascensio animæ de terrestribus ad cælestia, inquisitio supernorum inuisibilium desideriorum*? & breuius Sanctus Ioan. Damasc. *Oratio*, inquit, *est ascensus spiritus ad Deum. Per quem ascensum*, ait Sanctus Ioan. Chrysost. *Angelis copulamur, & societatem, quam cum brutis animantibus habemus, effugere videmur*. De huius itaque præstantissimi exercitij nostri spiritus multiplici bono, aliquid antea dicturi, quam ad eius naturam, & vsum explicandum, propius accedamus, ab vtilitate ordiemur. Hæc quanta in hoc studio inueniatur, facile intelligetur, si obseruauerimus quid proprie vtile dicatur. Est enim vtile quædam boni species propria mediorum, quæ quatenus ad finem conducibilia sunt, ijsque ad illum assequendum vtimur, vtilia denominantur. Vnde sapientes dixerunt, frui proprie ad finem, vti vero ad media pertinere. Et sane quod attinet ad vltimum nostrum finem, norunt in schola spiritus etiam qui vocantur Abecedarij non in alio esse quærendum, quam in eo, qui dixit in Apocalypsi: *Ego sum Alpha, & Omega, principium, & finis*. Ab hoc fine sicut nos abducunt vitia, & peccata; ita ex opposito ad eundem reuocant, & adducunt honestæ actiones, atque virtutes: maxime vero tres illæ, Fides, Spes, Charitas, propterea Theologales appellatæ, quòd Deum directe respiciant, & propius attingant. Tum aliæ quatuor, Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Temperantia; propterea dictæ Cardinales, quòd quemadmodum in quatuor cardinibus duobus superioribus, & duobus inferioribus geminæ ædium valuæ conuertuntur: ita in his quatuor virtutibus duabus in superiori animæ parte, nempe Prudentia in intellectu, Iustitia in voluntate, duabus in inferiori, videlicet Fortitudine in Irascibili, Temperantia in concupiscibili constitutis, anima secundum vtranque sui partem facile a vitijs auertitur, & ad honesta conuertitur, clauditur prauitati, & probitati aperitur. Iam vero, vt ad id quod maxime intendimus veniamus, omnes hæ septem virtutes adeo mentali oratione adiuuantur, vt sine aliquo illius exercitio fere inutiles, vel quasi sopitæ esse videantur; quod hic de singulis breuiter ostendetur.

S. Aug. Serm. 230. de temp

S. Dam. lib. 1. fid. Orth. c. 14

S. Chrisost. lib. 1. de Orando Deum.

Orationis internæ vtilitas maxima.

Apocal. 1. 8.

Oratio interna excitatorium omniũ virtutum.

Quomodo Oratio sit vtilis ad fidem augendam.

2 In primis itaque Fides mentali oratione, atque contemplatione rerum diuinarum maxime excitatur, augetur, atque perficitur: Excitatur, inquam, fides, quia nihil est aliud orando mentaliter diuina contemplari, quam Sacra mysteria nostræ fidei animo Dei gratia illustrato, & adiuto, reuoluere, approbare,

bare, admirari, variasq inde conclusiones tum speculatiuas, tum practicas vtiliter deducere, quæ vel ipsæ quodammodo actus quidam fidei sunt, vel a varijs fidei actibus pia mente præconceptis deducuntur. Vnde aliud sequitur quod dicebamus, fidei habitum in dies magis huiusmodi exercitationibus internis accrescere. Siquidem habitus per suos actus non solum naturales, verum etiam supernaturales, quamuis diuerso modo augeri consueuerunt. Atque hac tandem ratione fides suam obtinet plenitudinem, & perfectionem: parum enim refert habitu, atque etiam actu fidei nostræ articulos, & fundamenta tenere, sacros libros euoluere; addo etiam interpretari, & commentari, nisi præterea nouerit Dei seruus ex illis diuinis oraculis inter meditandum varia ad profectum suum spiritualem ratiocinando deriuare; quod vanis hominibus non contingere deplorat in suis confessionibus Sanctus Augustinus, sibi vero postea ad Christi fidem conuerso, bene Dei gratia ait successisse, dum in otio sancto Dauidicos Psalmos meditaretur. *Nam quas,* inquit, *tibi Deus meus voces dedi, cum legerem Psalmos Dauid, cantica fidelia, & sonos pietatis, excludentes turgidum spiritum: filij hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? & ego tamdiu nesciens vanitatem dilexi, & mendacium quæsiui: & ideo audiui, & contremui, quoniam talibus dicitur, qualem me fuisse reminiscebar.* Atque hac fide Sancti *operati sunt Iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis,* & varia mirabilia præstiterunt, fuse ab Apostolo in Epistola ad Hebræos per integrum caput enumerata; fide nimirum ad orationem excitante, & ab ipsa oratione vicissim excitata.

S. Aug. lib. 9. Confess. c. 4.

Ad Hebr. 11. 33.

3 Spem vero, quæ altera Theologalis est virtus, agendo cum Deo, per mentalem orationem excitari ad suos actus, augeri & perfici, eadem qua de fide diximus ratione possumus ostendere. Quid enim est aliud oratio qua parte constat, petitionibus, postulationibus, obsecrationibus, sicut eam bona ex parte constare oportere, præscribit Apostolus, nisi perpetua quædam variorum actuum, spei, ac fiduciæ in Dei auxilio, misericordia, & liberalitate excitatio? Nemo enim serio postulat, quod se non sperat aliquando obtenturum. Hinc aliud sequitur, quod secundo loco dicebamus, habitum huius virtutis exercitio suorum actuum inter meditandum augeri beneficio frequentis & iteratæ orationis. Propterea cum nos in Euangelio Saluator sic admonuisset: *Ego dico vobis; petite, & dabitur vobis; quærite, &*

Quomodo oratio faciat ad virtutem spei.

1. ad Tim. 2. 1.

Luc. 11. 9.

inuenietis; *pulsate*, *& aperietur vobis*; ad spem firmandam adiunxit; *omnis enim qui petit accipit*, *& qui quærit inuenit*, *& pulsanti aperietur*. Tum infra: *si ergo*, inquit, *vos cum sitis mali nostis bona data dare filijs vestris*, *quanto magis Pater de cælo dabit spiritum bonum petentibus se?* Nec est quod maiora argumenta conquiramus ad ostendendum id, quod tertio loco posuimus; Oratione ac Meditatione perfici hanc virtutem: perfecta enim virtus spei tunc erit, cum creuerit eius habitus, & frequentes producendo actus, is a quo speratur propensissimus ad dandum inuenitur; idq. magis quotidie orando, & meditando

Psal.9.11. cognoscitur; vnde dicebat Dauid; *Sperent in te qui nouerunt nomen tuum*, *quoniam non derelinquis quærentes te Domine*. Quæritur autem postulando, & pia cordis desideria inter orandum illi aperiendo, iuxta eundem prophetam sic adhortantem:

Psal.61.9. *Sperate in eo omnis congregatio populi*, *effundite coram illo corda vestra*: *Deus adiutor noster in æternum*.

Quomodo oratio conferat ad amorē Dei, & perfectam charitatem.

4 Addebamus charitatem quoque virtutum omnium maximam solere multum excitari, ac perfici agendo frequenter interna oratione cum Deo. Quod adeo verum est, vt plures, qui de Mystica Theologia scripserunt, omnino opinentur perfectam contemplationem in actibus charitatis, & amoris Diuini propriè sitam esse: Quod vtrum ita sit, suo loco postea erit examinandum. Interim illud pro certo habeatur, fieri non posse, vt Deum feruentibus actibus amoris prosequatur is, qui non sæpe de illo meditatur. Nec etiam fieri posse, vt qui mare immensum infinitarum eius perfectionum attente, & assidue contemplatur, non ferueat in eius dilectione. Si enim bonum (vt

Arist.l.1.eth. c.1. Philosophi docent) vnicuique est amabile, & hæc est vis, atque natura ipsius, vt ab omnibus se contemplantibus eliciat dilectionem, quomodo non rapiet in amorem sui bonum illud increatum, & interminatum? cui comparata quæcumque alia creata, & ab ipso participata bona, etiam quæ intellectu sunt prædita, & donis omnibus tum naturæ, tum gratiæ cumulata, siue homo sit sanctissimus, & perfectissimus, siue Angelus subli-

Iob.25.5. missimus, vix bona merentur appellari. Vnde dicebat Iob: *Ecce luna etiam non splendet*, *& stellæ non sunt mundæ in conspectu eius*: *quanto magis homo?* Et Saluator ipse in Euangelio cuidam adolescenti, qui tantummodo creatas, & humanas perfectiones in ipso homine Deo agnoscebat, & venerabatur, nec

Matt.19.17. pertingebat ad diuinas: *Quid me*, inquit, *interrogas de bono*, *&*

Luc.18.19. *quid nam dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus*. Atque hæc

est

eſt ratio cur Beati in cælis nunquam ceſſent ab actu feruentiſſimæ dilectionis Dei, nec ceſſare vel in minimo remiſſionis gradu poſſint; quia nunquam ab eius perfectiſſima contemplatione, & intuitiua viſione deſiſtunt.

5 Iam vero inter virtutes Cardinales offert ſe nobis primo loco prudentia, quæ nulla meliori acquiritur ratione, conſeruatur, atque perficitur, quàm agendo frequenter interna oratione cum Deo, à quo ſancta deſideria, recta conſilia, & iuſta ſunt opera: ſiquidem (vt ait Salomon) *cogitationes mortalium timidæ & incertæ prouidentiæ noſtræ*. Vnde neceſſe habemus ad eum ſæpe recurrere, qui nec falli poteſt, nec fallere, atque illum imitari, de quo dicitur in Eccleſiaſtico: *Cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conſpectu Altiſſimi deprecabitur, & in oratione confitebitur Domino, & ipſe diriget conſilium eius & diſciplinam, & in abſconditis ſuis conſiliabitur*. Hinc ille Iudaici populi Dux, & Moderator Moyſes ad montem relictis inferius turbis ſe conferebat, vt ſolus cum Deo ageret, & colloqueretur: atque inde addiſceret quæcumque circa populum eſſent prudenter diſponenda. Quantum autem ex illa agendi cum Deo conſuetudine interni luminis, & ſapientiæ conſequeretur, miraculo etiam externo luminoſæ frontis, vultuſq. radiantis primo intuitu ſui omnibus declarabat. Hunc eundem morem exemplo ſuo nos docuerunt ſanctiſſimi Paſtores animarum, & religioſarum familiarum Fundatores, idemq. ſuos vt facerent præſertim in rebus dubijs, & vbi non ſufficit humana prudentia, & prouidentia, monuerunt; imo etiam legibus aliqui eorum ſanciuerunt.

Quomodo oratio mentalis conferat ad Prudentiã.

Sap. 9. 14.

Eccleſ. 39. 6.

6 Nec minus ad Iuſtitiam perficiendam, quæ altera Cardinalis eſt virtus, confert interna cum Deo conuerſatio. Cum enim Iuſtitiæ munus ſit, tribuere vnicuiq. ius ſuum, Ius autem quo maxime obligamur, & ſingulis pene momentis ad perſoluendum vrgemur, eſt ſupremi omnium Domini; *à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia*, ſicut ait Apoſtolus, quomodo tali tantoq. benefactori, & noſtro creditori pro tot debitis à nobis ſatisfiet, niſi cum illo frequenter agamus, & rationes ſæpe ſubducamus, qui non tam noſtra exigit quàm nos, & cor noſtrum, nobiſcum eſſe, & amice conuerſari? Petebant aliquando à Chriſto Domino Iudæi: *Quid tibi videtur? licet cenſum dare Cæſari an non?* quibus ille reſpondit, Imaginem pecuniæ impreſſam reſpicerent, & quandoquidem Imago illa erat Cæſaris redderent quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.

Quomodo oratio Mentalis conferat ad Iuſtitiam.

ad Rom. 11. 36.

Matt. 22. 17.

Nos [illegible] imaginem consideremus [illegible] illius qui dixit, [illegible] castrum. Quod si hoc [illegible], & cordi nostro [illegible] Deo [illegible] & cogitationibus rerum creaturarum [illegible] à suo creatore [illegible] op- [illegible] temporibus restituatur, quomodo nostris [illegible] longe inferioris; atque [illegible] S. Ioan. Chrysost. oratio- [illegible] appellat [illegible] Dei [illegible].

7. De fortitudine vero [illegible] nobis [illegible], quæ habet Apostolus in epistola ad Hebræos. *Deficiet enim* inquit *me tempus enarrantem de Gedeon Barac, Samson, Iephte, David, Samuele, & Prophetis, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerunt ora Leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum.* Quæ quidem omnia, sicut [illegible], & sacræ ipsæ [illegible] Historiæ, non sunt intelligenda nisi de fide oratione ac meditatione perpetrata. Vnde in hanc sententiam disputans Sanctus Ioan. Chrysost. *Dic mihi,* inquit, *quomodo Moyses Israeliticum populum in bello seruauit? [illegible] arma quidem cum exercitu discipulo tradidit, ipse vero deprecationem apposuit Hostium multitudini? [illegible] preces iustorum plus valere quam arma, quam [illegible], quam pecunias, quam multas copias, eoq. [illegible], & immensa militum multitudo, in [illegible] Propheta [illegible] salutis habebat.* Et de Dauide sic scribit: *[illegible] ille David Goliath illum immanem cum veluti [illegible] quispiam formidandus irrueret, non armis neque gladio, sed precibus [illegible] que adeo aduersus hostes regibus ipsis in prelijs [illegible] deprecatio. Quin [illegible] & nobis [illegible] sunt arma aduersus Dæmones.* Hæc S. Ioan. Chrysostomus.

Lib. 2. de orando Deum.

Lib. 1. de orando Deum.

8. Sed de Temperantia, quæ quarta & postrema inter virtutes Cardinales numeratur, existimare aliquis posset; non tantam orationi [illegible] quod ipsa iuuet orationem: cum Apostolus de Virginibus ad Corinthios scribens, eam virtutem, [illegible] præcipua species est Temperantia inde commendet, quia *[illegible] præbet sine impedimento Dominum obsecrandi.* Verum, vt omittam magis inde commendari orationem ex eo

1. Cor. 7. 35.

quod

quod prima, & heroica species temperantiæ Virginitas ei subordinetur, atque subseruiat, quia tamen non dum agimus de præstantia orationis, sed tantum de vtilitate, dico ad omne genus Temperantiæ studium mentalis orationis speciali Ratione esse perutile. In primis de continentia Salomon exemplum protulit in se ipso: *Et vt sciui*, inquit, *quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, adij Dominum, & deprecatus sum illum ex totis præcordijs meis.* Quod de omni genere Temperantiæ dictum posset intelligi, sicut aliq. interpretatur: sed plus adiungimus, non solum hanc virtutem in tota suarum specierum latitudine, & varietate orationis assiduitate à Deo solere obtineri, quod commune est omnibus alijs virtutibus & donis à Deo impetrandis, verum etiam modo quodam particulari dum frequenti oratione aliquis cum Deo familiariter conuersatur, etiam si ipsum virtutem Temperantiæ expresse non postulet, sensim tamen ad eam orandi consuetudine se disponere. Nam quemadmodum is, qui cibis vilioribus est assuetus, si delicatis & valde exquisitis vesci incipiat, illos cogetur paulatim fastidire; ita qui delicias rerum spiritualium experitur, & conuersationem didicit habere cum Deo, terrenas voluptates facile contemnit. Hinc est quod Apostolus opponens se ijs, *quorum Deus venter est, & qui terrena sapiunt; nostra autem*, inquit, *conuersatio in Cælis est.* De Sancto Antonio refert in eius vita Sanctus Athanasius solitum illum miro affici pudore, cum somno vel cibo indulgere cogebatur, & sæpe inter edendum memoria escæ spiritualis substitisse, & à refectione corporis abstinuisse. De Abbate quoque Syluano legimus solitum oculos, sibi manibus obtegere, cum diceret non decere oculos ad hæc infima, & vilia intendere, quando tam sublimia in contemplatione perspexisset. De B. fundatore Societatis nostræ Ignatio similiter habemus, vbi oculos ab aspectu cælorum post aliquam contemplationem demisisset dicere consueuisse; O quam mihi sordet terra cum cælum aspicio. Itaque concludamus hoc de vtilitate caput cum Sancto Chrysost. *Quanta sapientia, quanta virtute, quanta prudentia, quanta bonitate, quanta sobrietate, quanta morum æquitate replet precatio, & obsecratio? vt nequaquam aberrarit à vero, si quis affirmet deprecationem esse causam omnis virtutis atque iustitiæ, neque quicquam eorum, quæ conferunt ad pietatem venire posse in animum, cui non adsit deprecatio, & obsecratio:* sed de necessitate huius exercitij dicendum capite sequenti.

Sap. 8. 21.

ad Phil. 3. 19

Chrysost. lib. 2. de orando Deum.

CAPVT SECVNDVM.

Quam ſit neceſſarium agere cum Deo per internam orationem.

Oratio, vt eius neceſſitas animaduertatur tripliciter conſideranda.

1 VIDIMVS quantæ ſit vtilitatis ſtudium internæ, ac mentalis orationis: nunc magnæ eſſe neceſſitatis oſtendemus. hoc enim aliquid plus eſt, & vlteriori conſideratione dignum. Quare non defuerunt antiqui Pelagiani, quos aliqui huius temporis hæretici imitantur, dicentes orationem eſſe quidem aliquo modo vtilem, non tamen vſque adeo neceſſariam. Quod quam ſit falſum hoc loco erit examinandum, non contentione ſcholaſtica, ſed ratione moderatiori, & ad noſtrum inſtitutum magis accommodata. Nullus autem opinor inuenietur, qui non magis rei neceſſitate, quam vtilitate intellecta moueatur. Orationem itaque ſecundum quod attinet ad rem noſtram, tripliciter conſiderabimus: Primum in genere, ſiue in communi: Deinde in ſpecie, vel in particulari, mentalem videlicet, quam Meditationem appellamus: Tertio, eandem adhuc magis in particulari iuxta formam & rationem vltimo nobis traditam cæleſti quodam inſtinctu ab illuminatiſſimo in hac arte Societatis noſtræ Fundatore Ignatio in libello compendioſe de hac materia a ſe ſcripto.

Oratio in communi quam ſit neceſſaria.
Luc. 18. 1.
Eccleſiaſt. 18. 21.
1 Theſſal. 5. 17.
ad Col. 4. 2.
ad Epheſ. 6. 18.

2 In primis itaque orationem in communi valde nobis eſſe neceſſariam, teſtimonio noſtri Saluatoris in Euangelio comprobatur, vbi dicitur: *Oportet ſemper orare, & non deficere*. Idem quod antea Eccleſiaſticus admonuerat dicens: *Non impediaris orare ſemper*, & poſtea eſt ab Apoſtolo confirmatum ſcribente ad Theſſalonicenſes; *Sine intermiſſione orate*, & ad Coloſſenſes *Orationi inſtate*, denique ad Epheſios: *Per omnem*, inquit, *orationem, & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu, & in ipſo vigilantes in omni inſtantia*. Quod ſi quis opponat non videri pro mortalis huius vitæ conditione ſemper, omni tempore, & ſine intermiſſione orare, & tanta cum inſtantia, vt numquam ab illa continuanda homo impediatur: ideo oportere per hyperbolem, & quandam exaggerationem hæc omnia dicta eſſe intelligere, non propterea manebit veriſimile, nullam his modis loquendi ſignificatam eſſe huius exercitij neceſſitatem. Re

vera

vera enim magna aliqua esse significatur, neque tam ex præcepto Apostolico, vel Christi Domini mandato imposita, quam orta,& exposita ex obligatione legis intra ordinem tum gratiæ, tum naturæ connaturalis. Huius vero legis tam exacta, & perpetua obseruantia quomodo sit intelligenda; Interpretes sacrorum librorum declarabunt. Alij dicent semper, & sine intermissione orandum, idest quolibet die suum aliquod tempus sepositis alijs occupationibus huic exercitio tribuendum. Alij semper instando, quamdiu quod petimus non obtineamus: nequaquam si non statim conceditur desperando, nam propterea in alio eiusdem Euangelij loco videtur Christus Dominus addidisse: Opus aliquando fore piam adhibere in orando importunitatem: *Dico vobis*, inquit, *petite,& dabitur vobis; quærite, & inuenietis, pulsate,& aperietur vobis*. Dicent etiam alij oportere semper,& omni tempore orare, idest omni commoda occasione, nulla opportunitate prætermissa. Nam quemadmodum artifex magna pressus egestate, si velit se suamq. familiam substentare, nullam prætermittat ex suo artificio honesti lucri occasionẽ necesse est, idq. si faciat bene dici poterit semper omni tempore,& sine intermissione de lucris cogitare: ita intentus lucris,& necessitatibus suis spitualibus, si quicquid illi superest temporis ab auxilio,& cura salutis proximorum, à cura quoque moderata tuendæ propriæ valetudinis huic orandi exercitio impenderit, mentemq. a superuacaneis negotijs ad Deum frequenter conuertere assueuerit, dici poterit semper orare,& numquam deficere. Certe non semper vacabat orationi Sanctus Paulus, quippe qui post tot curas, & vt ipse loquitur, instantia quotidiana, & sollicitudinem omnium Ecclesiarum, aliquid etiam temporis quieti tum nocturnæ, tum diurnæ concedere cogebatur. Et tamen ita præscriptum suum de orationis assiduitate obseruabat, vt de se, suisq. similibus diceret: *conuersatio nostra in cælis est*.

Luc. 11. 9.

2. Cor. 11. 28.

3 Neque est admodum difficile huius tantæ necessitatis assignare rationes; tot enim sunt humanæ infirmitates, & indigentiæ, tum spirituales, tum corporales, tum nostræ, tum proximorum, pro quibus diuinum auxilium omnino requiritur, vt si neglecta oratione nunquam, aut raro diuina gratia imploretur, hoc ipsum sit suam, & aliorum salutem plane contemnere, & ad certum quodammodo discrimen adducere. Vnde Sanctus Chrysostomus, *Ipse*, inquit, *contra se ipsum tela ministrat, qui hostem precum instantia non fatigat*. Et tanta est hæc necessitas, vt Sancti Hieronymus, & Augustinus cum Patribus Affricanis

Oratio cur adeo necessaria.

Chrys. ser. de Moyse. to. 1. S. Hierony. in epis. ad Ctesif.

nis ex precum necessitate gratiæ Dei, & diuinorum auxiliorum necessitatem contra Hæreticos Pelagianos sæpe conuincat, & illud aliquoties repetentes; *Necessitatem orationis esse manifestam necessitatis diuinæ gratiæ testificationem:* eademq. ratione possibilitatem obseruandi omnia diuina præcepta explicauit. *Deus enim*, inquit Sanctus Augustinus, *impossibilia non iubet, sed iubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis.* Quam sententiam ad idem propositum etiam Tridentina Synodus asseruit contra Hæreticos blasphemantes impossibile esse omnia diuina præcepta obseruare. Sed eleganter sanctus Ioan. Chrysostomus hanc orandi necessitatem in duobus de oratione libris, varijs similitudinibus explicauit. Comparat enim orationem luci, qua anima nostra à Sole Iustitiæ Christo Domino irradiata, quasi diem accipit, & sine qua esset in tenebris, nec progredi in itinere virtutum, ac iustitiæ valeret. Assimilat etiam aquæ, vnde extracti pisces tandem post multas palpitationes, nisi aquam repetant, moriuntur. Comparat mœnibus ciuitatis: *nam quemadmodum*, inquit, *ciuitas quæ muris cincta non est facile venit in hostium potestatem, propterea quod prorsus absit id quo fuerat hostium incursus arcendus: sic & animam precibus non munitam Diabolus facile in suam redigit ditionem; nec multo negotio omni genere scelerum implet.* Comparat ferreo thoraci: *Etenim*, inquit, *oratio cælestis, & inexpugnabilis est armatura, & tutissimum, nec vnquam fallens munimentum, pari facilitate, vel vnum repellens militem, vel innumerabilia hostium millia.* Eandem neruis assimilat, *nam si quis*, ait, *animæ neruos dicat esse deprecationem, mea quidem sententia videtur verum dicere: nimirum quemadmodum corpus neruis cohæret, currit, stat, viuit, & compactum est, adeo vt si neruos incideris, vniuersam corporis armoniam dissolueris: itidem animæ per sanctas preces sibi constant, & compinguntur, & pietatis cursum facile peragunt.* Denique animæ vitam eam esse affirmat: *Quemadmodum enim*, inquit, *corpus hoc nostrum si non adsit anima, profecto mortuum est, ac fætidum: sic anima nisi seipsam incitet ad orandum, mortua est, ac misera, & grauiter in conspectu Dei olens.* Sed hæc satis de necessitate orationis in genere, nunc in specie de Meditatione videamus.

Oratio Mentalis in particulari quam sit necessaria. Psal. 1.3.

4 Et primum illud occurrit, quod in Psalmo primo Regius Propheta commendat tanquam cuicumque ad beatitudinem contendenti maxime necessarium; *vt in lege Domini sit voluntas eius, & in lege eius meditetur die, ac nocte.* Idque non verbis

tantum,

tantum, ſed re ipſa, & exemplo ſuo Dauid nos docuit; nam de *Pſalm. 118.*
ſe coram Deo profitetur dicens: *Septies in die laudem dixi tibi,* *164. iterum*
& in eodem Pſalmo: *media nocte ſurgebam ad confitendum tibi;* *Pſal. 118. 62. iterum Pſal.*
&, *lex tua meditatio mea eſt:* &, *tota die meditabor iuſtitiam* *118. 77.*
tuam. Quod ſi tantus Rex tot cogitationibus & negocijs grauiſſimis occupatus, tot curis moleſtiſſimis fere ſemper oppreſſus, inueniebat tempus ſæpius interdiu, noctuq. cum Deo agendi, & quæ Dei ſunt otio ſeparato meditandi; quid eos facere oportebit, qui mundum, & curas ſæculares propterea reliquerunt, vt quietius ſpiritualibus exercitijs vacarent? & ſi ad viam diuinorum mandatorum inoffenſo pede currendam Dauid affirmat in lege Domini meditandum die, ac nocte: quanto magis id erit faciendum illis, qui per ſemitas conſiliorum, viam perfectionis aggreſſi ſunt? Erit tamen fortaſſe qui obijciat hoc loco illud a pluribus vſurpatum, & ab ipſo Chriſto Domino Sanctæ Catharinæ Senenſi aliquando affirmatum: *non ceſſat ora-* *S.Cathar. dia-*
re qui non ceſſat bene agere. Præterea hoc ipſum quod eſt me- *log. cap. 66.*
ditari, non ad mentem tantum referri, verum etiam ad operationem, & locutionem videtur quoque Dauid ſignificaſſe cum dixit: *Os iuſti meditabitur ſapientiam:* & in alio Pſalmo: *lin-* *Pſal. 36. 32.*
gua mea meditabitur iuſtitiam tuam, tota die laudem tuam. Sed *Pſal. 34. 32.*
illud nihilominus haberi pro certo a nobis debet, ſicut bene loqui, & bene operari, non eſt proprie meditari, vel mentali de qua nunc agimus orationi vacare: ita bene ſemper loqui, & bene ſemper operari ſine frequenti meditatione, & interna oratione non contingere; vt propterea dixerit ſanctus Auguſtinus; *S. Auguſt. in*
Qui recte nouit orare, recte nouit & viuere: & ſanctus Chryſo- *Pſal. 118.*
ſtomus, *Cum videro quempiam non amantem orandi ſtudium,* *S.Chryſ. lib. 1.*
nec huius rei feruida vehementiq. cura teneri; continuo mihi pa- *de orãdo D. ũ.*
lam eſt, eum nihil egregiæ dotis in animo poſſidere. Rurſus, vbi quem conſpexero inſatiabiliter adhærentem cultui diuino, idque in ſummis damnis enumerantem, ſi non continenter orauerit, coniecto talem omnis virtutis firmum eſſe Meditatorem, ac Dei Templum. Hæc ſanctus Chryſoſtomus. Atque in hoc ſenſu veriſſime dictum eſt: *non ceſſat orare, qui non ceſſat bene agere*; non ſolum quia ſicut laudatur Deus oratione, ita etiam quodammodo per honeſtam operationem; ſed etiam quia non facile deficit ab honeſta actione, qui non facile ſe ſubtrahit ab oratione, atque interna cum Deo conuerſatione. Humana etenim natura ex ſe ad omne malum procliuis niſi frequentibus cæleſtium viſitationum illuſtrationibus in intellectu, & inſpira-

[illegible] in affectu, quasi terra sterilis opposita soli ac tempestiuis imbribus fœcundetur, in frugifera permaneat necesse est. Quando vero anima sicut terra sine aqua coram Deo constituta, vt extensis ad Deum manibus lamentabatur Dauid, huiusmodi cælestes visitationes assequetur, nisi certa quædam tempora ex tam multis diurnis nocturnisq. horis pijs mentalibus exercitationibus habeat destinata?

[illegible] 5 Sed circa formam exercitiorum spiritus, modumq. proprium, dispositiones, ac præludia, quæ in sequentibus explicanda putabit aliquis non posse tantam ostendi necessitatem; tum quia nouæ res esse videantur, & prisca in Ecclesia Dei fuerunt multi viri sancti insigni orationis dono prediti sine tot regulis, & minutis præceptionibus: tum etiam quia cælestis Magister, quo non docente nihil in hac schola proficimus, non vnam tantum, sed propemodum infinitas habet formas, modos & rationes, quibus secundum thesauros suæ sapientiæ instruit spiritus diuersorum, quomodo cum illo agere per orationem debeant. Ad hæc responderi primum potest verbis Abbatis Serapionis apud Cassianum in re simili. *Cum omnes artes, atque disciplinæ humano ingenio repertæ, & quæ nihil amplius, quam vitæ huius commodis prosunt, licet manibus palpari queant, & oculis peruideri, recte tamen à quoquam sine visibili Magistro nequeant comprehendi; quam ineptum est credere hanc solam non egere Doctore, quæ & inuisibilis & occulta est, & non nisi mentis illuminatissimo apprehenditur, & corde purissimo atque humillimo exercetur?* Sane vocalis oratio multo facilior solet esse quam pure mentalis; vt proptrea, sicut Ioannes Gerson obseruauit, hæc magis quam illa per horas canonicas in dies singulos disposita hominibus Deo dicatis ecclesiæ præcepto sit imposita; quia, vt inquit ipse, rari admodum inter homines, non solum sæculares, sed etiam religiosos apti ad contemplationem inueniuntur, & tamen hæc sensibilis & expressa vocibus oratio certo ordine, forma, regulis quamplurimis debuit adstringi, atque ad eam, quam videmus perfectionem nouis annorum superuenientium obseruationibus iuxta horas canonicas distributa perduci. Quid igitur mirum, si circa orationem internam aliæ nouæ regulæ; ac documenta seruanda præscribantur à viris contemplationis dono insignibus, & expertis, pro alijs simplicioribus, vel minus expertis? Agnoscimus Dauidicum illud: *Beatus quem tu erudieris Domine:* Sed à solo Deo immediate erudiri nullo alterius hominis interuentu, paucorum est illa

Margin notes: *Psal. 142.6.* — [illegible] — *Collat. [illegible]* — *Gerson. lib. de orat. & e-ius valore, in fine.* — *Psal. 93.12.*

est ista beatitudo. Prophetarum hæc fuit, & similium aliquorum, præsertim qui authores extiterunt sacrorum librorum, à quibus alij postea sementem verbi Dei, & supernaturalium veritatum acceperunt, eamque in corde bono, & optimo receptam tanquam in fertili solo, alijs superuenientibus illustrationibus, & influxibus cælestibus, cum fœnore multiplicatam, qua dictis, qua scriptis posteritati reddiderunt. Et ita factum est quod in quadam homilia Sanctus Gregorius adnotauit: *Vt per incrementa temporum creuerit scientia spiritualium Patrum*. Inter hos B. N. P. Ignatius tanquam scintilla diuinitus excitata, & quasi lumen emicuit superioris sæculi caliginoso hæresum tempore, ostendens paruo comentariolo, simplici stylo, methodo ordinatissima, sapientia profundissima, qua ratione diuina fidei nostræ Mysteria cum facilitate, & magna spirituali vtilitate meditari possimus; & librum, Exercitia spiritualia, forte ad imitationem Sancti Bonauenturæ in similis appellationis opusculo, nominauit. Hæc à summo Christi Vicario præmisso Doctorum virorum diligenti examine sunt approbata, & fidelibus commendata, tanquã pietate, & sanctitate plena (vt loquitur Pontifex) & ad edificationem multorum, ac spiritualem profectum salubriter adinuenta. Quod etiam satis experientia declarauit, & declarare quotidie pergit. Ab hac enim meditandi forma primum ipsemet Societatis nostræ Parens Spiritum Fundandæ Societatis accepit: per hanc primos sibi socios eodem spiritu adiunxit, aliosq. quam plurimos; neque nostræ solum, sed etiam alijs religiosis familijs aggregauit; aggregatos, in suo instituto confirmauit; atque ex omni statu, genere, conditione homines mirabiliter iuuit. Neque vero ea meditandi forma tam est noua, si res in substantia considerentur; quam earum quædam dispositio, ordinatio, & expressio. Quare sicut antiquissima res est aurum, argentum, ferrum: noua tamen fere singulis ætatibus instrumenta belli, & pacis ornamenta inde conficiuntur: Ita diuinæ scripturæ, & fidei nostræ mysteria, licet noua non sint, proponi tamen ad considerandum humanæ menti noua ratione, & pio corde, quasi noua forma conflari, & recoqui magna animarum vtilitate possunt. *Eloquia* enim *Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum probatum terræ, purgatum septulũ,* vt in psalmo dicitur: dummodo nihil ea varietate à probatissimis Ecclesiæ Christi dogmatibus recedatur. Quod etiam ad nostrum propositum Sanctus Gregorius obseruauit circa illa verba Iob, *Habet argentum venarum suarum principia; &*

Luca 8. 16.

S. Greg. hom. 16. in Ezech.

S. Bonau. to. 7. par. 3. opus.

Paulus III. in Bulla, qua incipit: Pastoralis officij.

Psal. 11. 7.

S. Greg. lib. 18 mor. cap. 24. in c. 28. Iob.

auro

auro locus est, in quo consletur; ferrum de terra tollitur. Et quemadmodum qui hac nostra tempestate vellet armari milites antiquo armorum genere fundis, balistis, & catapultis, relictis nouis hastilibus, ensibus, & bombardis, vix contra acies huius temporis posset sibi victoriam polliceri: ita qui hoc genus instrumentorum spiritualium pro nostro tempore diuino consilio adinuentum facile contempserit, non facile innumeras difficultates, quæ huic obsistunt exercitio, vt suo loco inferius explicabitur, poterit superare.

CAPVT TERTIVM.

Quam sit præstans agere cum Deo per internam orationem.

Orationis præstantia vnde cognoscenda.

1 HACTENVS ostensum fuit rem esse in primis vtilem, atque etiam necessariam scire cum Deo agere per internam mentis orationem: ostendendum iam superest esse præstantissimam. Sunt enim quamplurima humanæ vitæ exercitia, non vtilia modo, sed etiam maxime necessaria, vt ambulare, cibum, & somnum capere, minime tamen prestantia; in his enim à brutis animantibus non differimus. *At quoties vacamus orationi* (ait S. Chrysostomus) *simul & Angelis copulamur, & Societatem quam cum brutis animantibus habemus procul effugere videmur: Angelorum, enim opus est deprecatio.* Huius actionis dignitatem tribus verbis complexus est S. Ioan. Damascenus, cum ita orationem definiuit; *est Ascensus spiritus in Deum:* tria enim sunt; quæ ad alicuius operationis excellentiam intelligendam maximè faciunt, nempe quòd actio formæ sit ex genere suo perfectissimæ, quod exeat, & exerceatur à nobilissimo principio, & quod tendat ad obiectum siue finem valde eleuatum: Primum significatur nomine ascensus Secundum cum dicitur esse à sublimiore hominis parte, videlicet spiritu: Tertium quia est in Deum. Atque ex his tribus sapientiores Philosophorum Plato & Aristoteles, quos nostri Theologi secuti sunt, disputantes in quo humana felicitas, & beatitudo consistat, firmis rationibus statuerunt sitam esse oportere in eleuatissima aliqua hominis operatione, à principali eius potentia exercita, circa obiectum omnium

Lib. 1. de orando Deum.

Damasc. lib. 1. fid. orth. c. 14.

omnium nobiliſſimum. In primis enim fateri oportere humanam fœlicitatem aliquid eſſe naturæ hominis ſuperadditum, ne cogamur dicere hominem hoc ipſo quod homo eſt, & naturam hominis non exuit fœlicem eſſe oportere, nec poſſe eſſe infœlicem, quod ſolius Dei eſt. Deinde non poſſe conſiſtere in habitu, eſt enim fœlicitas vltima, & conſummata hominis perfectio, quæ non habetur ex habitu, niſi conſtituatur in actu, atque operatione: Hanc autem operationem nequaquam eſſe in voluptatibus corporis capiendis: nimis enim abiectæ ſunt, & ſordidæ, atque homini cum belluis communes. Neque in honoribus, fama, vel gloria, fœlicitas enim noſtra propria & ſita in nobis debet eſſe operatio: honor autem, fama, & gloria non in honorato eſt, ſed in honorante, & ſigna de alterius exiſtimatione, quam in ſe habet exhibente. Neque in opulentia, & multarum diuitiarum poſſeſſione, quia ſicut vir clariſſimus Seuerinus Boëtius dixit: *Hæ magis effundendo, quam coaceruando nitent, & adeo anguſtæ inopesq. ſunt, vt neque habere totas pluribus liceat, & ad quemlibet ſine alterius paupertate non veniant.* *Boet.lib.2. de Conſol.proſ.5.* Itaque in contemplatione diuinorum, cum ordinatiſſimo ad ea cordis affectu noſtram conſiſtere beatitudinem recte concluſerunt. Sed quam eſt modica, & pene ſine vllo affectu de rebus diuinis contemplatio naturalis? quam tamen ſine lumine fidei tanti fecerunt ſapientiſſimi Philoſophorum, vt non aliam nomine fœlicitatis, & beatitudinis dignati ſint. Lumen vero fidei ſub lege Euangelica adeo creuiſſe teſtatur Apoſtolus ad Corinthios *2.Cor.3.15.* ſcribens: vt dicat poſitum fuiſſe velamen circa myſteria noſtræ fidei ante mentis oculos, & ſuper cor antiquorum Iudæorum: *Nos autem omnes,* inquit, *reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur de claritate in claritatem*; quam claritatem, gloriam & beatitudinem noſtram S. Auguſtinus interpretatur, *& transformamur,* inquit ipſe, *a gloria fidei in gloriam contemplationis æternæ.* *S. Aug. epiſt. 112. cap. 21.* Hinc apparet quam longe a vera huius, & futuræ vitæ felicitate illi inueniantur, qui curis immerſi temporalibus diuinæ legis obliti, nec ad modicum diurni vel nocturni temporis ſe colligere, & mentem ad cæleſtia poſſunt eleuare, cum dicat Dauid illum eſſe Beatum, *qui in lege* *Pſal.1.2.* *Domini meditatur die ac nocte:* Eccleſiaſticus quoque: *beatus,* inquit, *vir qui in ſapientia morabitur, & qui in iuſtitia ſua meditabitur, & in ſenſu cogitabit circumſpectionem Dei. Qui excogitat vias illius in corde ſuo, & in abſconditis ſuis intelligens.* *Eccl.14.22.* Sed ad ſingulas definitionis particulas magis conſiderandas redeamus.

2 Eſt

Orationis præstantia ex natura, & genere operationis.

2 Est autem prima vox definitionis, Ascensus: Oratio siquidem interna & mentalis, motus quidam interior est nostræ mentis, quo relictis infimis rerum terrenarum cogitationibus, curisq. mundanis in altum diuina gratia subleuante consurgitur, iuxta Dei per Isaiam promissionem: *Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ*; & paulo infra; *Tunc delectaberis super Domino, & subleuabo te super altitudines terræ*. Quatuor verò modis hic ascensus spiritualis & inuisibilis potest contingere, vt per similitudinem, & comparationem ad motus corporeos & visibiles melius explicetur. Primum gradiendo, sicut ascendebat Moyses ad montem Synay vt oraret, & cum Deo facie ad faciem colloqueretur. Secundo, volando pennis illis, quas sibi optabat in Psalmo Dauid: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Tertio, abstractione & vi quadam naturæ illata per extrinsecam impressionem, vt habemus in sacris Canticis de anima Deo desponsata, cum dicitur: *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* qualem orationis suæ ascensum propheta Dauid exoptabat dicens: *dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo*. Quartus ascensus rectissimus sine vlla violentia, & per omnia vniformis est, sicut auroræ, de quo in eodem sacro cantico dicitur: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens?* Primus ascensus est fœlix; sed fœlicior Secundus: Tertius fœlicissimus: Quartus supra mortalem conditionem, & omnem superans vitæ præsentis fœlicitatem. Primus est incipientium, nec sine defatigatione, tanquam contendentium, ad cacumen valde eleuati montis, non alis, sed pedibus; hoc est ordinaria industria, & simplici meditandi ratione peruenire. At hi nihilominus bono animo esse debent: nam vt homines huius exercitij valde experti docuerunt, mons iste contemplationis quamuis initio non solum difficilis, sed etiam lubricus esse videatur: in medio tamen minus habet difficultatis, & in summitate quasi amœnissima planities inuenitur. In secundo autem ascensu, qui fit per volatum, sicut minus est difficultatis, ita plus requiritur in orante perfectionis; quam proinde non tam sibi polliceri, quàm optare Propheta Regius audebat dicens: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ & volabo?* Requiritur enim primum magna sancti Spiritus affluentia per columbam significata: deinde omnium pennarum, idest donorum eiusdem sancti Spiritus plenitudo, & integritas: plu-

marum

Isai. 56. 7. *Isai. 58. 14.* *Exod. 34. 2.* *Psal. 54. 7.* *Cant. 3. 6.* *Psal. 140. 2.* *Cant. 6. 9.* *Seraph. Firm. lib. de Orat. cap. 5.*

marum praeterea, idest virtutum sine vllius defectu imperturbata dispositio; pro quacumque importunitate negotiorum, aut discrimine periculorum suum retinens fulgorem, atque nitorẽ, vt in Psalmo promittitur: *Si dormiatis inter medios cleros pennae columbae deargentatae, & posteriora dorsi eius in pallore auri.* Psal.67.14. Sed per tertium ascensum in tantum orantis spiritus eleuatur, vt ex vehementia & feruore internae motionis, etiam inferior & animalis nostra pars ad caelestia rapiatur; sicut testabatur expertus cum diceret: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Psal.83.3. Nam quemadmodum in suffitu partes primum thuris, & pulueris odoriferi subtiliores eleuantur in fumum; deinde crescente calore, & accensione, etiam partes crassiores in vaporem resolutae ad sublimia similiter feruntur; ita humanus affectus illo igne succensus, quem Dei filius venit mittere in terram, & cupit vehementer accendi, Luc.12.49. primum circa rationalem appetitum incalescit, deinde etiam secundum sensitiuum: & adeo potest attolli, vt quodammodo sphaeram suam elementarem, naturalium videlicet affectionum, atque propensionum longè trascendat, sicut experiri videbatur in se ipso ille, qui dicebat: *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum; & exercitatus sum, & defecit spiritus meus.* Psal.76.4. Quartus ascensus sine vlla violentia, & magna cum vniformitate fit ab ijs, qui sine dependentia à corpore corruptibili, & sine cooperatione phantasmatum, per infusas species, & inditam scientiam mentaliter operantur. Sicut inter puras creaturas priuilegio speciali credimus Beatissimae Virgini adhuc in ista mortali vita fuisse concessum; ideo bene aurorae comparatur, vbi dicitur: *Quae est ista quae progreditur quasi aurora consurgens?* Cant.6.9. non solum quia iustitiae solem Christum Dominum in ortu suo praecessit, eum nobis adduxit, & ab ipso totum suae gratiae lumen splendoremq. virtutum mutuata est, verum etiam quia in sua quotidiana contemplatione nulla mortalium mens, immo nec immortalium, & caelestium spirituum aeterno soli vicinior, nulla regulatius illuminata, nulla plenius illustrata, nulla sublimius eleuata, sine tenebris errorum, sine nubibus euagationum, nunquam nisi magna ex gratia praeueniente, numquam nisi cum maiori subsequente, & maximo merito succedente. Sed haec singularia sunt, & nimis supra humanam, vt diximus, conditionem.

3 Secunda vox in definitione orationis est, Spiritus, non enim est oratio ascensus cuiuscumque partis animi nostri, sed sublimioris, & maxime principalis, quae spiritus & mens ap- Orationis excellentia ex principio a quo fit.

pellatur. Spiritus erant, & Angelicæ mentes ascendentes per
Genes. 28. 12. scalam, quam vidit in somno Iacob Patriarcha vsque ad cælum à terra eleuatam, per quam status vitæ contemplatiuæ, sicut per ascensum contemplatio ipsa significabatur; quia nimirum varios contemplationis gradus, secundum eam animi nostri partem ascendere debemus, qua cum Angelis comunicamus. *Nam in reliquis*, inquit Chrysost. *multum est discriminis inter conditionem Angelorum, & nostram: siue naturam expendas, siue viuendi genus, siue sapientiam, siue intelligentiam, siue quicquid aliquis recensere posset. Cæterum oratio commune est opus Angelorum pariter, & hominum: Hæc te separat à brutis animantibus; hæc te sociat Angelicis mentibus*. Idipsum alijs etiam exemplis mysticè nos docere voluit diuina Scriptura, vt in Abrahæ sacrificio ad montem cum suo filio Isaac ascendentis.

Lib. 2. de orando Deum.

Genes. 22. 5. Dixit enim seruis suis: *Expectate hic cum asino, ego autem, & puer illuc vsque properantes postquam adorauerimus reuertemur ad vos*. Per Abraham, quem Patrem multitudinis interpretantur, mens, & intellectus multarum cogitationum fœcundum principium significatur: per Isaac verò, quem interpretantur risum, hilaris & promptus affectus ab illuminato intellectu proueniens designatur. Hi ad sacrificandum Deo montem orationis ascendunt, famulis cum iumento, idest curis temporalibus, & abiectis cogitationibus infra montem remanentibus. Hoc idem expressius in duce Iudaici populi Moyse, significatum est; qui ad montem Synai ex Dei præcepto, vt cum ipso de more loqueretur, ascensurus, accepit in hæc verba diuinum mandatum:

Exod. 19. 12. *Constitues terminos populo per circuitum, & dices ad eos, cauete ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius. Omnis qui tetigerit montem, morte morietur, manus non tanget eum, sed lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis, siue iumentum fuerit, siue homo*. Qua in re, non solum monemur turbã tumultuantium cogitationum, curarumq sensualium à monte orationis longe esse cohibendam, verùm etiam quæcumque talia irrepserint, non tam è vicino tunc temporis examinanda, quam à longe obfirmatis in orandi studio propositis, quasi duris lapidibus opprimenda, aut ignitis desideriorum cælestium iaculis eminus conficienda. Qua de re alibi opportunius multa dicentur.

Orationis excellẽtia ex termino ad quẽ tendit.

4 Tertia, & postrema in definitione orationis particula, exponit nobis terminum ascensus nostri spiritus, dum dicitur esse in Deum: vnde in summitate scalæ Iacob Patriarchæ, quam dixi-

diximus esse typum, & figuram huius spiritualis exercitij, cernebatur Deus innixus scalæ. Quod si tanti sit apud homines semel & ad modicum tempus in magni alicuius principis colloquium admitti, & posse cum illo familiariter inire sermonem; quanti tandem æstimari oportebit, non semel, sed quotidie, & quamdiu homo voluerit, posse loqui, agere, fiducialiter conuersari cum summo & omnipotenti Deo? *Quis non obstupescat*, inquit Sanctus Ioan. Chrysostom. *& non admiretur tantam benignitatem ac beneuolentiam, quam in nos homines declarat Deus, qui mortalibus tantum honoris largiatur, vt dignos nos habuerit, qui cum ipso colloquamur, nostraque vota apud ipsum deponamus? Nam vere profecto cum Deo confabulamur, quoties vacamus deprecationi.* Huius rei dignitatem etiam si nunquam satis in hac vita simus intellecturi, tamen, vt aliquanto magis apprehendamus, bonum erit imaginari, non dicam montem Synai fumantem, aut fulgurantem, neque nebulam illam, & caliginem in qua habitare aliquando in testamento veteri vsus est Deus, sed ipsum cælum per omnes suos orbes aliqua ex parte tibi patefactum, teque per singulas illas sphæras vsque ad empyrei cæli amplissimam immẽsitatem introductum, vbi tre cælestes Hierarchias nouem choris distinctas supergressus sublimissimis illis spiritibus, quorum iniri numerus à nobis non potest, instructissimas prope solium gloriæ Dei admittaris, vt effundas coram illo totum cor tuum, & illi cum omni fiducia te aperias; quid altius hac honorificentia posset mortali contingere? Neque tamen id re vera tantopere magni faciendum propter aërem, cælos, Angelos superatos, sicut propter colloquium, vbicumque illud fuerit concessum inire cum Deo. Quinimmo dignationis est profecto maioris, non opus esse homini cælum, & astra conscendere, sed humi stratum, & in genua deuolutum, ad se Deum à summo cælorum quodammodo aduocare, qui tibi præsto sit, & tuos non solum clamores excipiat, sed etiã cordis tacita desideria, & ipsam animi præparationẽ ad orandũ. Nam hoc totũ Propheta testatur cum ait: *Desiderium pauperũ exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua*; Et, *Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eũ in veritate.* Hinc alia nobis orationis excellentia manifestatur; neque enim euenire potest aliquando cũ Deo, sicut persæpe nobis accidit cum mundi principibus: nam post expectatam diu loquendi cum illis opportunitatem, post omnes alias superatas difficultates, vt ad eorum conspectum tandem

Genes.28. 13.

Lib.1. de orando Deum.

Psal.11.17.

Psal.144.18.

veniamus, etiamsi honestum sit quod petimus, quamuis iustum, sanctum, necessarium, nihilominus frustra id ab illis postulamus, omnino persuaderi non possunt, vel nesciunt, vel nolunt, vel nequeunt id præstare de quo rogantur. At nihil est honestum, quod à Deo possit improbari, vel ei non placere, aut si vere expediat non concedere; nec est impossibile apud Deum omne verbum; adest etiam eius qui mentiri non potest, iureiurando confirmata promissio: *Amen amen dico vobis: si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis: petite, & accipietis*. Vnde Sanctus Augustinus exponens illa psalmi verba: *Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam à me: Ne deficias*, inquit, *in oratione; Deus quod concessurus est, etiam si differt non aufert: non leuitate vtitur qui promisit, nec facile de sententia mouetur; quod promisit est fixum, fallere non potest, habet vnde faciat*. Atque hinc est, quod si sacras historias per omnes mundi ætates, ac sæcula recolamus, inueniemus nullam esse miseriam siue animæ, siue corporis, quam aliquando oratio non depulerit; nullum donum siue naturæ, siue gratiæ, quod ipsa non impetrauerit; nullum miraculum in terra, vel in cælo, quod per ipsam aliquo modo non fuerit operatum: vt merito Theodoretus orationem vno verbo dixerit, omnipotentem. Quin etiam si quid omnipotente potentius, aut fortius liceret asserere, hoc de oratione videretur affirmandum. Id enim satis in vno Moyse declaratum est, cui parum videbatur in Aegypto per virtutem orationis imperasse cælo, terræ, mari, elementis, hominibus, & brutis varij generis animantibus, nisi etiam ipsi Deo eadem orandi virtute obstitisset, & vltrices manus omnipotentis quodammodo adstrinxisset, vt homini supplicanti diceret Deus; *dimitte me, vt irascatur furor meus, & deleam eos*. *Videte*, inquit Sanctus Ephrem in sermone de laudibus orationis, *quid quantumque valeat oratio? neque est alia in tota vita humana præstantior oratione possessio. Oratio Ionæ Prophetæ balænam pro domo concessit, & Ezechiam ex portis mortis ad vitam reduxit; ipsisq. tribus pueris in Babylone flammam ignis in flatum roris conuertit. Oratione Elias cælum clausit, ne plueret annis tribus, & mensibus sex*. Addit pro efficacia & virtute orationis magis declaranda: *Oratio Temperantiæ est custodia, iracundiæ frænum, animi elati repressio, & ad modestiam reuocatio, odij ob acceptas iniurias medicina, inuidiæ destructio, impietatis correctio. Oratio corporum robur, rei familiaris administratio, recta iuris legumq. constitutio, regni*

Luc. 1. 37. *Ioan. 16. 23.* *S. August. in Psal. 65.* *Theod. in hist. relig.* *Exod. 32. 10.* *S. Ephrem in serm. de laud. orati. to. 1.*

gni

gni potentia, trophæum atque vexillum belli, tutela pacis. Oratio virginitatis sigillum est, fides nuptiarum, viatorum præsidium, dormientium custos, euigilantium confidentia; agricolarum fertilitas, nauigantium salus. Oratio reorum patrona, vinctorum relaxatio, mœrentium consolatio, lætantium iucunditas, lugentium solamen, celebritas festi natalitij, coniugum corona, morientium sepultura. Et hæc pauca de multis circa excellentias orationis dicta sufficiant.

CAPVT QVARTVM.

De triplici genere difficultatum in oratione interna.

1 VETVS esse prouerbium ait Plato, opera valde præclara, solere etiam valde esse difficilia: cum igitur satis pro nostro instituto iam ostensum sit exercitium orationis esse præstantissimum, sequitur declarandum quales, & quantas habeat difficultates. Non vt inde quisquam ab eo territus auocetur, sed potius, vt quantum ad illud inuitat rei dignitas, & excellentia, tantum difficultas excitet industriam, & diligentiam. Vnde non solum ipsæ difficultates erunt exponendæ; sed etiam ostendendæ singularum origines, & radices. Ex quibus intelligemus non esse à veritate alienam antiqui cuiusdam Abbatis Agathonis de oratione sententiam, asserentis nullum opus oratione magis arduum inueniri. Atque inde fit, vt plures reperiantur, qui facilius, & libētius exercebunt se in vigilijs, ieiunijs, macerationibus carnis, in longis peregrinationibus, & profusis eleemosynis, quam in aliquot horis per dies singulos orationi mētali tribuendis. Hæ vero difficultates ad tria capita, & quasi fontes vidētur esse reuocandæ. Primū ad humanæ naturæ corruptelam: Secundo ad Dæmonum astutiā, & malignitatem: Tertio, quod valde est mirabile, ad aliquam Dei prouidentiā, siue iudiciorum ipsius occultam dispositionem.

Plat. in dial. Cratilo

Quāta sit difficultas orationis internæ.

In vitis patrū lib. 5. cap. 12. noua editio.

2 Oritur itaque primum difficultas multiplex in hoc spirituali exercitio, ex deprauatæ naturæ nostræ corruptela, quam à culpa originali contraximus. Nam in statu fœlicissimo Innocentiæ, & Iustitiæ originalis summa erat animæ nostræ pax, atque tranquillitas in admirabili harmonia omnium potentiarum,

Prima difficultas bene orādi ex corruptela naturæ nostræ.

Massut. de cælesti conuersat.

quarum nulla nisi ex præscripto voluntatis mouebatur, voluntas vero, nonnisi ex præscripto rationis; quam diu ratio, & mens omni bonorum authori Deo subderetur. Sed posteaquam mens, & voluntas primi Parentis à Deo incommutabili bono est auersa, & ad bonum commutabile peccando conuersa, statim subtracta iustitia originali quasi fræno potentiarum, & totius animæ sanitate, ac vita, facta est dissolutio prædictæ harmoniæ omnium animæ virium, ac facultatum; quæ dissolutio posteris Adæ cum priuatione iustitiæ, idest cum ipsa originalis culpæ macula, miserabili sorte transfunditur. Eaque macula per lauacrum regenerationis expiata, adhuc ad agonem inordinatio illa partium animæ perseuerat, quam Apostolus vocat, aduersariam spiritus, legem menti contrariam, & captiuantem in lege peccati, sancti verò Augustinus, & Thomas Aquinas, animæ morbum, & naturæ languorem Atque hinc infinitæ illæ quæstiones, de quibus ait Ecclesiastes; *solummodo hoc inueni, quod fecerit Deus hominem rectum; & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus*. Has in vniuersum quatenus turbatrices quietis sanctæ contemplationis ad quatuor classes Sanctus Bernardus reuocauit: Primam appellat, sensus egentis: Secundam curæ pungentis: Tertiam culpæ mordentis: Quartam imaginum corporearum irruentia phantasmata; vbi tamen eas breuiter enumerauit, amplius non explicat. Erit igitur opere pretium id nos hoc loco faciamus.

ad Gal. 5. 17. ad Rom. 7. 23. Aug. lib. 1. de nup. & concupisc. cap. 25. & 31. S. Tho. 1. 2. q. 82. ar. 1. & 2. Eccles. 7. 30. Serm. 23. in Cant.

Quantopere inordinati affectus turbant quietem contemplationis.

3 Primum itaque turbat quietem contemplationis sensus egens, idest nimis exigens sensualitas: atque adeo nos exagitans inordinatis, & immortificatis nostris passionibus, præsertim illis duabus, quæ duas inferiores animæ nostræ partes occuparunt, & à se denominari fecerunt, nempe amor in concupiscibili, & iracundia in irascibili. Et quidem si de amoris inordinati passione loquamur, experientia fere quotidiana constat, illum, cuius animum immoderatus hic affectus præoccupauit, regimen amittere suarum cogitationum: trahitur enim mens violenter in eam partem, ad quam pondus inclinat dominantis affectionis: vnde clamat in Confessionibus Sanctus Augustinus; *pondus meum amor meus, illo feror, quocumque feror*. Quod si proprium est amoris motorem esse primarium omnium aliarum affectionum, omnesque animæ vires tam internas quam externas, verba, motus, gressus, gestus corporis, prædominio suo gubernare: Quanto magis id efficiet circa cogitationes, quæ sunt veluti expeditissimi, & secretissimi, nostræ animæ internuncij?

lib. 13. cap. 9.

Quare

Quare ſicut animalia compedibus, vel funibus præpedita hac illac liberè vagari non permittuntur, ita animus terrenarum affectionum vinculis implicatus quaſi iumentum fune voluptatis circumducitur; *trahit* enim *ſua quemq. voluptas*, vt quidam dixit, non voluntas tantum, quæ rationalis eſt appetitus, ſed etiam quæuis præter rationem ſponte admiſſa, & ſua per aliquem conſenſum effecta voluptas. Neque verò neceſſe eſt huiuſmodi amoris inordinati vincula ferreas quaſdam eſſe catenas, quibus ſola Diaboli mancipia conſtringuntur: haud enim multo minus plures replicati funiculi prauarum affectionum, vel etiam vnicus, niſi illata ſibi vi perrumpatur diſtrahere mentem, rapere cor, & cogitationes conſueuit. Ideo dixit in Euangelio Saluator, *Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum*. Quare *quiſquis cupit agnoſcere vbi ipſe theſaurizet*, ait B. Fulgentius, *attendat quid cogitet, & amorem ſuum ex iudicio propriæ cogitationis intelliget*. Iam vero de altera iracundiæ paſsione quid attinet dicere? niſi hominem eripere non ſolum à diuino, ſed etiam ab humano conſortio: *& mentem* (inquit Sanctus Gregorius) *impellit furor, quò non trahit deſiderium*. Verum quidem eſt hic nobis proprie non eſſe ſermonem de ijs, qui iracundiam vertunt in furorem, notati per illum arreptitium, de quo in Euangelio refertur, quod eliſus in terram volutabatur ſpumans, & quod frequenter in ignem, & in aquam, vt perderetur à Dæmone impellebatur: nimis enim manifeſta res eſt non poſſe tales quietis contemplationis vllo modo eſſe participes. Sed magis de his loquimur, qui cum ſatis mites corde non ſint ſtatim in tolerandis quibuſcumque illatis moleſtijs ſuam internam pacem, & animi tranquillitatem amittunt. Vnde illis euenit in ſilentio meditationis, vt paſſio iracundiæ, veluti canis in tenebris, quocumque imaginario ſtrepitu excitetur, & ceſſare neſciat à latratu.

Virg. egl. 2. — *Matt. 6. 21.* — *in Serm. de Cõfeſſoribus.* — *In paſtor. par. 3. admon. 10.* — *Marc. 9. 19.*

4 Sed ſpecies ſecunda inquietudinis, quam Sanctus Bernardus curam pungentem appellauit, ſimiliter ex corruptela naturæ noſtræ proueniens, magis offert ſe nobis rationabilem, dum ſollicitudinem ingerit rerum temporalium, & negotiorum neceſſario expediendorum, intempeſtiue quidem, & importune, pro tempore quo vacare ſoli Deo deberemus. Sed eo falſo prætextu, quòd negotium ſit vrgens, oratio non tantopere neceſſaria, quòd cogitatio, & conſilium de expeditione talis negotij, tunc optime ſuccedat; meditatio vero minime ſuccedat: vnde fit, vt oratio, ex toto, vel ex parte relinquatur, aut corpore tan-

Quæ ſit cura pungẽs, & turbans quietem orationis.

re tantum ad illam conformato, & exterius composito perduretur, interim mens alia speculetur, quæ magis inter libros sedens, aut in schola, vel in foro agendo cum alijs hominibus non cum Deo, & cælitibus pertractari debuissent. Sed adhuc fallacior est tertia species inquietudinis, quam culpam mordentem Sanctus Bernardus appellauit, idest molestus quidam conscientiæ morsus, aut importunus timor, ne forte aliqua non leuis culpa lateat in conscientia, vnde orans Deo reddatur inuisus, & illius conspectu maxime indignus. Timet ne de isto vel illo peccato omnino non sit confessus, aut non satis bene confessus, ne nouam culpam in quadam occasione contraxerit, ne in hoc, vel illo negotio male se gesserit. Vnde sicut aqua licet ex se limpidissima, & in luce constituta, varijs tamen motibus exagitata, non bene recipit, nec reddit imagines rerum, radiosq. solares, nisi valde distortos, ita anima varijs huiusmodi timoribus perturbata etiã si aliunde non habeat impedimẽtum orandi, & agendi cum Deo, tamen ad excipiẽdas diuinas illustrationes, & inspirationes redditur inepta. Quarta denique species inquietudinis ab eodem corrupto naturæ nostræ fonte promanans, est impetus phantasmatum irruentium, & ingerentium importunas imagines rerum sensibilium, & corporearum, quas vocat alicubi Sanctus Augustinus, animæ nostræ plagas per sensus inflictas: Et est malum inter alia, quod teste Sancto Bernardo difficillime amouetur. Anima enim nostra quamdiu corpori huic corruptibili est alligata, vt in intelligendo modo sibi connaturali operetur, necesse habet phantasmata, vt philosophi loquuntur, speculari: nec aliarum rerum proprias obtinet species, siue internas imagines in hac vita, nisi rerum materialium, & corporearum, per sensus à sensibilibus conquisitas. Hæ vero minime ad nutum rationi deseruiunt, sed intra phantasiam quam sæpissime nobis inuitis ita deuoluuntur, vt rationabilem voluntatem anteuertentes facile excitent intellectum ad sensibilia, & ea quæ non deberet cogitanda: spiritualia vero, & ea quæ deberet sibi exprimere tanquam in aliena specie non reperiat: accedẽtibus præsertim mala consuetudine, alijsq. animæ morbis, de quibus supra dictum est. Vnde sequitur, quod S. Augustinus animaduertit, vt intrare cubiculum cordis ad orandum sæpe reddatur homini permolestum: sicut vir, qui malam sortitus vxorẽ ingredi propriam domum fastidit; scit enim per experientiã se intrare ad tædia, ad amaritudines, contentiones, & rixas, propterea mauult in foro diem consumere, & in alijs negotijs extra suam domũ occupari.

Quę sit culpa mordens, & turbans quietẽ orationis.

S. Aug. ep. 72.

Ser. 23. in cãt.

In Psalm. 33. enar. 2.

5 Præter tot difficultates à vitiata natura nostra prouenie-tes, est aliud genus impedimentorum, ab inuidia, astutia, & malignitate Dæmonum procuratum, qui sanctum orationis exercitium sic oderunt, vt dicat Beatus Nilus, in suo de hac materia libello, videri sibi vniuersum bellum, quod inter nos, & Dæmones est indictum, non esse nisi de oratione, vel propter orationem, omnesq. alias Dæmonum tentationes contra studium orandi esse directas. Itaque si de gula tentant propterea id eos facere, vt inepti reddamur ad orandum; si de nimia, & intempestiua vigilia, vt postea in oratione dormitemus, si excitant passiones, vt quies contemplationis interturbetur. Neque id mirum, cum bene intelligant, quanti sit illis præiudicij pro bello spirituali oratio, & nostra cum Deo conuersatio: sicut Beatus Aegidius recte in hanc sententiam ratiocinabatur. Ideo varijs modis reuocare nos ab oratione, aut impedire satagunt, aliquando manifeste obijciendo se visibiliter sensibus externis, aliquando occulte ingerendo se per suas noxias operationes sensibus, & facultatibus internis. Manifeste id agunt dupliciter, interdum sub aliqua specie terribili se offerunt, aliquando sub ludicra, & ridicula. Sub specie terribili refert in eodem libello B. Nilus solitum Dæmonem aggredi virum quendam Religiosum, vbi primum se in oratione componebat: aderat enim repente Dæmon in specie furentis leonis ante orantem eleuato pectore, erecta ceruice, sublatis anterioribus pedibus, & quasi ad illius faciem subito lacerandam expeditis. Alteri (vt idem Auctor refert) similiter oranti obijciebat se aduersarius specie Draconis enormis longitudinis, qui spiris suis circumligatum arcte constringebat. Alterum, mirum dictu, quasi discum, aut pilam vnus Dæmon in altum proijciebat: alius deorsum ruentem sine alia læsione excipiebat; solum vt illum ab attentione orationis reuocaret: quod tamen non consequebatur, nam orans nihilominus ea qua poterat animi contentione, in sua mentis pia exercitatione perdurabat. Præter huiusmodi terriculamenta solet etiam dæmon ad ludicras formas se conuertere: de quibus varia exempla in vita Sancti Antonij, & aliorum antiquorum Patrum referuntur. Simile aliquid nostris quoque temporibus occurrisse legimus Francisco Borgiæ Societatis nostræ tertio Præposito Generali: Nam oranti aliquando Dæmon se conspiciendum dedit in specie deformis simij cum subsannantis, & iterum instar proceri gigantis, qui territando illum à pio meditandi instituto reuocare nitebatur. Sed occultis modis frequentius, & fa-

Difficultas orandi ex parte Dæmonũ. *Lib. de orat. cap. 47.*

In Chron. Minorum. 1. par. lib. 7. cap. 33.

Andreas Scotus in vita li. 4. cap. 4.

& facilius quasi per cuniculos agere contra nos Dæmones soliti sunt: aliquando vires cognoscitiuas, aliquando etiam appetitiuas inter orandum nobis perturbando. Nam quamuis in animã nostram, eiusq. potentias spirituales intellectum,& voluntatem agere directe, & immediate non possint; qua tamen parte materia, & corpore constamus, nisi a Deo illorum vires cohibeantur, quamplurimis tum externis, tum internis eorum vexationibus sumus obnoxij. Siquidem vi sua naturali possunt Dæmones perturbare hominis phantasiam, rerum imagines,& simulacra ibi asseruata, quæ phantasmata dicuntur,deordinare,& subuertere; sicut in typo caracteres, vnde nihil ad legendum,& intelligendum nisi absurdum exprimatur. Possunt præterea commouere humores, excitare bilem, accendere sanguinem, caput vaporibus opplere, vt oranti ad nihil minus, quam ad orandum se aptum esse pro eo tempore sibi videatur.

Difficultates orandi ex diuina dispositione.

Lib. 38. mor. cap. 9.

Hiere. lamen. 3. 40.

6 Restat vltimum genus difficultatum, quod ex diuina ordinatione esse dicebamus, idque inter alias aperte testatur Sanctus Gregorius exponens illa Hieremiæ verba: *Opposuisti nubem tibi, vt non transeat oratio. Menti enim nostræ*, inquit Sanctus Gregorius, *terrenis voluptatibus assueta curarum suarum phantasmata iusto iudicio obijcis, quibus eam in ipsa orationis suæ intentione confundis, & quam desiderijs infimis deditam non ignoras recte cæcatam ab intuenda lucis tuæ perspicuitate reuerberas, vt cum in te intenditur, ipso à te cogitationum suarum nubilo reflectatur; & quæ terrena hæc assidue cogitat, quia vult, hæc etiam toleret in oratione, quæ non vult.* Hæc vt magis explicentur, supponere pro certo debemus; sicut Dæmon non nisi pessimo fine supradictas obijcit oranti difficultates; ita ex aduerso Deum, qui summe bonus est eas,& similes non velle, nec posse permittere, multo minus à se operari, nisi ad aliquem bonum finem: duo vero potissimum esse videntur hi fines; nempe ad iustitiam, & misericordiam suam in creaturas rationales declarandam. Nam vt omittam pertinere ad diuinam prouidentiam sicut alia dona, ita etiam hoc donum orationis non omnibus æqualiter dispensare: est enim Ecclesia corpus quoddam mysticum ex partibus constans quodammodo ætherogeneis;

1. Cor. 12. 17.

ideo dixit Sanctus Paulus: *si totum corpus oculus, vbi auditus? si totum auditus, vbi odoratus? nunc autem posuit Deus vnumquodque eorum sicut voluit:* tamen plerũque nostra aliqua culpa fit, siue graui, siue ob multas leues, aut propter ingratitudinem, aut occultam aliquam superbiam, aut negligentiam, in studio morti-

mortificationis, in passionibus edomandis, vt inde vapores terrenarum affectionum cordis nostri eleuentur: ex quibus nubes illa Hieremiæ inter nos, & Deum constituitur, quam etiam si sol Iustitiæ radijs suæ bonitatis, & misericordiæ posset dissoluere sicut aliquando præter omne nostrum meritum benignissimus facit, suo tamen iusto iudicio non vult semper id facere. Est & alius finis, paternæ videlicet suæ erga nos charitatis, & misericordiæ: præuidens enim facile secuturum, vt ex dono contemplationis aliquod nobis incommodum, siue corporale, siue etiam spirituale proueniat, ita nobiscum agit, vt dum ex eius dispositione oratio non succedit, alterius cuiusdam rei magis nobis necessariæ bonus successus promoueatur, aut saltem non impediatur. *Bonum est nos hic esse*, dicebat Princeps Apostolorum, *Luc. 9. 33.*
nesciens quid diceret, inquit Euangelista; nimirum quasi ebrius insolitæ contemplationis excessu, vbi suauitatem cælestis conuersationis in Christo Domino transfigurato cœperat degustare. Cum tamen re vera non fuisset bonum ita perdurare: paucorum erat illud commodum, & consolatio, multa restabant Christo Domino facienda, & patienda, vt opus nostræ redemptionis expleret, multa etiam ipsi Sancto Petro, cui reliquorum Apostolorum, & Ecclesiæ totius Vicaria cura fuerat demandanda. Atque hæc sunt obstacula, & impedimenta, siue boni successus orationis, siue etiam doni contemplationis in vniuersum.

Quæ tantummodo nouisse parum proderit, nisi de remedijs cum diuina gratia efficaciter adhibendis serio cogitetur. Et quia debet medicina morbi vim superare, non erimus contenti aliqua remedia isto capite indicasse, sed totis tribus sequentibus, iuxta tria iam exposita genera difficultatum, per suas species plenius sunt tradenda.

CAPVT QVINTVM.

Qua ratione superetur primum genus diffi-cultatum.

1 PRIMVM genus difficultatum in hoc orandi exercitio ex parte deprauatæ nostræ naturæ prouenire dicebamus in pœnam culpæ originalis, aliarumque actualium, quas ipsi nobis quotidie superaddimus, vnde multiplex existit corruptela, quam ad quatuor species cum Sancto Bernardo reducebamus: nempe ad inquietudinem passionum, ad nimiam de rebus temporalibus sollicitudinem, ad superuacaneos timores, & scrupulos conscientiæ, ad phantasmata menti orantis importune occurentia. Antequam autem pro singulis singula remedia proferamus, illud in vniuersum est obseruandum: aliud esse loqui de contemplatione, quam postea per suos gradus explicabimus, aliud de qualicumque meditatione. Nam quamuis ad perfectam contemplationem, perfecta sanitas ab his animæ morbis requiratur; non tamen propterea qui se hac inuenit destitutum statim desperare, vel nullo modo ad mentalis orationis studium aspirare debebit: poterit enim simplici saltem meditatione esse contentus, in qua eo magis proficiet, & gradum inde sibi faciet ad contemplationem, quo fuerit in huiusmodi difficultatibus remouendis, & animi ægritudinibus curandis, gratiæ diuinæ semper cooperando diligentior.

Quatenus sperāda sanitas, ab hoc animę morbo in vita præsenti.

Immo verò cum perfectam animæ sanitatem dicimus, non intelligimus absolutè perfectam; hanc enim polliceri nobis in hac vita mortali non possumus, sed in alia, vbi sanabit Deus omnes infirmitates nostras, sicut in psalmo dicitur, redimet ab interitu vitam nostram, & intellectus noster ad solem Iustitiæ intuendum, velut aquila renouabitur. Tunc erit summi boni, pura, plena, firma dilectio, & supremi veri clara, constans, nunquam fallens, nunquam deficiens contemplatio, qualem Deus per Isaiam prophetam illis verbis pollicetur: *Oculi tui videbunt Hierusalem habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur claui eius in sempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur.* Interim in hoc exilio, & valle miserarium, sicut omnis perfectio quamdam

Psal. 102.3.

Isai. 33. 20.

imper-

imperfectionem ſibi habet adnexam: ita omnis noſtra contemplatio quadam caligine non caret; ait Thomas a Kempis. Quare perfecta animæ noſtræ ſanitas, qualis in hac vita de lege ordinaria poteſt acquiri, videtur in eo debere conſiſtere, vt homo per gratiam liber ab omnibus culpis mortalibus, ab ijs quoque venialibus, quæ plena deliberatione committuntur, alijs leuibus culpis minus deliberatis quotidie decreſcentibus, nouerit ingredi frequenter orationis, & contemplationis ſanctuarium: ibique cum Deo ita conuerſari, *vt minime auocet vel perturbet*, inquit ſanctus Bernardus, *aut ſenſus egens, aut cura pungens, aut culpa mordens, aut quæ difficilius amouentur irruentia rerum corporearum phantaſmata*. *Gerſ. lib. 1. c. 3* *Ser. 23. in cantic.*

2 Vt igitur a primo fonte inquietudinum, qui eſt immortificatio paſſionum incipiamus, nemo eſt qui neſciat proprium, & præſentiſſimum huius mali remedium, eſſe ſtudium mortificationis, & ſuimet continuæ abnegationis, vnde magis quotidie ſubtracto quaſi pabulo huiuſmodi paſſionum noſtrarum indomitis feris, ipſæ ſenſim debilitentur, & deſinant latrare, ac ſæuire contra rationem. Vt autem huius certiſſimæ doctrinæ veritatem non ſolum intellectu apprehendamus, ſed etiam affectu, & voluntate proſequamur, mouere maxime nos debent oracula diuinarum Scripturarum, illuſtria ſanctorum Patrum teſtimonia, rationes variæ, & quotidiana experientia. Valde cupiebat Moyſes perfectiſſima Dei contemplatione per claram eius eſſentiæ viſionem adhuc in hac mortali vita conſtitutus poſſe frui; atque ita Deum rogabat: *ſi inueni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam, vt ſciam te*. Sed reſponſum eſt illi a Deo: *non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, & viuet*. Quibus verbis ſignificare Deus voluit, vt moraliter interpretatur ſanctus Gregorius, quemadmodum clara Dei viſione frui non poteſt, qui per mortem corporis in ſtatum non tranſierit Beatorum; ita neque donum contemplationis in hac vita obtinere, qui virtute careat mortificationis. Quod alio teſtimonio ſancti Iob confirmat ſub nomine ſapientiæ, & intelligentiæ hac de re ſic diſputantis: *Vnde ergo ſapientia venit; & quis eſt locus intelligentiæ? abſcondita eſt ab oculis omnium viuentium*: idque magis exponit cum addit: *non inuenitur in terra ſuauiter viuentium. Abyſſus dicit, non eſt in me; & mare loquitur, non eſt mecum: volucres cæli quoque latet*. Quia nimirum qui huic mundo, & propriæ ſenſualitati viuunt, & quibus mundus non dum eſt crucifixus, nec ipſi mundo, qui merſi in

Quæ debeant nos mouere ad perfectam mortificationem acquirendam.

Exod. 33. 13.

Lib. 18. mor. cap. 28.

Iob. c. 28. 10.

abyſſo

abyſſo ſuarum imperfectionum, nihil inde curant emergere, vel qui æſtu cupiditatum tanquam procelloſo mari iactantur; vel qui tanquam volucres aërem, & ſublimia, ſic ipſi vanitatem, & ſuperbiam ſectantur; nunquam Dei ſapientiam, & rerum ſpiritualium intelligentiam, quæ meditatione, & contemplatione maxime obtinetur, poterunt inuenire. Legimus in vita Noſtri Beati fundatoris Ignatij, cum vir quidam religioſus ipſo audiente laudaretur, quod eſſet præditus inſigni dono contemplationis, ipſum adiunxiſſe; ergo vir erit magnæ mortificationis, apertè ſignificans ſine ſtudio mortificationis donum orationis in aliquo excellenti gradu non poſſe conſiſtere. Huius doctrinæ præclara nobis reliquit exempla B. Franciſcus Xauerius in ſe ipſo, qui poſt inſignes victorias in hoc noſtro orbe ſuperiori de ſe reportatas, vſque ad Antipodas per immenſa maria Deo duce perductus, omnibus fere humanis ſolatijs deſtitutus, in peregrino cælo, ſterili ſolo, inter gentes immanitate barbaras, adeo cæleſtibus gaudijs diuina meditans replebatur, vt non ſemel ſcripſerit in Europam, videri ſibi, ſi quod eſt verum gaudium in hac vita, eo demum loco inueniri, & ſe experiri. Eademq. de re cum Deo agens orare ſolebat, vt quandoquidem fragilis conditio corporis mortalis tantam animi lætitiam ferre non poſſet, aut eam aliquatenus temperaret; aut ſi eſſet ita continuanda, (neque enim illa carere voluiſſet) à vinculis corporis animus diſſolueretur, & ad Beatorum gaudia quam primum transferretur. Neque id nobis adeo mirum videri debet; cor enim humanum diu carere aliquo ſolatio non poteſt; quod cum omnino deficit in vno genere, in alio expetit, & conquirit. Quia vero terrenæ conſolationes non magis conueniunt cum cæleſtibus, quam tenebræ cum lumine, & frigus cum calore: hinc fit, vt humani ſolatij præſertim ſi propter Deũ fuerit facta ſubtractio, aut libenter ſuſcepta carentia, magna ſit diſpoſitio ad recipiendas diuinas conſolationes, & ad cæleſtia deguſtanda. Deus quoque ſuorum donorum liberaliſſimus diſpenſator, vbi ex parte noſtra non inueniat impedimentum, pro ſua non deficiet; ſicut de illo pollicetur Iſaias cum ait: *Quem docebit ſcientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte, auulſos ab vberibus.* Expertus quoque Dauid in ſeipſo teſtatur: *In die tribulationis meæ Deum exquiſiui manibus meis, nocte contra eum, & non ſum deceptus. Renuit conſolari anima mea; memor ſui Dei, & delectatus ſum.* Atque hæc de primo capite difficultatum.

Ribad. lib. 5. cap. 1.

B. Xau. epiſt. l. 1. ep. 5. & l. 2. ep. 6.

Iſai. 28. 9.

Pſal. 76. 3.

3 Alte-

3 Alterum caput difficultatis ex parte nostri propter nimiam de rebus temporalibus sollicitudinem curasq. superfluas, sicut non longe distat a primo; ita non valde diuersam ab illo requirit medicinam: est tamen aliquid in quo differat & morbus, & medicina. Fieri enim potest, vt huiusmodi curæ sine vlla indomita passione cum aliquo etiam honesto prætextu, atque adeo culpa leuiori habeantur. Sed hoc ipso quod nimiæ sunt intelligere debemus, ijs non parum impediri mentalia orationis exercitia, dum animam pungunt, grauant, alijsque varijs modis perturbant, & inquietant. Quibus de rebus sæpe diuina scriptura nos admonet. *Sapientia scribæ*, ait Ecclesiasticus, *in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu sapientiam percipiet: Qua sapientia replebitur, qui tenet aratrum, & qui gloriatur in iaculo?* Sed magis in particulari loquens hac de re Saluator, & rationem reddens, cur verbum Dei veluti semen in corde conceptum, ad frugem & maturitatem, sæpe non valeat peruenire, illam inter alias dicit esse rationem, quia interceptum fuit à spinis; quas ipsemet Christus Dominus esse huius vitæ sollicitudines, & curas superfluas interpretatur; vnde sumpta fortasse occasione sanctus Bernardus, curas pungentes, eas sollicitudines appellauit. Et merito, nam sicut huiusmodi spinæ succum aliarum herbarum ad se deriuant, & attrahunt; vt sic terra non tam alat vtilem herbam, quam infructuosam, & noxiam: ita curæ superfluæ animam exhauriunt, vt pro sanctis cogitationibus succum pietatis, & humorem deuotionis non relinquant. Secundo non solum tanquam spinæ afferunt animæ sine vtilitate molestiam, sed præterea illud addunt incommodum, & detrimentum, quod cum per orationem animam in Deum ferri, & eleuari quodammodo supra seipsam oporteat; est enim oratio, vt iam ostendimus, quidam ascensus mentis in Deum; cogatur potius grauata descendere infra seipsam. Propterea addit Christus Dominus: *Attendite autem vobis, ne forte grauentur corda vestra, in crapula, & ebrietate & curis huius vitæ*. Quod si crapula & ebrietas grauando corpus, quo anima non vtitur ad operationes spirituales, nisi tanquam instrumento, tantopere eam deprimit, vt vix de humanis, ne dum de diuinis valeat cogitare; non parum quoque facient intra ipsam animam, & vsque ad superiorem eius partē ingestæ tot curæ superuacaneæ, & tam variæ cogitationes; quæ veluti cibus animæ sunt, si nimirum adeo fuerint immoderatæ, atque superfluæ. Neque verò satis fuerit, si sub qualicumque specie honestatis assumantur. Quid enim hone-

Nimia sollicitudo in humanis negotijs quomodo vitanda.

Eccl. 38. 25.

Luc. 8. 15.

Luc. 21. 34.

honeſtius, quam Marthæ Chriſto in carne exhibitum miniſterium? & tamen de nimia in opere tam pio ſollicitudine, fuit admonenda,& quòd circa plurima turbaretur, nec vacare ſicut ſoror orationi poſſet. Hinc autem ſumere occaſionem non debent nimij propriæ quietis amatores, & in charitate proximorum frigidi, vel remiſſi, exiſtimandi vitam contemplatiuam non bene conuenire cum actiua: oſtenſuri enim ſumus ſuo loco quantopere viciſſim ſe iuuent, & quomodo præcipuus, & ſaluberrimus fructus contemplationis ſit zelus efficax animarum: ita tamen, vt nunquam cura, & cogitatio rerũ creatarum, curæ, & cogitationi creatoris, niſi forte aliquando propter ipſum creatorem, anteponatur. Refert in libro de oratione B. Nilus, cuidam Monacho per ſolitudinem ambulanti,& attẽte de Deo meditanti duos angelos comites ſe adiunxiſſe; quos ipſe nullo modo alloqui nec ſalutare, ne ſe diſtraheret quicquã curauit, bene memor quid de homine in Dei charitate perfecto dicat Apoſtolus: *Certus ſum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu*. Quanto igitur minus id facere debebit cura rerum temporalium, & viliſſimarum? De ſancto Franciſco ita narrat in eius vita ſanctus Bonauentura: *Fecerat in quadrageſima quadam vaſculum vnum, vt minutias temporis ne omnino exciderent, occuparet. Quod cum dicenti Tertiam in memoriam veniens paululum ipſius animum diſtraxiſſet, motus feruore ſpiritus, vaſculum igne conſumpſit, dicens, ſacrificabo illud Domino, cuius ſacrificium impediuit*. Simile quid accepimus de Parente Societatis noſtræ B. Ignatio, qui cum inter orandum, ſemel, iterum, ac tertio à Ianitore oſtium cubiculi pulſante vocaretur, facta tamen intrandi poteſtate, faſciculum litterarum ſibi oblatum vidit, quem Ianitor dicebat, illi à patria eſſe miſſum: hunc acceptum, ſtatim vir Dei in ignem proiecit, & ad orationem quieto animo rediit, & tamen erant hi ſanctiſſimi viri non ſolum Dei, ſed etiam proximorum charitate flagrantiſſimi.

Luc. 10. 41. — *Lib. de orat. c. 106.* — *ad Rom. 8. 38* — *In vita ſancti Franciſci. cap. 10.* — *Ribad. lib. 5. c. 1. vitæ.*

Scrupuli & inquietudines conſcientiæ quomodo deponendæ inter orandum.

4 Poſt nimias curarum temporalium ſollicitudines,& affligentes curas, tertia ſpecies inquietudinis remanet ſuperanda culpæ mordentis, ideſt conſcientiæ ſcrupuloſæ anxietates, & remorſus: qua de re fuſe differendi non eſt hic proprie locus: ſicut neque tunc eſt tempus, cum de pace cum Deo, & eius amicitia in oratione fruenda, de noſtris & proximorum noſtrorum neceſſitatibus cum eo quiete agendum, diſtrahi & perturbari ſcru-

pulis

pulis conſcientiæ. Immo verò cum id nunquam ſit opportunũ, minimè omnium tunc erit, quando ex conſcientia noſtrorum defectuum, vbi hæc diſpliceant, & adſit emendationis firma voluntas, ad orationem excitari potiùs, quàm ab ea reuocari deberemus. Nec eſt, quod hoc loco aliquis illud obijciat à Chriſto Domino dictum in Euangelio: *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum*. Non enim ideo dictum eſt, vt inter orandum cauſas inquietudinis, & orationis interrumpẽdæ occaſiones exquiramus; quin potius, vt intelligamus eſſe quodammodo facilius Deo reconciliari & ſatisfacere, quàm fratri; neque enim vt quis Deo reconcilietur, tàm indiget greſſibus corporis, quàm motibus animi, quales intra orationem meliùs, quam extra illam exercemus. *Neque dicas*, ait ſanctus Baſilius, *peccator ſum, non exaudiet Dominus: vt enim diffidentiam omnem tibi Chriſtus Dominus præcideret, illud in Euangelio adiecit: Et ſi non dabit illi ſurgens, eo quod amicus eius ſit, propter improbitatem tamen dabit. Ili quotquot habet neceſſarios.* Deinde oſtenſuri ſumus inferius, vbi de oratione præparatoria fusè agemus, quæ ſemper pro meditationis præludio debet præmitti, eam tantæ eſſe virtutis, ſi fiat ſicuti oportet, vt hominem extra Dei gratiã qualibet culpa conſtitutum in eius amicitiam & beneuolentiam poſſit reſtituere. *Adeamus ergo* (ſicut hortatur Apoſtolus) *cum fiducia ad thronum gratiæ, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.*

Matth. 5. 23.

De Conſtitut. Monaſt. c. 1.

Luc. 11. 8.

ad Heb. 4. 16.

5 Quarta moleſtiarum ſpecies, ex irruentibus rerum corporearum internis imaginibus & phantaſmatibus, adeo nobis mouere non debet admirationem, vt potiùs mirari debeamus, ſi præſertim nouis, & incipientibus aliquid tale in hoc ſpirituali exercitio non contingat. Sicut enim qui ignem ſupponit humidæ recentium lignorum materiæ, non miratur, videns magnã inde fumi vim erumpentem; nam calor & ſiccitas, cum frigore & humiditate pugnantes, hos effectus naturaliter operantur: Ita quoque caro his exercitijs minimè aſſueta, certans in oratione cum ſpiritu, fumum huiuſmodi imaginationũ vitio naturæ corruptæ neceſſe eſt vt emittat, nec ceſſabit quamdiu calore cæleſti perfectè non fuerit exiccata, & ſpiritui reddita magis conſimilis, atque conſentiens. Interim quemadmodum qui circa ignem excitandum aliquamdiu occupatus, ob fumi vndiq. ſe ef-

Phantaſmata mentẽ diſtrahentia quatenus tolerãda.

fundentis molestiam, & lacrymas subinde ab oculis emanantes, desperans impatienter ab incæpto desistit, nullum colligit e suo labore emolumentum; nunquam enim flammam videbit, nec vllatenus calefiet: ita qui propter huiusmodi euagationum mentis difficultates à mentalis orationis instituto nimiùm deterretur, neque cum patienti fiducia in eo persistit, ad suaues meditationis fructus percipiendos, atque gustandos, nunquam poterit peruenire. Iuuerit etiam non parum ad frænandam pro illo tempore imaginationem, benè facta loci compositio, de qua fusè paulo inferius cum de præludijs agemus dicturi sumus.

CAPVT SEXTVM.

Qua ratione superetur secundum genus difficultatum in oratione interna.

1 SECVNDVM genus difficultatum dictum est, à Dæmonibus procurari, qui sicut nullum opus pium magis odisse videntur quàm orationem; ita nihil magis oppugnare contendunt, vt varijs antea testimonijs comprobatum est. Quibus aliud Ioannis Climaci nunc addimus, rem tanquam pro comperto habitam affirmantis: Dato signo ad orationem visibiliter congregari fratres, & simul inuisibiliter congregari Dæmones ad eos impugnandos, alijs immittendo soporem, oscitantiam, imaginariam corporis debilitatem, alijs euagationes mentis, species rerũ ridiculas, phantasmata indecentia. Quare tunc temporis illud dictum à sancto Paulo maximè verificari: *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus Principes, & Potestates, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus*, idest pro rebus cælestibus. Cum itaque sit oratio, sicut supra definitum est, ascensus quidã nostri spiritus à terrestribus ad cælestia, & vt pro eo tempore conuersatio nostra in cælis sit: quid mirum tanto conatu Dæmones opponere se ijs, qui illas arces Deo propitio inuadunt, vnde ipsi numine irato miserè ceciderunt? Ad huius rei confirmationem refert in sua Historia Sophronius, Monachum quendam cum ex suo strato nocturno tempore ad orandum surrexisset, insuetum buccinæ militaris sonitum audiuisse, quem cum secum admiraretur, benè sciens nihil in toto illo tractu solitudinis

Clim. grad. 8.

ad Ephes. vlt. 12.

Sophro in Prato spir. c. 152.

litudinis hostile versari, adfuisse Dæmonem vociferantem, decipi monachum existimando ibi esse omnia pacata, instare bellum non procul, & confligendum: quod si pacem habere cuperet, redeat cubitum, & negotium orationis relinquat. Dicebamus autem quatuor modis aduersarios Dæmones in hoc exercitio nos impugnare; duobus manifestis, & duobus occultis. Primus modus manifestus est, obijciendo se sensibus externis visibiliter spectabilem in aliqua specie formidabili, draconis, leonis, aut alterius portenti. Secundus obijciendo se similiter externis sensibus, sed in aliqua specie ridicula & iocosa. Qui duo modi apertæ vexationis, rariùs quàm alij duo occulti à Dæmonibus adhibentur, & fere non nisi contra milites Christi insigniores, qui nostris non indigent documentis: erit tamen perutile inuestigare primùm causas & rationes, cur Dæmones hostes nostri capitalissimi, non omnes, sed paucos huiusmodi apertis oppugnationibus aggrediantur; reliquos verò communiter vexationibus intimis & occultis: postea varia remedia tum generalia, tum particularia proferemus.

2 Tres autem occurrunt huius rei præcipuæ rationes. Prima est, quia viros magnæ probitatis ac sanctitatis, vel nullo modo, vel non tam facile propius aggredi, & intimè exagitare Dæmones possunt, propterea exterius tanquam in obsidione territando commorantur; sicut hostis, qui domum nullis portis, aut fenestris peruiam, sed bene vndique clausam, & munitam intrare se posse desperans, extra tantum minatur, furit, ac debacchatur. Atque hæc est ratio cur in illo asperrimo secessu ad orandum, & per quadraginta dies ieiunandum Saluatoris nostri, tentator quidem ad eum accessit, & forma spectabili ante eius conspectum se constituit, sed ibi substitit, nullo enim modo eius phantasiam propius inuadere, & indecentibus obiectis, aut speciebus maculare potuisset, ne dum intellectum, & voluntatem: neque fomitem, quo plane carebat, excitare, aut alios inordinatos affectus, vel passiones rationem anteuertentes. Quia diuini Verbi persona in custodia illius sacratissimæ humanitatis tam arcto vinculo hypostaticæ vnionis sibi coniuncta præueniri vllo inordinato motu, etiam si ex solo tantùm obiecto indecenti vlla ratione non potuit, sicut potest in alijs hominibus imperfectis; imò & perfectis, sed difficiliùs ob repressum magna ex parte fomitem, domitas passiones, & virtutes in anima confirmatas; atque adeo, sine spe aliqua eliciendi consensum, vnde mauult Dæmon exterius illudere, vt quando non potest cum vlla hominis

Cur Dæmones occultis potius, & internis, quia externis vexationibus impediant orãtes.

culpa, saltem cum aliqua pœna, & aperta molestia sentiatur. Et ita cum sanctis Antonio, Machario, Hilarione, & alijs se gessisse in eorum vita legimus, sicut etiam de Parente nostri ordinis Ignatio, scimus dæmonem ad se venientem in specie serpentis, bacillo quo nitebatur abegisse; & Beatum eiusdem ordinis iuuenem Stanislaum, ter Dæmonem aduentantem, veluti horribilem canem apertis faucibus, quasi ad deuorandum, signo salutiferæ crucis, semel, iterum, ac tertiò reiecisse. Altera ratio cur Dæmones huiusmodi spectris non omnes aggrediantur, est limitata Dei permissio, nisi enim ipse permittat, neque folium arboris excutere, neque se quicquam mouere Dæmon poterit; ne dum varias formas bestiarum, aut aliarum rerum visibilium induere, aëre miris modis condensato, virtute, & artificio superante, omnes vires naturæ corporeæ. Id autem non permittit Deus, vt in cuiusuis hominis conspectu operetur, ne debiles nimium exterreat, & in aliquod vitæ discrimen adducat. Testatur hoc de se ipsa sancta Catharina Senensis, quòd cum ei semel tantum quasi in ictu oculi horribilis fœditas & turpitudo Dæmonis se ostendisset, sola recordatione, quando iam portentum illud euanuerat, sic exhorruit, vt mallet iter longissimum per flammas, & ignes conficere, quàm amplius tale monstrum intueri. Est etiam tertia ratio, quia siue adsit, siue absit, libertas diuinæ permissionis, semper intentio Dæmonis fertur ad peiora, & ad maius nostrum detrimentum, quale est spirituale: hoc autem citiùs & facilius è propinquo assequitur, quàm à longe, & intra potius quàm extra nos oppugnando. Habet enim intra nos plura & aptiora ad nocendum instrumenta, complexionem, quam potest alterare, fomitem excitare, concupiscentias accendere, passiones commouere, phantasiam peruertere, & perturbare: atque ita sanctas cogitationes eripere, importunas & noxias subministrare. His malis remedia quæ subijcimus erunt adhibenda, primùm ex parte intellectus, deinde, ex parte nostri sensus: tertiò vtrinque simul, & ex vtraque parte.

Lib. Dialog. c. 38.

Remedia contra vexationes Dæmonũ, orantibus.

Psal. 90. 4.

3 Et quidem ante omnia remedium erit efficacissimum ex parte intellectus, firma diuinæ præsentiæ apprehensio, eiusque perpetuæ, & plusquam paternæ, ac maternæ assistentiæ viua consideratio, de qua in psalmo nonagesimo dicitur: *Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis. Scuto circumdabit te veritas eius: non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, &*

Dæmonio

Dæmonio meridiano. Siue igitur sis infante debilior, nisi te vitio diffidentiæ subtrahas, scapulis eius obumbraberis; siue pullo recenter nato infirmior tibi esse videaris, sub pennis eius sperabis; siue miles esse debeas armandus ad pugnam, præsto habes scutum, à quo circumquaque muniaris; siue occulta in tenebris sit tentatio, siue discrimen manifestum, siue paruum, siue magnum videatur esse periculum, quamdiu ab adiutorio Altissimi non recedimus, firma stat diuina promissio, securè ambulandi super aspidem, & basiliscum, & conculcandi leonem, & draconem; Dæmonem videlicet qualemcumque, licet aspide in nos crudeliorem, vel basilisco nocentiorem, vel leone fortiorem, vel denique dracone immaniorem. Hinc est quod Apostolus, vt ad eandem pugnam nos animaret, & quodammodo etiam armaret vbi ait; *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates*, hoc ipsum armorum genus specialiter commendauit, quod in psalmo scutum veritatis, ab ipso scutum fidei nominatur; *In omnibus*, inquit, *sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere*. Sunt enim quædam fidei certissimæ veritates, quæ si firmiter teneantur, multo melius, quàm scuto qualicumque, omni excluso timore, in hac spirituali pugna protegemur. Harum quatuor, quæ ad rem nostram faciunt, & erunt quasi quatuor huius scuti partes, breuiter indicabo. Prima est, nihil penitus contra nos posse Dæmones, nisi Deo totum id permittente: quantum autem ipse sit in hoc genere permissurus, sanctus Paulus nobis protestatus est cum dixit: *Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere*. Secunda veritas est: non solum ab vno Dæmone, sed neque ab omnibus simul liberum nostrum arbitrium, in suo volendi, vel nolendi actu pati posse violentiam: *Nulla*, inquit sanctus Bernardus, *ingeritur, nisi per voluntatem violentia voluntati*. *Ipsum verò velle*, ait sanctus Augustinus, *si volumus est, si nolumus non est: non enim vellemus, si nollemus*. Vt propterea dixerit alibi: non bene definiri nostram voluntatem, nisi dicatur; *est animi motus cogente nullo*. Vbi autem voluntas nostra non est; neque vlla nostra culpa esse potest. Tertia non minus certa veritas est: attenuatum quidem esse per peccatum nostrum liberum arbitrium, nequaquam tamen, vt Hæretici huius temporis mentiuntur, extinctum. Sed neque sic est attenuatum, vt non multo magis debilitatum sit in Dæmonibus, qui propterea sæpius irratio-

ad Ephes. vlt. 18.

1. Cor. 10. 13.

S. r. 9. in Psal. Qui habitat.

Lib. 5. de Ciu. cap. 10.

Lib. 1. Retrac. cap. 15 & lib. de duabus animabus contra Manich. cap. 16.

nabilium bestiarum nomine in sacris scripturis significantur: quia etiam ipsi, vt quod sunt profiteantur, belluinas induere formas, & in earum specie magis, quam in alia se ostentare delectantur. Quarta denique veritas in hoc consistit, vt intelligamus quantocumque Dæmones impetu, rabie, ac furoribus extrema nobis minitentur, & plurimum posse contra nos videantur; re ipsa tamen, si Dei gratiam attendamus, præsertim post Christi passionem, & mortem in lege Euangelica, valde parum esse quod possunt: sicut ipsimet inuiti, & magna significatione doloris fassi sunt aliquando post varias frustra illatas molestias sanctis Antonio, & Pachomio, quod in eorum vitis legi potest.

Alia pro eadē vexatione remedia.

4 Sed est aliud quoque remedium, ex eodem psalmo nonagesimo desumptum, vbi tam liberaliter Dei famulis, & amicis adiutorium Altissimi repromittitur, vt Dæmon ausus fuerit inde argumentum nimiæ confidentiæ, ac temeritatis assumere, cùm ad Christum Dominum, quem non nisi hominem suspicabatur, tentandum in desertum venisset, dicens: *Mitte te deorsum: scriptum est enim, Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis, in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* (Psal. 90. 11.) Nos vero nequaquam sic argumentabimur, sed attendendo etiam ijs, quæ statim sequuntur; *super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem*; ex his & superioribus verbis inferemus, & malum Dæmonem, & bonum Angelum non procul esse ab vno quoque nostrum: malum quidem, vt nobis varijs modis insidietur, & noceat tanquam aspis, draco, & basiliscus; bonum autem habere pias manus ad nos iuuandos extensas, vt eius ope Dæmonem pedibus nostris conculcemus, & proteramus. Quare in ipso orationis nostræ ingressu, siue præludijs, quæ postea exponentur, apprehendenda erit tum boni & Custodis Angeli ad dextram, tum mali, & tentatoris Dæmonis ad sinistram realis præsentia; illique post Deum bonum orationis successum, huic verò malum poterimus adscribere. Nam de bonis Angelis habemus in sacra Tobiæ historia testimonium Raphaëlis, dicentis; *Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino:* (Tob. 12. 12.) & in Apocalypsi legimus: *Ascendit fumus incensorum, de orationibus sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Dæmones autem orantibus frequenter assistere non inde colligimus, quod aliqui apud Cassianum velle videntur, singulis hominibus præter vnum bonum, alterum malum Angelum esse deputatum: valde enim incerta res est; & si de aliqua deputatione diuina intelligatur, valde fal-

Collat. 8. cap. 17. & collat. 13. c. 12. Orig. homil. 35. in Luc. lib. Past. Apocryph.

de falsa: sed quia nec ipsi sancti Angeli, multo minus maligni spiritus tantæ sunt virtutis, vt ad quamcumque distantiam, & vbi non sunt operentur. Recte igitur inde concludimus, eos ibi frequenter adesse, vbi suos noxios effectus varijs modis orantes inquietando frequenter operantur. Atque ex his duo quædam alia obseruanda deducimus, & in ipso nostræ orationis decursu per occasionem bene consideranda. Vnum est, quoties inter orandum negligentia & torpore superamur, toties contristari, si fieri posset, & confundi, nostrum bonum angelum; aduersarium verò exultare, & quodammodo circa nos tripudiare. Aliud est huic simile, non solum contristari custodem nostrum, sed etiam à longe stare, aut omnino recedere, tentatorem verò propius accedere, ibi confirmari, & inualescere, vt meritò lamentari cum propheta coram Deo illis verbis debeamus: *Qui iuxta me erant de longe steterunt, & vim faciebant, qui quærebant animum meam.* *Psal. 37. 12.*

5 Superest tertia, & postrema ratio obsistendi supradictis difficultatibus: ea verò est, attentè inuestigare, & scire discernere, vtrum à Dæmone, an per se à natura corrupta, sine alio tentatore ducant originem, & siquidem à naturæ prauitate, & corruptela esse deprehendātur, non alia remedia erunt adhibenda, quàm quæ capite proxime superiori sunt explicata. Sin autem potius à Dæmone immitti videantur, vlterius erit inquirendum, an pro instrumento nocendi nostris prauis inclinationibus, & malis habitibus abutantur, & tunc erunt huiusmodi instrumenta è manibus aduersarij subducenda, ipse verò aduersarius feruentiori ad Deum oratione reprimendus. *Etenim*, inquit sanctus Chrysost. *nos orantes facile Diabolum superabimus, cessantes verò, scelestum illum in nos instruimus:* præclarè quoque in hanc sententiam Seraphicus sanctus Bonauentura; *Feruens*, inquit, *oratio dissipat omne malum; ollæ bullienti muscæ non insident.* Quòd si quis vlterius quærat, quomodo poterit discerni, vtrum à Dæmonis malignitate, an à propria naturæ infirmitate procedat, orandi superueniens & insolita difficultas, is obseruare debebit, an sit aliquod naturale principium, vel nullum, aut non sufficiens ad illud incommodum nobis pariendum; si enim nullum prorsus, aut minimè ad id sufficiens esse intelligatur, vt si quis robustæ complexionis & bonarum virium, bene per noctem, expleta ordinaria somni mensura quieuerit, in matutina tamen oratione insolita somnolentia, & torpore grauiter tentetur, ita vt consuetam orationis horam nullo modo

Plura alia eiusdem mali remedia.

Lib. 2 de Orando Deum.

In speculo discip. lib. 1. c. 2.

explere se posse videatur, merito poterit suspicari non ex infirmitate naturæ, sed ex Dæmonis nequitia hoc impedimentum sibi prouenire, & propterea nulla ratione cedendum, sed constanter in oratione vsque ad finem persistendum.

CAPVT SEPTIMVM.

Qua ratione superetur tertium genus difficultatum in oratione interna.

Difficultas orationis internæ ex necessitate auxilij specialis. *Esther. 13. 9.*

1 HOc genus difficultatum, quod esse à Deo speciali eius prouidentia dicebamus, merito alicui videri poterit esse insuperabile: *voluntati enim eius quis resistit* ait sanctus Paulus: & alius verissimè cum Deo loquens, *non est*, ait, *qui tuæ possit resistere voluntati*. Præterea nota sunt, quæ magis in particulari de gratuito hoc dono orationis pluribus locis sanctus Paulus affirmauit; adeo vt totum hoc mentale nostri spiritus exercitium gratiæ sancti Spiritus in nobis sicut vult operantis tribuere videatur: ita enim ait in epistola ad Romanos, *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram; nam quid oremus sicut oportet nescimus; sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Qua ergo ratione poterimus, aut sciemus donum orationis dignè orando impetrare, nisi prius hoc ipsum à Deo nobis libera & gratuita sua voluntate tribuatur? Duæ autem potissimùm sunt causæ ab Apostolo indicatæ huius nostræ in orandi exercitio deficientiæ; infirmitas ex parte voluntatis, & ignorantia ex parte intellectus: Infirmitas tanta est, quod eodem Apostolo teste, *nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto*; idest inuocare pio cordis affectu Dominum Iesum, nisi cum auxilio speciali gratiæ spiritus Sancti. Et alibi similiter loquens de sanctis cogitationibus mente agitandis, sine quibus nulla vnquam erit oratio sicut oportet: *non sumus*, inquit, *sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est*. Tenebræ verò ignorantiæ sunt tales, vt profundæ noctis similitudine in Euangelio denotentur. Agens enim Christus Dominus de Spiritu Orationis & precum, assimilat illum hospiti nocturno à longe venienti, & media nocte excitanti amicum suum, qui agnita sua paupertate adeat amicum ditiorem, & dicat illi: *Amice accommoda*

ad Rom. 8. 26. — *1. Cor. 12. 3.* — *2. Cor. 3. 5.*

mihi

mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quid ponam ante illum. *Et quis est*, inquit sanctus Augustinus, *iste hospes, qui in nocte venit, & imparatum hospitem inuenit? in nocte venit hospes, gratia in summa ignorantia, in magna egentia superuenit orandi desiderium, flendi arripiens votum: illa hora hospes venit gratia, vt compungat conscientiam, ne in sua moriatur egentia, sed eat, & petat ad diuitem, non suis meritis, sed meritis hospitis venientis. Quicquid boni cogitauerit homo subito corde percussus, sciat quia hospes ille venit de cælo.* Hæc sanctus Augustinus. Ex quibus videtur omnino concludi, non posse fieri, vt hic hospes, qui est spiritus & donum orationis, è cælo à nobis aduocetur, nisi à se venire nobis non postulantibus, neque cogitantibus ipse voluerit. Quis enim illum aduocabit? num alia nostra præueniens oratio? sed etiam illa nisi veniat ex alto non poterit esse qualis oportet; ipsi enim quid oremus sicut oportet, nescimus; sed ipse spiritus postulat pro nobis. Qua etiam de re loquens sanctus Ioan. Chrysostomus; *Veruntamen*, inquit, *illud ausculta, supra vires hominis est, serere cum Deo colloquium, nisi adsit vis & actus spiritus Sancti.* Et paulo infra, *Postquam maius est hominis viribus sermonem miscere cum Deo, opus est gratia Spiritus, veniens in nos confirmet addatque fiduciam, & doceat nos honoris magnitudinem.* Ad hanc implicatam quæstionem pro instituto nostro explicandam supponere certo debemus, piè orandi spiritum donum esse cæleste, & vnum ex illis de quibus in sua epistola testatur sanctus Iacobus: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum.* Hoc enim adducta superius testimonia manifestè conuincunt. Sed habendum etiam pro certo, Deum cuius natura bonitas, liberalissimum esse suorum donorum dispensatorem; significauit hoc idem sanctus Iacobus in eadem epistola cum dixit: *si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter.* Præclarè quoque sanctus Augustinus in hanc sententiam: *suauis*, inquit, *Dominus, & mitis fratres charissimi; habet ianuam pietatis, nec repellit inde pulsantes, sed culpat potius negligentes; neque enim aliud petitur, quod non habeat, aut quod cum non dederit erubescat. Diues est & pius, affluens & benignus, dat, & non improperat; immo tunc thesauri domus eius tristitiam patiuntur, quando desunt delectabilia fastidia petitionum.* Inter illa verò data optima, & dona perfecta, quæ de sursum liberalissimus Deus affluenter emittit, sine dubio donum

orationis

Luc. 11. 5.
Serm. 171. de tempore.
Lib. 1. de oran. do Deum.
Iacob. 1. 17.
Iacob. 1. 5.
Serm. 171. de tempore.

orationis est numerandum; sic enim ipse per Prophetam Zachariam pollicetur: *Effundam super domum Dauid, & super habitatores Hierusalem spiritum gratiæ, & precum*; vbi per verbum effundendi, copiam doni cælestis, per domum Dauid, maiores Ecclesiæ, & pastores animarum, per habitatores Hierusalem cæteros Christi fideles esse intelligendos, sacri interpretes obseruarunt. Et sane cum tanta sit orationis necessitas, quam tam esse paulo ante demonstrauimus, tum ad finem propter quem creati sumus, tum ad media variarum virtutum ad eundem finem exequendum omnino requisita, Deus autem nunquam pro sua parte nobis desit in necessarijs, sequitur, nisi quid obstet ex parte nostra, nos hoc dono in aliquo saltem gradu non esse destituendos; neque quod omnino illo careamus fieri ex voluntate Dei antecedenti, vt vocant, qua *vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos:* Cuius delitiæ sunt, *esse cum filijs hominum:* sed esse ex voluntate Dei consequente, idest culpas aliquas nostras, & indignitates varias præsuppositas respiciente, quæ, vt quantum in nobis est cum diuina gratia remoueantur, hic iam supersunt examinandæ.

Zach. 10. 12. — *S. Paul. 1. ad Tim. 2. 4.* — *Ioan. 1. 9.* — *Matth. 5. 45.* — *Prou. 8. 31.*

Triplex ratio dissipādi nubem distractionum. *Thren. 3. 44.*

2 Ante alia vero impedimenta opponere se soli Iustitiæ maximè videtur nubes illa, de qua Hieremias in suis lamentationibus Deo dicebat: *Opposuisti nubem tibi, vt non transeat oratio.* Opponi autem dicitur à Deo huiusmodi nubes, vt habet rationem pœnæ iusto eius iudicio nobis inflictæ: nam vt habet rationem culpæ, à nobis ipsis est, & non aliunde; culpa igitur ex parte nostra sublata, facile tolletur & pœna. Tripliciter autem solent nubes, vt in hac similitudine persistamus, dissipari, primùm ex vehementia ventorum præsertim Aquilonarium, quibus sæpe videmus aërem obductum densis nubibus, & iam in pluuias erumpentibus repente omni ex parte discussis serenum apparere: ideo testatur Salomon in prouerbijs: *Ventus aquilo dissipat pluuias.* Est enim flatus vehemens atque perfrigidus, vnde materiam nubium concalefactam, & tepore veluti instrumento motus in altum sublatam, in momento quasi plumis expoliat, atque ita nubem dissipat ac dispergit. Hac ratione vbi in nobis humani affectus incaluerunt, & inde nebula terrenarum affectionum variarumque imperfectionum caligo incipit eleuari, nisi spiritu vehementi deuotionis cohibita refrigescat, ac depellatur, nu-

Prou. 25. 23.

tur, nubem inter nos & Deum constituit, ne transeat oratio; nempe sicut dicebat sanctus Gregorius, *vt mens nostra, quæ assidue cogitat hæc terrena quia vult, etiam iusto Dei iudicio tolleret in oratione illa quæ non vult*. Altera nubium dissipandi ratio, quam etiam sæpe videmus est, vt crassus ille vapor per suas partes in pluuiam dissoluatur; atque ita diffusus aperto purgatoque cælo quasi in nihilum redigatur. Hoc autem spiritualiter tunc contingit, cum materia culparum, atque imperfectionum nostrarum simul ante mentis oculos in vnum collecta, fletu contritionis, & piarum lacrymarum imbre diluimus, vnde optata mentis serenitas consequitur, & à via purgatiua ad illuminatiuam anima disponitur, quod à sancto Augustino, tanquam id totum in se experto didicimus, vbi initia & progressus conuersionis suæ in libris confessionum exponit, & qua ratione agere cum Deo varijs affectibus accensæ orationis incæperit. *Nempe*, inquit ipse, *vbi à fundo arcano alta consideratio contraxit, & congessit, totam miseriam meam in conspectu cordis mei, oborta est procella ingens ferens ingentem imbrem lacrymarum, & laxaui habenas lacrymis, & proruperunt flumina oculorum meorum acceptabile sacrificium tibi*. Tum fuse refert capite illo, & sequenti, qualia tunc didicerit, & incœperit habere cum anima sua, & cum Domino Deo colloquia. *Iam enim*, inquit, *liber erat animus meus à curis mordacibus, & garriebam tibi claritati meæ, & diuitijs meis, & saluti meæ Domino Deo meo*. Simile est etiam quod refert sanctus Hieronymus in Epistola quadam de se ipso, cum in vasta solitudine ad vacandum soli Deo moraretur, & recordatione rerum mundanarum à quiete contemplationis perturbaretur, solitum ad lacrymas confugere, ad gemitus, ad suspiria: *Nec prius*, ait se *à pectoris cessasse verberibus, quàm rediret Domino increpante tranquillitas*. Tertia ratio qua reddi cælum solet à nubibus perpurgatum, est ipsa regionis, & soli temperata constitutio, vnde crassi illi vapores ex quibus nubes coguntur, & coalescunt, non assurgunt, sicut fuisse in exordio Mundi tempore status innocentiæ sacra Scriptura significat, cum in libro Genesis ait: *Non enim pluerat Dominus Deus super terram; sed fons ascendebat e terra irrigans vniuersam superficiem terræ*. Quod etiam in Aegypto referunt euenire, vbi propterea, sicut Plato ait, nunquam visum est pluere, sed Nili inundatione terra illa certis temporibus irrigatur, & fœcundatur; atque hac perpetua cæli serenitate, Aegyptij inter alias nationes præcipuam laudem scientiæ astrorum, rerumq. cæle-

stium

Lib. 38. mor. c. 9.

Lib. 8. confess. c. vlt.

Epist. 22. ad Eustoch. Virg.

Gen. 2. 5.

ſtium adepti ſunt. Tales aliqui ſpeciali Dei gratia inueniuntur, qui mundum non tam reliquiſſe videntur, quàm nunquam agnouiſſe, ſortiti animam bonam, aſſueti ſemper viuere mundiſſima conſcientia, excluſis penitus ſæculi cogitationibus, & nebulis terrenarum curarum atque affectionum, quibus proinde tam eſt facile mentem ad Deum in oratione conuertere, & habere toto illo tempore collectiſſimam, ſicut eſt alijs procliue tunc diſtrahi, & ad alia omnia libera cogitatione diuagari.

Orationis impedimenta ex Dei quadruplici miſericordia quomodo remouenda, ſublata quadruplici noſtra miſeria.

3 Præter impedimentum huiuſmodi in pænam noſtrarum culparum, ex Diuina Iuſtitia proueniens modis prædictis ſuperandum, eſt aliud quoque non inſuperabile, quamuis videatur ex firmiori Dei voluntate ac decreto, iuxta attributum infinitæ eius bonitatis, & multiplicis miſericordiæ procedere. Quare vt huius quoque impedimenti remouendi propria ratio intelligatur, ſtatuendum eſt, quatuor potiſſimùm de cauſis Deum ſummè, & infinitè miſericordem hominibus imperfectis proſperum orationis ſucceſſum impedire. Primùm, ne in ſuperbiam extollantur, ne ſibi nimis placeant, ſeque Deo ſupra cæteros eſſe charos & pretioſos exiſtiment, ne alios contemnant, alijs ſe anteponant, denique ne putent ſe aliquid eſſe à ſe ipſis, cum nihil ſint, & quia Deus intelligit hanc animi elationem, & cordis vanitatem multo eſſe nobis pernicioſiorem, quàm ariditatem & deuotionis indigentiam, in hac ſpirituali paupertate nos miſericorditer derelinquit, ne in maiores illas miſerias culpabilius incidamus. Proprium igitur huius mali remedium aliud non erit, quàm profundiſſima cordis humilitas, ardenter deſiderata, feruenter à Deo poſtulata, diligenter varijs actibus internis atque externis procurata, quæſita, & adepta. Hac profunda cordis humilitate, quia ſæpe carent incipientes, non enim fere norunt eſſe humiles, niſi ex malo rerum ſucceſſu, quæ potius quædam eſt puſillanimitas; ideo paucis contingit donum perfectæ orationis, in initijs præſertim vitæ ſpiritualis, aut etiam in progreſſu. Sæpe ſiquidem humiliari magis indigent, quàm ſuauiter & deliciosè à Deo tractari, familiariter viſitari, & dulciter conſolari. Sicut prudens pater iudicat non expedire filium tenerioris ætatis non ſatis compoſitis moribus, & ad leuitates natura propenſum, nimis læto vultu aſpicere, & blande tractare, ne magis inſolens, & ad ineptias incitatior efficiatur. Secundò, aliud quoque graue incommodum miſericors Deus intendit ab homine remouere, ne videlicet iudicio proprio nimium reddatur addictus, & abundare in ſenſu ſuo aſſueſcat, quod non paucis,

cis, qui sibi hoc donum benè meditandi, & intimè cum Deo agendi tribuebant experientia docuit contigisse, identidem illud Apostoli male vsurpantibus: *Puto quod & ego Spiritum Dei habeam.* Quam verò id censeri debeat in via spirituali perniciosum Climacus & Cassianus, vt alios omittam, præclare docuerunt: loquens enim de hac proprij iudicij tenacitate Ioannes Climacus in gradu de obedientia: *Vnus*, inquit, *in via Dei latet error, quem Græci* ἰδιορυθμίαν *dicerent*. Quod clarius expressit Ioan. Cassianus cum dixit; *Nullo alio vitio tam præcipitem Diabolus monachū pertrahit, ac perducit ad mortem, quàm cum neglectis seniorum consilijs, suo iudicio persuaserit definitionique confidere*. Qui ergo donum perfectæ contemplationis obtinere desiderat, perfectæ obedientiæ, & submissionis iudicij proprij nunquam obliuiscatur. Tertia quoque in hoc genere diuina misericordia reputari debet pati potius in nobis iacturam bonæ orationis, quàm ordinatæ charitatis: facile enim contingit, vt contemplationis dulcedine degustata dicatur cum sancto Petro: *Bonum est nos hic esse*: neque quid melius sit & Deo gratius attendatur, vnde propterea plures non mœrentur cum illa desponsata Deo anima in cellam vinariam spiritualiter introduci, ne vbi maxime ordinanda esset charitas, ipsorum culpa deordinetur. Quare author quidam pius & eruditus in eam venit sententiam de ipso Salomone, qui hæc de ordinanda charitate scripsit in sacris Canticis, & in Prouerbijs admonuit: *Mel inuenisti, comede quod sufficit tibi; ne forte satiatus euomas illud*; initium suæ spiritualis ruinæ inde traxisse, quòd nescierit sibi à spiritualibus delicijs temperare. Dicit enim Scriptura: *Dedit quoque Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis quasi arenam, quæ est in littore maris.* Vnde factum est, vt delicijs primùm internis & spiritualibus, quibus cum tanta cælesti sapientia quasi mare circumfluebat, nimium immersus, cœperit dare manus etiam delicijs sensualibus, & neglectis primum solidioribus virtutibus, deinde ordine charitatis, tum Dei, tum proximorum perturbato, in profundum malorum deuenit: vnde emerserit ne aliquando, non satis habetur exploratum. Quartò paterna erga nos Dei prouidentia, eò pertingit, vt ne vita nostra corporalis, vires, & bona valetudo notabile detrimentum patiatur, malit ipse subtrahere suas visitationes, ne obliti mortalis nostræ conditionis, & quia *habemus thesaurum istum in vasis fictilibus*, diuturnioris obsequij Dei, & meriti amplioris iacturam breui tempore faciamus. Hoc impedimen-

1. Cor. 7. 40.

Clim. gr. 4. de obedientia. idest, sui met regimen. Cass. collat. 2. c. 11.

Cant. 2. 4.

Seraphin. Firmanus lib. de aurea discretione. c. 3. Cant. 2. 4. Prou. 25. 16. 3. Reg. 4. 29.

2. Cor. 4. 7.

dimentum virtus diſcretionis tanquam omnium auriga virtutum declinabit: ipſius enim munus eſt, rectum omnium virtutum vſum præſcribere, omnia extrema deuitare, quæ inter ſe pugnare videntur virtutes conciliare, illarum denique perfectã eſſe normam, & libramentum. Quia tamen vix ea præditi eſſe poſſunt incipientes, ad ſecundum ſupra expoſitum remedium ſubiectionis iudicij, & perfectæ obedientiæ tanto magis erit illis confugiendũ, quanto ardentiori deſiderio tenebuntur in hoc ſtudio internæ orationis, & contemplationis dono proficiendi.

Quomodo ſit intelligendũ, Orationis donũ in aliquo gradu nemini negari.

4 Poſtremo illud quoque diligẽter eſt obſeruandum, Deum quidem eſſe pro ſua parte paratiſſimum omnibus impertiri donum orationis, ſaltem vt initio diximus, in aliquo gradu: non enim omnibus dare vult æqualiter, aut in ſummo, quod pertinet ad ipſius prouidentiam, ſicut ad ipſius iuſtitiam propter noſtras culpas auferre, aut ob varias noſtras miſerias pro ſua miſericordia temperare. Quare oportet diſtinguere in re noſtra tres gradus, ſiue differentias orationis: Prima eſt vocalis: Secunda mentalis, quæ dicitur Meditatio: Tertia vero omnium perfectior contemplatio. Et quod ad primam attinet, nulla eſt dubitatio, nemini fidelium, qui ad vſum rationis peruenerit, Deum in ea defuturum, non ſolum quà naturæ author eſt, vt aliquæ vocales preces cum interiori mentis operatione, & animi ſenſu cum libuerit proferantur; ſed etiam quatenus author eſt gratiæ, vt piæ, & ſanctæ cogitationes, niſi mala hominis volũtas obſtiterit, de ipſo Deo, & rebus diuinis concipiantur, & vt difficultates variæ, quæ in obſeruatione mandatorum occurrunt per inuocationem ſanctiſſimi eius nominis ſuperentur: eſt enim, vt veriſſimum, ita generaliſſimum illud ſancti Auguſtini pronunciatum, ab Oecumenicis quoque Concilijs in eandem ſententiam vſurpatum: *Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo admonet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adiuuat vt poſſis.* Cæterum loquendo de ſecunda orationis differentia, quam communiter Meditationem appellamus, & multo magis de tertia, quæ dicitur contemplatio, inueniuntur aliqui adeo natura ſua rudes, & obtuſæ mẽtis, vt ad eam interius longo tempore continuandam opus eſſe pro ipſis miraculo videatur, non minus quàm vt infantes in oratione vocali exerceãtur. Qui ergo tam ſunt hebetes, ſimplici oratione vocali debebũt eſſe contenti, adiunctis pijs illis cogitationibus, quæ interruptè in eorum cordibus excitabũtur, ſiue ex audito Dei verbo, ſiue ex viſis Eccleſiæ ſacris cæremonijs, imaginibus, bonis piorũ exem-

Lib. de nat. et gratia: c. 43. Concil. Trid. ſeſſ. 6. c. 11.

plis,

plis, atque alijs internis à Deo per interualla immissis inspirationibus. Reliqui omnes, quòd gratiam bene meditandi nunquam aut raro experiātur, suæ imputent in schola spiritus negligentiæ. Vt nihil interim dicam de dono perfectæ contemplationis, quod non esse omnium, etiamsi iustorum & electorum, fateri necesse est; sed proprium eorum, qui se in meditationis studio diligenter exercuerunt, & ad vlteriorem agendi cum Deo familiaritatē, ac fœlicitatem specialiter vocantur; de quibus postea suo loco.

CAPVT OCTAVVM.

De quatuor generalibus adiumentis pro dono internæ orationis obtinendo.

1 TEMPVS iam esset, vt explicata orationis vtilitate, necessitate, excellentia, difficultatibus, & modis eas superandi, accederemus ad ipsam orationē per suas partes declarādam; quod in capite proximè sequenti diuino auxilio aggrediemur. Hic autem operæ pretium me facturum existimaui, si ex ijs quæ hactenus septem capitibus dicta sunt, quasi per modum recapitulationis, quatuor generalia adiumenta perstringerem, & expressiori quadam ratione (vt potero) magis practicè proponerem ad hoc donum à Deo tandem aliquando obtinendum. Sit igitur primum adiumentum, concipere de illo magnum, firmum, insatiabile desiderium: huc enim spectabant ea quæ primo loco dicta sunt, de vtilitate, necessitate, præstantia huius exercitij; ea namque mente tantùm perlustrasse minimè sufficiet, nisi ex illorum cognitione vehemens in nostra voluntate tanti boni cupiditas accendatur. Vnde Scriptura sacra, non solùm in pluribus locis orationem ipsam nobis maximè commendauit, vt hactenus ostensum est, verùm etiam ad magnum desiderium in eo studio valde proficiendi sæpius nos adhortatur. Idque sub nomine acquisitionis sapientiæ, per varias similitudines & exempla humanarum cupiditatum, quarum illæ sunt omnium vehementissimæ à sancto Ioanne in sua prima epistola recensitæ: *Concupiscentia carnis*, idest sensualium voluptatum; *concupiscentia oculorum*, idest opum ac diuitiarum; *& superbia vitæ*, idest mundi honorum, & dignitatum. Et de prima, nempe voluptatum concupiscentia, ad rem

Primū adiumentum est, ardens huius doni desiderium.

Ioan. 2 16.

ad rem noſtram ſimilitudine tranſlata, ſic loquitur ſapiens in libro ſapientiæ: *Hanc amaui, & exquiſiui à iuuentute mea; & quæſiui ſponſam mihi eam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius*. Indicat autem ſtatim verbis ſequentibus, de cuius ſapientiæ concupiſcentia loqueretur, nempe de illa quæ propter intimam cum Deo conuerſationem, eſt generoſiſſima, Deo familiariſſima, & nobiliſſima, ſpeculatrix ſublimium operum illius, magiſtra morum & diſciplinæ, profectò non alia quàm noſtra myſtica Theologia. Sic enim de illa Salomon ſtatim adiungit: *Generoſitatem illius glorificat contubernium habens Dei: ſed & omnium Dominus dilexit illam: doctrix enim eſt diſciplinæ, & electrix operum illius*. In huius quoque rei figuram Iacob Patriarcha pro ſpecioſa Rachele in coniugem obtinēda, quæ ſymbolum fuit vitæ contemplatiuæ, ſeptem, & iterum ſeptem ſeruiuit annis, *& videbantur illi* (ait diuina Scriptura) *dies pauci, præ amoris magnitudine*. Et ſanè quò non rapiuntur mortales cupiditate huiuſmodi voluptatum? in quæ non incidunt miſerè obcæcati pericula famæ, honoris, facultatum, valetudinis, ac vitæ? ſæpe etiam neglectis humanis diuinisq. legibus, bonorum omnium futurorum, & æternorum? Quàm igitur ardens deberet eſſe noſtra cupido ſpiritualium huiuſmodi voluptatum, & cæleſtium deliciarum, quibus nullis ſe homo exponit periculis, ſed eripit propemodum infinitis, & ſempiternis? Iam verò de cupiditate diuitiarum ad noſtrum inſtitutum translata ſimilitudine in eodem ſapientiæ libro ſic loquitur Salomon: *Et ſi diuitiæ appetuntur in vita, quid ſapientia locupletius? quæ operatur omnia*, & addit in Prouerbijs: *Si quæſieris eam quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effodies illam: tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei inuenies. Sed neſcit homo pretium eius* (dicebat ſanctus Iob:) ipſe verò ſupra humanam ſe attollens conditionem, quanti eam faceret, & duceret faciendam, ſtatim his verbis exponit: *Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius; non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi ſardonycho precioſiſſimo, vel ſapphiro. Non adæquabitur topazius de Aethiopia, nec tincturæ mundiſſimæ componetur*. De tertio verò genere humanæ cupiditatis, qua tantopere ambitioſi aulas frequentant, & principum venantur gratiam ac fauores, ſimilitudine ad rem noſtram deducta, ſic loquitur, eadem Diuina ſapientia; *Beatus homo qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem*

Marginal references: *Sap. 8.2.* — *Gen. 28.20.* — *Sap. 8.5.* — *Prou. 2.4.* — *Iob. 28.13.* — *Prou. 8.34.*

lutem à Domino. Addit in eodem capite, ſuas delicias eſſe cum filijs hominum; *& qui mane*, inquit, *vigilant ad me, inuenient me: Mecum ſunt diuitiæ & gloria, & opes ſuperbæ*. Quis ergo ſi generoſæ ſit mentis non facile poſthabita vaniſſima ambitione, hoc vno omnium honeſtiſſimo deſiderio teneatur, conſuetudinis videlicet, ac familiaritatis tam dignæ, tam honorificæ, tam ſublimis? Sed addamus etiam quartum humani cordis deſiderium, quò naturalius, eò vehementius, de quo Philoſophus ait, *omnis homo natura ſcire deſiderat*, ad quod aliqua ex parte leniendum, neque enim expleri poteſt in hac vita, quot labores ſiue ſponte, ſiue coactè mortales non ſuſcipiunt? à pueritia per adoleſcentiam, & iuuentutem, tot diurnis nocturniſque horis, vt legere primùm diſcant, & ſcribere; deinde loqui, emendatè, & eleganter; ætas verò prouectior nullum habet addiſcendi terminum circa ſcientias altiores, ſicut neque huius deſiderij explendi modum. Sed quod amplius dolendum eſt, illud Apoſtoli de multis dici veriſſimè poteſt: *Semper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis peruenientes*. Quia nimirùm ad fontem primæ veritatis, & ſupremæ ſapientiæ limpidiſſimum recto tramite minimè progrediuntur, ſcholam internæ orationis nunquam ingrediuntur, nec agere cum cæleſti magiſtro meditando, & contemplando didicerunt. Vbi verò ſit hæc ſchola, vbi magiſter quærendus; vnde, & à quo fonte fluat huiuſmodi ſapientia, docent nos oracula diuina. *Fons ſapientiæ* (ait Eccleſiaſtes) *verbum Dei in excelſis, & ingreſſus illius mandata æterna*. Hanc viam regiam propheta regius ingrediebatur, & monſtrabat, cum diceret de ſeipſo: *Meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi, & leuaui manus meas ad mandata tua quæ dilexi*: & beatum virum illum prædicabat, *qui in lege Domini meditabitur die, ac nocte*.

1. Metap. ca. — *2. ad Timot. 3. 7.* — *Eccleſ. c. 1.* — *Pſal. 118. 47* — *Pſal. 1. 2.*

2 Secundum adiumentum ad gratiam & donum bene meditandi conſequendum, vbi maximum de illo deſiderium conceperimus, erit inuicta quædam animi fortitudo cum tribus eius adiutricibus virtutibus Patientia, Conſtantia, & Perſeuerantia: atque huc ſpectabant, quæ ſecundo loco de triplici genere difficultatum ſuperando in hoc orationis exercitio fusè ſunt explicata. Refertur in ſacra Regum hiſtoria, fortiſſimum Dauidem poſt varia cum Philiſtæis commiſſa certamina, & obtentas victorias, aliquādo fatigatum, aquam deſideraſſe de ciſterna Bethleemitica; O *ſi quis daret mihi potum aquæ*, dicebat militibus audientibus, *de ciſterna, quæ eſt in Bethleem iuxta portam?*

Secundū adiumentum animi fortitudo, cum patiētia, conſtantia, & perſeuerātia.

2. Reg. 23. 16

tunc surrexerunt tres viri omnium fortissimi, & robustissimi, qui facta irruptione in castra Philistinorum. hauserunt aquam de cisterna Bethleem, quæ erat iuxta portam ab hostibus obsessam, & potum ex ea Dauidi obtulerunt. Aqua profectò purissima, limpidissima, & saluberrima animæ sitienti est diuina Contemplatio: hanc à longè prospexisse, vel etiam ardenti siti concupiuisse non est satis, prope quæri debet inter varias, quibus est circumsepta, difficultates; id autem sine animi fortitudine fieri non potest. Vbi enim nos ad agendum cum Deo conferimus non per castra Philistinorum transire, sed, vt supra ostendimus, Dæmonum aliquando irrumpere acies necesse est. Imò verò interdum etiam cum ipso Deo Omniputente amica quidem sed forti contentione certandum erit; sicut per luctam Iacob patriarchæ cum Angelo Dei personam gerente significatum fuit, cum in extorquenda benedictione perstaret dicens: *Non dimittam te nisi benedixeris mihi*. Vnde audiuit sibi à Deo dictum: *nequaquam Iacob appellabitur nomen tuū, sed Israel: quoniam si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines præualebis?* Moysi quoque oranti & supplicanti, scimus à Deo similiter fuisse dictum; *Dimitte me, vt irascatur furor meus*; Audebat etiam simili contentione, delicatior illa protestari: *Tenui eum, nec dimittam*. Cæterum quia virtus ipsa fortitudinis in perferendis molestijs occupata speciali nomine Patientia appellatur: quatenus verò illarum varietati non cedit, est ipsa Constantia; & vt earum diuturnitate non frangitur, Perseuerātia nominatur, ideo diximus tres comites, & adiutrices virtuti fortitudinis in hoc exercitio esse adiungendas; & in primis Patientiam contra tædia, & molestias, quæ aliquando tantæ sunt, vt non solum ab ipso exercitio orationis, verum etiam ab instituto vitæ spiritualis non benè in ea fundatos absterreant. Quare ab hac tam graui tentatione Saluator noster exemplo suæ inuictissimæ patientiæ, & insuperabilis fortitudinis voluit nos reuocare, cum inter orandum in horto Gethsemani tædio, & agonia tali correptus fuit, qualem nullus vnquam alius expertus est, nec experietur aliquando, vt verbis illis afflictissimis ipsemet exposuit; *Tristis est anima mea vsque ad mortem*, & prodigioso sudore sanguineo confirmauit; & tamen, ait Euangelista; *factus in agonia prolixius orabat*. Secundò addenda est Patientiæ Constantia, quæ non apparet, vbi nulla, vel vnica tantum & simplex est difficultas: sed vbi multiplices se offerunt, & variæ. Hac ratione virtus periti nauarchi, & in clauo regendo Constantia, non

Gen. 32. 24. Exod. 32. 10. Cant. 3. 4. Matt. 26. 38.

non in malacia, & tranquillitate cognoſcitur, ſed in tempeſtate, toto turbato mari, ventis vndequaque frementibus, fluctibus, vndisq. omni ex parte furentibus. Tertiò addenda Conſtantiæ Perſeuerantia contra tædia, & moleſtias diuturnas, vt hac ratione viuum noſtri Redemptoris exemplum ex parte aliqua, & pro noſtro modulo imitemur, qui in ſumma cordis triſtitia, & agonia conſtitutus, prolixius orando perſeuerabat. Hinc eſt quod huius artis ſpirituales Magiſtri nos admonent, vt vbi quis de tempore orationis cõſueto detrahere, vel à Dæmone, vel ab alia moleſtia tentaretur, potius animo obfirmato addere aliquid debeat ſupra conſuetum. Etenim cum mens orantis in exercitio tam præſtanti ſuauiter eſt occupata, quis non modo ſanctorum, aut perfectorum, ſed quantumuis imperfectorum, & peccatorũ non diutius perduraret? Neque eſt, quod aliquis dicat, meditationem aliàs ſapidam, & cum ſenſu pietatis exercitã, nunc adeo inſulſam, & inſipidam, videri hoc tempore decurtandam, vel omnino relinquendam, & in aliud tempus opportunius differendam. Meminiſſe enim oportet, præſente Chriſto Domino in nuptijs corporalibus, vino conuiuij ex toto deficiente, iuſſos fuiſſe miniſtros implere hydrias aqua: *& impleuerunt eas*, inquit Euãgeliſta, *vſque ad ſummum*: vnde factum eſt, vt tota illa aqua in optimum vinum repente conuerteretur. Aderit & nobis benigniſſimus Dominus, licet vino deuotionis ex noſtra parte deficiente, nec erit illi difficile, totam inſufficiẽtiæ noſtræ aquam, ſi in ea, vt poſſumus, exhibenda non fuerimus illiberales, conuertere in pretioſum vinum piæ deuotionis, & meriti amplioris. *Ioan. 2. 7.*

3 Tertium generale adiumentum eſt ſpes, in hoc ſpirituali exercitio Dei gratia proficiendi; ſine qua ſpe fortitudo cũ ſuis adiutricibus Patientia, Conſtãtia, Perſeuerantia non poterit vlla ratione conſiſtere. *Si deſperaueris*, ait ſapiens in prouerbijs, *laſſus in die anguſtiæ, imminuetur fortitudo tua*. Atque hoc erat quod antea perſuadere intẽdebamus, vbi omnia genera difficultatum per ſua capita examinauimus, quæ ſolent meditãtibus ſe opponere, ſiue ex parte noſtra, ſiue ex parte Dæmonum, ſiue etiã ex Dei Iuſtitia, vel ſpeciali eius prouidentia: & rationes, ac modos varios, eas difficultates ſuperandi propoſuimus; vt nimirum ſpem maximam hæc omnia cum diuino auxilio vincendi conciperemus. Inde enim plurimis ſolet accidere, vt hac ſpe in dies illis decreſcente, animi quoque contentio minuatur, & quidam ſuccedat in orando languor, qui negligẽtibus quotidie reddi videtur inſanabilior. *Propterea*, inquit ſanctus Auguſtinus, *multi* Tertiũ adiumentum ſpes, & confidẽtia in Deum. *Prou. 24. 10.*

In Psalm.65. circa finem. *languescunt in orando, & in nouitate suæ conuersionis feruenter orant, postea languide, postea frigide, postea negligenter.* Quia videlicet subtrahente se diuinæ gratiæ nostra cooperatione, ac diligentia, etiã se nobis subtrahit ipsa gratia, & quotidiana mali successus experientia in orando, modum conuenientem, quia nõ quærimus, non inuenimus, & inuenire amplius nos posse diffidimus. Sed considerare diligenter oportet hanc esse Dei consuetudinem, vt suorum dilatione donorum, nostram exerceat in expectatione constantiam, fiduciam probet, & cõpenset doni magnitudine tarditatem. *Gen.15.4.* Abrahæ promiserat Deus filium Isaac se daturum, & rem distulit vsque ad suam sterilem, vxorisq. senectutem: *ad Rom.4.18* *vt*, sicut Apostolus dixit, *contra spem in spem crederet:* & tãdem natus est Isaac, idest, vt interpretantur, risus: à quo lætitia, & benedictio omnium gentium traheretur. Noë similiter à Deo promissionem accepit, futurum, vt orbi terrarum immisso diluuio vniuersali, ipse cum paucis fauore, & beneficio singulari conseruaretur, ad totius postea humani generis propagationẽ, iussus propterea cum quingentorum esset annorum in ingentis nauigij formam, arcam sibi exædificare. Et ab inchoato illo opificio in expectatione futuri diluuij, centũ anni præterierunt, mortalibus non solum mirantibus, sed etiam irridentibus, tanquam insanam illius arcæ substructionem: quousque annus vitæ Noë sexcentesimus non fuisse vanam illam expectationem, nec laborem frustra susceptũ omnibus declarauit. Nam (vt ait Salomon *Sap.14.6.* in libro sapientiæ) *cum perirent superbi Gigantes, spes orbis terrarum ad ratem confugiens, remisit sæculo semen natiuitatis.* Non est autem hoc loco prætermittendum, spem ac fiduciam de qua loquimur non tam esse collocandam in humanis viribus, vel naturæ subsidijs, quã in diuina misericordia, liberalitate, & gratiæ cælestis auxilijs ab illo de sursum venientibus, qui sicut dicitur *Iacob.1.17.* in epistola sancti Iacobi, *pater est luminum;* & vt ait Iob, *in ma-* *Iob.36.32.* *nibus abscõdit lucem, & præcipit ei, vt rursus adueniat. Annunciat de ea amico suo, quod possessio eius sit, & ad eam possit ascendere.* Abscondit autem nobis manibus suæ prouidentiæ lucem Contemplationis Deus, vt quam simus sine eius lumine tenebrosi, bene antea cognoscamus, quod vbi nobis cœpit innotescere, & quasi à profundioribus tenebris incœpimus liberari, *Nel camino di perfettione c.17. & Ribera in vita, lib. 4. cap. 2.* tunc ei præcipit, vt adueniat, & spem amicis suis de illius aduentu, quamuis tardiori facit. Testatur hoc de se ipsa Virgo sanctitatis nostro tempore admirabilis B. Theresia, quod hoc donum benè meditandi, per annos quatuordecim, & amplius

plius expectauerit. Et addit toto illo tempore nonnisi lectitando aliquem libellum spiritualem fouere per interualla pias aliquas cogitationes orando potuisse, sed illuxisse tandem aliquando lætiores contemplationis dies, qui quales fuerint, ex reliquo sanctissimæ eius vitæ progressu, & ex tractatibus de hac ipsa bene orandi materia, ab ea conscriptis facile intelligitur. Simile est, quod etiam de insigni viro Balthassare Aluarez refert in eius vita Ludouicus de Ponte, illum per annos sexdecim donum contemplationis à Deo postulasse, & expectasse: & tandem in excellenti gradu obtinuisse. *In vita Balthas. Alua. cap. 14.*

4 Quartum denique efficacissimum adiumentum, ad hanc ipsam contemplationis gratiam impetrandam aliud non est, quàm, vt dicere incæpimus, oratio, & frequens à Deo postulatio, vt ipse doceat nos orare. Sicut enim nulla melior, nulla propinquior dispositio ad calorem inuenitur, quam ipsemet calor: primus videlicet gradus caloris ad secundum, & hic secundus ad tertiũ, atque ita deinceps: ita nulla ratio conuenientior impetrandi à Deo hoc, quod est bene orare, & scire cum Deo dignè conuersari, quàm orando sicut scimus, & possumus, id ipsum, vt semper melius faciamus, quotidie magno affectu postulare. Viderant aliquando Apostoli, sicut refert in Euangelio sanctus Lucas, Christum Dominum orationi quodam loco intentissimè vacantem, vbi verò finem orandi fecisset vnus ex ipsis accedens illum interrogauit: *Domine doce nos orare sicut docuit & Ioannes discipulos suos.* Tunc pro responso Saluator quatuor ad rem nostram maximè accommodata, & obseruatione digna subiecit. In primis enim desiderium quod exemplo suo in illis excitauerat tradita forma dominicæ orationis adimpleuit. Secundò docuit illos exemplo hospitis de nocte venientis ad amicum suum, & pulsare ianuam eius perseuerantis, animi fortitudinem, constantiam, & in orando perseuerantiam. Tertiò spem illis accendit maximam impetrandi, quæ à Deo, cum hac orandi perseuerantia postulassent; *Et ego*, inquit, *dico vobis; petite, & dabitur vobis; quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis: Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur.* Quarto verò loco, quartum similiter, quod iam proposuimus adiumentum de orationis dono, & spiritu precum à Deo frequenter postulando, illis commendauit dicens: *Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis, pater vester de cælo dabit Spiritum bonum petentibus se.* Quis autem sit hic Spiritus, Apostolus videtur nobis interpretari cum

Quartũ adiumentum, est ipsamet oratio.

Luc. 11. 1.

Luc. 11.

Ad Rom. 8. 26. ait: *spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Nam quid oremus sicut oportet nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, vel sicut legit sanctus Augustinus, *interpellat pro nobis. Quid est autem, interpellat*, inquit ipse in episto- *Ep. 105. ad Sixtum.* la ad Sixtum, *nisi interpellare nos facit? Indigentis enim est inditium certissimum, interpellare gemitibus: nullius autem rei esse indigentem, fas est credere Spiritum sanctum. Sed ita dictum est, interpellat, quia interpellare nos facit, & gemendi inspirat affectum. Sicut illud in Euangelio: non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis.* Hæc sanctus Augustinus. Concepto igitur de hoc spiritu bonæ orationis, & sanctæ contemplationis ardentissimo desiderio; tanquam pro primo adiumento, & gradu ad eius acquisitionem; deinde magna in diuino fauore fiducia collocata, in eaque spe animo fortiter obfirmato, si piè postulare perseuerauerimus: sine dubio is qui tantopere, vt peteremus est adhortatus, qui tam sæpe, & tam liberaliter promisit, qui mentiri nullo modo potest, dabit tandem aliquando hunc Spiritum bonum petentibus se.

CAPVT NONVM.

De octo exequendis in meditatione.

Oratio mentalis est mysticum sacrificiū Deo acceptissimum.

1 AGGREDIMVR iam praxim ipsam orationis internæ, siue meditationis per suas partes exponere, quæ quia valde multa complectitur, ne tractationis prolixitas, & expectatio subsequentium, minus facilem reddat intelligentiam antecedentium, ponemus hoc loco veluti quandam adumbrationem, & totius huius exercitij quasi primam delineationem, breuiter exponendo octo in meditatione communiter exequenda, quæ suis postea coloribus magis in sequentibus exprimentur. Supponere itaque ante omnia debemus, orationem internam, esse quoddam spirituale, & mysticum sacrificium, quo mens nostra igne charitatis supra cordis aram succensa, Deo in odorem suauitatis se offert, suaque vota, & desideria, iuxta id quod à Deo Propheta postulabat dicens: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo Domine: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* *Psal. 140. 2.* Quod genus sacrificij ex materia conficiebatur præciosissima varijs commixta pulueribus aromaticis, maximè odoriferis; & in suprema,

prema, ac nobiliori templi parte ante sancta sanctorum non tantùm per minores, sed etiam per summum sacerdotem offerebatur. Quia nimirum meditatio constare debet ex internis variarum virtutum actibus, pijs affectibus, & eleuatis in Deum cogitationibus, prodeuntibus ex animi nostri, qui templum debet esse Spiritus sancti, secundum Apostolum, nobiliori, & suprema parte, æternis videlicet intenta rationibus, opera, & meritis summi sacerdotis Christi Redemptoris; sine quo eleuari ad Deum vlla nostra oratio, vel operatio non potest. Et quamuis mysticum hoc precum sacrificium, figuratè solùm & impropriè sic appelletur, quemadmodum neque charitas ignis, neque quicumque orat Sacerdos, aut ex eo quòd orat, sacrificans propriè dici potest, multò tamen gratius Deo id esse, quam essent antiqua illa siue thuris, siue animalium sacrificia manifesta constat ratione, & diuino testimonio comprobatur; Vnde dicebat Dauid; *quoniam si voluisses sacrificium dedissem vtique: holocaustis non delectaberis.* Et statim subdit quodnam sacrificium Deo sit gratius, & acceptabilius: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.* Quàm etiam facilè Deus illa huic collata despiceret, in alio psalmo testatur, cum ait: *Nunquid manducabo carnes taurorum; aut sanguinem hircorum potabo? immola Deo sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua:* Quæ non ideo dicuntur quasi essent illa sacrificia ex se mala, cum ab ipsomet Deo tales ritus, & ceremonias præscribente offerri mandarentur: sed quia sine affectu cordis, & deuotis supplicationibus, nihil apud Deum valuissent.

1. Cor. 6. 16.

Psal. 50. 18.

Psal. 49. 13.

2 Cum igitur tam multa in antiquis illis sacrificijs minus Deo gratis à veteribus exhiberentur, nos in lege gratiæ pro sacrificio meliori, non minora, nec pauciora præstare debebimus. Erant autem octo potissimum, quæ fiebant in veteribus sacrificijs. Primùm, ligna ex aliqua arbore vel sylua erant excidenda pro materia necessaria ad ignem accendendum, & alendum: Secundò in ipso loco sacrificij altare supra terram erigebatur. Tertiò hostia mactabatur. Quartò super altare ligna ordinatè componebantur. Quintò hostia mactata supra lignorum struem imponebatur. Sextò ignis admouebatur qui etiam de cælo interdum aduocatus demittebatur. Septimò victima flammis eam circumquaque ambientibus cremabatur. Octauò denique variæ erumpebant voces sacrificantium & astantium, laudis, exultationis, gratiarum actionis, aut postulationis.

Octo in antiquis sacrificijs fieri debebât, & totidem nostra meditatione.

Primum parantur ligna pro sacrificio, cum materia meditanda per sua puncta seligitur.

3 Et primum quidem ligna ad ignem sacrificij quasi ex sylua tunc excinduntur, cum ex libris Sacrarum scripturarum, vel ex alio pio libello, certa quædam puncta seliguntur pro materia futuræ meditationis. Sunt enim huiusmodi extrinsecus accersita fomenta nobis necessaria, ad ignem cælestem in oratione nutriendum, quamdiu sumus in hac mortali vita: in alia verò, vbi ex ipso fonte fruemur prima omnium & limpidissima veritate, nequaquam erunt necessaria. Nam quemadmodum ignis corporeus duplex est: alter circa terram humanis vsibus deputatus inter multa contraria constitutus, ideòque concretus, instabilis, inquietus, assiduè subministrato indigens nutrimento: alter vero in sua sphæra elementari sublimis, cælo contiguus exemptus à contrarijs, purus, & impermixtus, ac proinde suæ firmiter inhærens materiæ, in ea perpetuò conquiescit, nihil opus habens agitari, aut sustentari in aliena: Ita quoque duplex est huius spiritualis ignis, nempe diuini amoris, quantum ad rem nostram attinet, differentia: est enim ignis vitæ præsentis, qui dicitur Charitas viatorum: alter verò est comprehensorum, pro vita futura. Hæc ergo charitas viatorum, qua nondum nobis patefacto per claram visionem fonte omnis bonitatis, inhiamus, sed non omnino inhæremus Deo, varijs exagitata contrarijs per materias subinde diuersas volubili cogitatione inquieta, & non sine labore versatur. At cum perfecta æternæ beatæque vitæ charitate anima rationalis, vt cum sancto Augustino loquar, inhæserit Deo ex omni se, nusquam erit illi labor & dolor: non erunt ibi volubiles cogitationes ab alijs ad alias euntes, & redeuntes, sed firmata in Deo tota mens erit, eumque videndo sicuti est, perfectè formabitur, quantum formari pro æterna retributione debuisset. Est & illud præterea hoc loco obseruandum, quòd quemadmodum ligna pro materia ignis si nimiæ sint magnitudinis, ad flammam facile concipiendam non erunt accommodata; si verò nimis minuta & modica, ad conceptam flammam diutius nutriendam non erunt idonea: nam vt ait Ecclesiasticus: *Secundum ligna syluæ, sic ignis exardescit*: Ita puncta pro tempore meditanda, nec nimis magna, nec nimis modica esse oportebit: sed horæ ad meditandum destinatæ conuenienti proportione respondentia; qua de re fusius agetur in libro sequenti.

Lib. 10. Confess. c. 28.
Lib. 15. de Trin. c. 16.
Eccles. 28. 18.
Infra lib. 2. c. 1. 2. 3. 4.

Quomodo erigamus Deo altare in meditatione.

4 Quod secundo loco pro veteribus sacrificijs requirebatur, hoc erat, vt iuxta diuinum præscriptum altare aliquod supra terram erigeretur ad ignem sacrificij, & ipsum sacrificium sustinendum,

ſtinendum, id nos in hoc myſtico ſacrificio tunc facimus, cum primum audito ad orationem ſigno, aut aliter à nobis ipſis tempore huic exercitio conſtituto, corpore, & animo aſſurgentes, vno vel gemino paſſu à loco futuræ meditationis diſtantes ſurſum erecti conſiſtimus, & diuinam præſentiam quanta poſſumus mentis attentione, & viua apprehenſione formamus, vt inde reuerentia tum interna, tum externa, toto tempore orationis duratura in nobis excitetur. Qua de re à ſancto Bernardo verbis grauiſſimis, & efficaciſſimis admonemur: *Quid enim*, inquit, *aliud cogitare debet frater, intrans ad orationem, quam propheticum illud: Ingrediar in locum Tabernaculi admirabilis vſque ad domum Dei? omnino ſiquidem oportet nos orationis tempore curiam intrare cæleſtem: illam vtique curiam, in qua Rex Regum ſtellato ſedet ſolio, circumdante innumerabili, & ineffabili beatorum Spirituũ exercitu. Vnde & ipſe qui viderat, quia maiorem numerum non inuenit: millia, ait, milliũ miniſtrabant, & decies centena millia aſſiſtebant ei. Quanta ergo cum reuerentia, quanto timore, quanta illuc humilitate accedere debet à palude ſua procedens, & repens ranuncula vilis? ideſt homo mortalis? quàm tremebundus, quàm ſupplex, quàm denique humilis, & ſollicitus, & toto intentus animo maieſtati gloriæ in præſentia angelorum, in concilio iuſtorum, & congregatione, aſſiſtere poterit miſer homuncio?* huc vſque ſanctus Bernardus. Quia verò plenius hac tota de re lib. ſeq. diſſeremus; ſolum hic adiungo, non ſine myſterio fuiſſe à Deo in veteri lege ordinatum, vt altare pro illius temporis ſacrificijs ex vili materia erigeretur: ſic enim legimus eſſe mandatum in Exodo: *Altare de terra facietis mihi, & offeretis ſuper eo holocauſta, & pacifica veſtra. Quod ſi altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus.* Quia videlicet quantumuis homo per hoc exercitium agendi cũ Deo videatur à terra quodammodo eleuari, & ad alta cæleſti conuerſatione conſurgere, aram ex corde ſuo Deo dicatam in ſublimi ponere: tamen terreum, & luteum ante dominum tantæ maieſtatis humiliter ſe debet agnoſcere; quippe qui ſicut Iob dicebat, *Luteam domum inhabitat, & terrenum habet fundamentum*. Quapropter addit in eodem ſermone ſanctus Bernardus: *Præſentatus ei qui ſedet ſuper excelſum thronum in Angelis qui minime ceciderunt, & eleuatum in hominibus, quos ſuſcitauit de puluere inopes, & erexit de ſtercore pauperes. Sic, inquam, ſemetipſum conſideret, & ſic attendat tanquam præſentatum Domino maieſtatis, vt dicat cum Abraham, loquar ad Domi-*

Serm. de quatuor modis orandi.

Infra lib. 2. à c. 5. ad 8.

Exod. 20. 24.

Iob. 4. 19.

Dominum meum cum sim puluis, & cinis. Neque etiam illud carere mysterio putandum est; quod tamdiu consuetudo de altari terreo, vel ex rudibus & non sectis lapidibus construendis perdurauit, quamdiu tabernaculum fœderis non fuit perfectum, ab eo enim tempore mandauit Deus aram sibi construi ex materia pretiosa, nempe ex lignis setim putredini minimè obnoxijs, & auro mundo circumuestiri. Quia videlicet in suprema Hierusalem alia forma & conditione altaria construentur, cum fuerit cæleste tabernaculum pro nobis perfectum, cuius visio-

Isaias 33.20. nem, & fruitionem electis suis Deus per Isaiam illis verbis pollicetur: *Videbunt Hierusalem habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit; nec auferentur claui eius in sempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur*. Ad cuius conspectum Euangelista Ioannes audiuit in sua Apocalypsi magna voce de throno proclamari: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus*, & tunc demum viua, & animata sanctorum altaria ex materia constabunt ditiori, & longe pretiosissima, dotibus gloriæ immarcescibilis, tum quo ad corpus, tum quo ad animas Beatorum insignita, auro mundissimo inuiolabilis charitatis vndique exornata, in quibus iuge sacrificium laudum nunquam deficientium offeretur. Atque hæc forte sunt altaria, quæ in spiritu Dauid tantopere admirabatur, & ad quæ

Psal. 33.4. suspirabat cum diceret: *Altaria tua Domine virtutum Rex meus & Deus meus: Beati qui habitant in domo tua domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*.

Quid sit corā Deo in oratione tanquā hostia cæsa prosterni.

5 Altari sic extructo, & in sublimi supra terram constituto, tertium quod fiebat pro veteribus sacrificijs erat; vt hostia icta sacerdotali manu ante aras prosterneretur; vnde cessaret ab eo temporis momento viuere vita animali, & quasi altera res effecta igni præparata Deo tali actione tota consecraretur; in qua potissimum actione essentia sacrificij, quod est quasi sacrum facio, consistebat. Id verò conuenientissimè respondet orationi nostræ præparatoriæ, cuicumque meditationi modo iaculatorio præmittendæ, in qua primum oraturus in genua procumbit, & omnibus alijs curis cogitationibusque vitæ huius mortalis, & animalis resecatis, ante Deum se prosternit, illius se dicat, & consecrat obsequio, postulans toto cordis affectu, vt vires omnes atque actiones ad eius gloriam, & cultum sincerissimè tendant, exploraturus in subsequenti, quæ sit eius diuina voluntas, bona, beneplacens, & perfecta. Nam vbi melius quàm in exercitio meditationis, & internæ orationis illud Apostoli

pijssimum

pijssimum consilium, & sanctissimum documẽtum amplecti possumus ac debemus? *Obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum; & nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta.* Cæterum qui plenam de hac oratione præparatoria cognitionem desiderat, qua nimirum ratione, à reliqua meditatione distinguatur, quibus actibus, qua forma, & modo exerceatur, hoc totum lib. seq. à cap. 9. vsque ad 12. fusè inueniet explicatum, hic enim, vt diximus, prima tantùm lineamenta huius exercitij breuiter adumbramus.

Ad Rmo. 12. 1.

Infra l. 2. à cap. 9. vsque ad 12.

6 Quartum exequendum in antiquis sacrificijs, nihil aliud fuisse dicebamus, quàm vt ligna iam excisa, & ad locum sacrificij comportata, supra constructam aram ponerentur; atque ibi ordinatè ad ignem benè concipiendum, disponerentur. Id nos in mystico nostro sacrificio tunc facimus, cum pro primo præludio historiam meditandam per sua puncta breuiter, & expeditè recensemus, ad memoriam, quæ non postremas habet in hoc exercitio partes, adiuuandam. Nam quemadmodum non sufficiebat ex sylua ligna excidisse, & prope aram, aut etiam supra altare quomodocumque dissipata collocasse; vnde admoto igne fumus potiùs, quàm flamma videretur expectanda: sed opus erat ordinata strue omnia benè componerentur; ita non satis erit ad vtilem & expeditum in meditatione progressum, puncta ex Sacra scriptura, vel ex alio pio libello, antecedenti die, vtcumque collegisse, nisi supra altare nostri cordis, & in ara memoriæ, breuiter, ordinatè, & expeditè collocata circa nostræ meditationis exordium inspiciamus, & cursim recolamus. Neque in hac re valde diuturna reflexione opus est, cum hæc propriè meditatio non sit, sed primum ad meditandum præludium, cuius habetur plena explicatio in toto capite decimotertio libri proximè sequentis.

Ligna componere super altare sacrificij, est materiam meditãdi per sua pũcta in memoriam reuocare.

Infra lib. 2. cap. 13.

7 Quintum quod antiqui sacerdotes faciebant, erat hostiã exanimatam supra struem lignorum ad comburendum constituere. Id nos facimus in secundo præludio, quod loci compositio nominatur; per hoc enim pars nostra animalis tanquam mortua supra puncta materiæ meditandæ quasi supra ligna sacrificij statuitur, exclusis primùm quantum fieri potest, operationibus sensuum externorum, deinde sensibus internis, & præsertim imaginatione, ad certum locum alligata, vbi historiam meditan-

Hostiam supra ligna in altare collocare est imaginationem certo loco alligare.

meditandam verisimiliter contigisse, vel cōtingere potuisse, apprehendimus, ideo loci composito, præludium hoc secundum appellatur. De cuius vtilitate, necessitate, & formandi modis, ac rationibus suo loco dicetur in sequentibus.

Infra lib. 2. cap. 14.

8 Sequitur deinde tertium præludium, quod est Petitio. Hæc in antiquis sacrificijs petitione ignis cælestis, & eius à cælo aduocatione figurabatur; est autem sextum quod veteris testamenti Sacerdotes in suis sacris exequebantur. Huius rei perillustre legimus exemplum in libris Regum, vbi Elias propheta extructo altari ex non sectis rudibus lapidibus in monte Carmelo coram impio Rege Achab, eiusque falsis prophetis, & populo vniuerso, ad veri Dei gloriam illustrandam ignem è cælo pro suo sacrificio demitti postulauit. Petierant hoc ipsum falsi prophetæ pro suis superstitiosis, & sacrilegis sacrificijs; sed nunquā impetrare potuerunt: ad Eliæ verò petitionem tanta virtute descendit, vt de eo sic referat sacra historia: *Cecidit autem ignis Domini, & vorauit holocaustum, & ligna, & lapides, puluerem quoque, & aquam, quæ erat in aquæductu lambens.* Iusserat autem Dei propheta effodi in circuitu altaris veluti aquæductum, deinde quatuor hydrias aquæ plenas effundi supra victimam, ligna, & altare, ita vt aqua vndique redundaret, & circumflueret; siue vt falsi prophetæ Baal intelligerent non per cuniculos à cauernis subterraneis ignem esse admouendum, sicut ipsi in suis sacris execrandis dolo malo faciebant, ad vanam spectantium admirationem, siue vt cælestis ignis virtus, & miraculum contra vim aquæ manifestius appareret; siue denique vt nos inde mysticè instrueremur, vbi similem ignem pro nostro sacrificio petitum à cælo obtinuerimus, facile futurum, vt omnis contraria bonæ meditationi dispositio, indeuotio, mentis euagatio, torpor affectus, atque frigiditas peruincatur, & calore illo cælesti absumatur. Sed quanto spirituali emolumento ac fructu, quomodo, qua forma, & varietate petitionum, diuinus hic ignis, antequam ad singula puncta meditanda veniamus, sit postulandus, suo loco postea fusius explicabitur.

3. Reg. 18. 30.

Infra lib. 2. cap. 15.

Meditatio ipsa quomodo perficiatur.

9 Septimum erat, vt aduocato demum igne, victima, flammis eam circumquaque ambientibus cremaretur, & hoc est quod propriè dictæ meditationi; idest punctorū singulorum considerationi respondet, vt propterea psalmista dixisse videatur. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Nam quemadmodum ex igne, si aptam materiam nanciscatur, flammæ erumpunt luminosæ, calor sensim intenditur,

Psal. 38. 4.

& accre-

& accrescit, materia antea frigida, tota transit in naturam ignis: ita ex pia diuinorum mysteriorum consideratione, meditantis intellectus illuminatur, voluntas inflammatur, & cor paulatim totusque homo interius incalescit, inardescit, immutatur, & quodammodo in Deum & diuina, per affectum transformatur, vt sentire iam incipiat in se ipso, quod Apostolus sentiebat cum diceret; *viuo ego, iam non ego; viuit verò in me Christus.* Quin etiam duo illi non tam corpore, quam spiritu, & fide peregrinantes discipuli, quamuis de diuinis redemptionis nostræ Mysterijs affectu minus pio cōfabularentur, & secum quærerent vt est apud sanctum Lucam, quia tamen de Redemptore, & cum Redemptore loquentes diuino charitatis eius igne interius accendebantur mutati in melius postea dicebant: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas?* nec iam à sole iustitiæ, quem magis sentiebant, quàm agnoscebant, destitui veluti mansuri in tenebris voluissent, ideo rogabant: *mane nobiscum Domine, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies.* Sed hac de re tanto parcius hoc loco, quanto copiosius toto libro tertio, & quatuor sequentibus est agendum.

Ad Gal. 2. 20.

Luc. 24. 15.

10. Octauum denique quod in veteribus sacrificijs fieri dicebamus, erat prorumpere in varias voces laudum diuinarum, exultationis, postulationis, & gratiarum actionis. Quæ omnia in nostro hoc mystico sacrificio per colloquia conficiuntur; quibus semper oratio, vt suo loco videbitur, terminatur. Vnde propheta Dauid, cum cælum, terram, & alia Dei opera, quæ apparent in circuitu huius vniuersi, mente perlustrasset, atque inde in contemplationem conditoris eleuatus fuisset, ad eius laudes celebrandas, verba, & colloquia edidit affectu plenissima, seque tunc demum hostiam vociferationis Deo immolasse profitebatur: *Circuiui*, inquit, *& immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis.* Erant autem quadruplicis generis, iuxta diuinum præscriptum, illa veterum sacrificia: aliud dicebatur Honorarium; aliud, Actionis gratiarum; aliud Imperatorium, aliud vero Propitiatorium pro peccatis. Iuxta quam varietatem variæ quoque ad Deum voces sacrificantium, & adstantium emittebantur: quæ omnia quomodo nostris colloquijs aptè conueniant, toto octauo libro explicabitur.

Colloquia ad finem meditationis facienda.

Psal. 26. 11.

DE CAELESTI CONVERSATIONE, PER INTERNAM ORATIONEM ET EXERCITIA SPIRITVS.

Liber Secundus.

DE PROXIMIS DISPOSITIONIBVS, & Præludijs ad internam Orationem, siue Meditationem.

CAPVT PRIMVM.

De Triplici libro, vnde Materia Meditationis desumitur.

Tres lib. valde inter se differentes pro materia meditationis.

1 QVAE in capite postremo libri superioris tantummodo sunt à nobis in vniuersum adumbrata atque perstricta, operæ pretiū nūc erit enucleatè explicare, & digerere. Erat autem primum materiam ad meditandum idoneam sibi antea deligere, ac præparare, eaque vt communiter fit ex pio aliquo libro desumpta. Sunt huiusmodi libri triplicis generis, & non paruæ inter se differentiæ: primus enim magnus est valde, semper apertus, omnibus visibilis: secundus paruus occultus, & omnino inuisibilis, nisi quòd est intelligibilis: tertius verò magnus & paruus, apertus & clausus, inuisibilis, & visibilis, nec non etiam intelligibilis.

Primus liber est mundus; quatuor differentijs characterum conscriptus.

Homil. 11. exam.

2 Primus itaque liber magnus valde, semper apertus, atque visibilis, mundus est iste spectabilis: *Vniuersa hæc mundi moles,*

inquit

inquit sanctus Basilius in Hexameron, *perinde est, ac liber litteris exaratus palam contestans, ac prædicans gloriam Dei, illiusq. augustissimam maiestatem arcanam alioqui, & inuisibilem abundè enuncians tibi intellectuali creaturæ.* Quare cum aliquado sanctus Antonius à philosopho quodam interrogaretur, qua ratione vir adeo sapiens qualis ipse erat, tantaq. præditus intelligentia vitam sine libris in erèmo posset traducere: ipse respondit, magnum se habere librum mundum hunc vniuersum, in quo qui benè legere nouisset, plurima posset addiscere, & de multis quotidie erudiri. Et profectò ita est, si quis circa illum quatuor istas veluti paginas attenta consideratione reuoluat, à quo factus mundus, ad quid factus, quomodo factus, & qualis sit factus. Factus enim est, aut potius scriptus tribus illis Dei digitis, à quibus etiam conseruatur, iuxta Isaiæ testimonium de Deo dicentis: *Qui appendit tribus digitis molem terræ*, nempe sapientia, bonitate, & omnipotentia. Sapientia plane imperscrutabili, quam admirari tantùm possumus, & vtcumque magnificare, non autem vel minima in re perfectè comprehendere, dicendo cùm propheta: *Quam magnificata sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua*. Bonitas inexhausta, quam Dauid in eodem psalmo commendans ait: *Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate*. Potentia prorsus infinita, quæ propterea dicitur Omnipotentia, cui omnis alia potentia comparata, melius infirmitas appellabitur. *Quis similis tui in fortibus Domine? Quis similis tui?* cantabat Moyses cum filijs Israel, *magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis, faciens mirabilia.* Sed quomodo hæc, & alia Dei attributa in vastissimo isto mundi libro sint perlegenda, sequenti capite, distinctius explicabitur. Secundò non minus consideratione dignum occurret, pro altera pagina contemplari ad quid mundus iste, à tam sapiente, & præpotente conditore fuerit fabricatus, nempe ad eum finem in quem libri ab auctoribus suis, scribi, & communiter edi solent, idest ad internos suæ mentis conceptus, omnibus qui norunt legere manifestandos. Quare cùm vera, & increata lux Deus esset sibi metipsi per omnia summe notus, æternusque pater intelligendo se perfectissimè, & filium similiter, & Spiritum sanctum, & omnia alia, quæ in sua scientia necessariò continentur, Verbum concipiat intra se perfectissimum, æquale, & consubstantiale sibi, quod verbum apud Deum sempiternè dicitur, sicut ait sanctus Augustinus; eoque verbo sempiternè dicuntur omnia;

Socrat. lib. 4. hist. cap. 18.

A quo factus mundus.

Isa. 40. 12.

Psal. 103. 24.

Psal. 103. 28.

Exod. 15. 11.

Ad quid factus mundus.

Lib. 11. confess. cap. 7.

omnia; vtique nihil opus habuit extra se quicquam edere, aut scribere pro se ipso, sed tantùm pro nobis, atque ideo characteribus non solum intelligibilibus, verùm etiam maxime visibilibus hebetudini nostræ accommodatis, grandioribus cælo, & syderibus, ac sole clarioribus. Nam propterea: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* dicebat Dauid. Et sapientissimus eius filius Salomon insipientes ac vanos quoscumque mortales meritò existimauit, qui legere in hoc libro & auctoris sui sensa nulla ex parte intelligere potuerunt. *Vani enim*, inquit, *sunt omnes homines in quibus non subest scientia Dei: & de his quæ videntur bona non potuerunt intelligere eum qui est: neque operibus attendentes agnouerunt, quis esset artifex.* At non sic homines cælesti sapientia præditi, qui benè persuasi verissimum esse, quod ait Apostolus, Deum per hæc visibilia manifestare sua inuisibilia voluisse: *Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas:* ex his ad Deum pio, atque humili affectu facile rapiuntur. Inter quos sanctus Augustinus, ita in suis confessionibus cùm Deo hac de re loquebatur: *Tu ergo Domine fecisti ea, qui pulcher es, pulchra sunt enim: Qui bonus es, bona sunt enim: Qui es, sunt enim. Nec ita pulchra sunt, nec ita bona sunt, nec ita sunt, sicut tu conditor eorum, cui comparata, nec pulchra sunt, nec bona sunt, nec sunt. Scimus hæc, gratias tibi, & scientia nostra, scientiæ tuæ comparata, ignorantia est.* Tertia post hanc non minus digna lectione occurret pagina; qua videlicet ratione mundus hic fuerit procreatus, & tot quasi characteribus, & verbis, quot creaturis, & naturæ operibus insignitus: vt propterea sæpius Dei opera in diuinis scripturis, verba nominentur. Et quod omnem superat admirationem, ipsum æternum Dei verbum, genitum & non factum, cùm à nobis in sua increata natura minus cognosci potuisset, nostra visibili est indutum, sicut interna mentis verba, ne dum latent in corde sint alijs ignota, redduntur externo linearum ductu & visibilibus characteribus manifesta, vt iam simplices quoque gregum pastores dicerent: *Transeamus vsque Bethleem & videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis.* Et quemadmodum libri scribuntur ab auctoribus suis mente siue intellectu, digitis, atramento, aliove colore, quo scribentis sapientia quanta fieri potest claritate, & venustate exprimatur: ita Deus mente primum omnia digessit; *Mundum*, vt sacer poëta ce-

Psal. 18. 1. — *Cap. 13. 1.* — *Ad Rom. 1. 20* — *Lib. 11. c. 4.* — Quomodo factus mundus. — *Luc. 2. 15.* — *Boët. lib. 3. de Consolat.*

ta cecinit *mente gerens similiq. sub imagine formans*, & alias diuinior poëta dixit: *Qui fecit cœlos in intellectu*, & in alio psalmo: *Videbo cælos tuos opera digitorum tuorum, lunam & stellas quæ tu fundasti*. Quarum eximia claritate, atque fulgore maxima exprimitur Dei sapientia, *quam ipse effudit super omnia opera sua*, inquit Ecclesiasticus. Hinc ad quartam huius magni libri paginam inspiciendam procedemus, lecturi qualis sit hic mundus, & quanta rerum varietate conscriptus: quarum aliqua, veluti notis aureis insignita reperiemus, alia argenteis, alia tanquam minio, reliqua sicut atramento notata. Quid enim nisi aureis consignata characteribus dicemus illa Dei opera, quæ à Theologis, supernaturalia in substantia dicuntur, siue gratiæ, siue gloriæ? Hæc enim inter cætera sic eminẽt, quemadmodũ aurũ reliquis metallis antecedit. Opera verò, quæ naturæ leges supergrediũtur, & sunt in modo tantũ supernaturalia, vt pleraque in omni mũdi ætate diuinitus edita miracula, meritò argẽteis notis, Dei scilicet magnificentiã clarè illustrantibus cõparabimus. Reliqua veluti minio, & varijs distincta coloribus, opera dicemus esse naturæ admirãda. Obscuris autem notata coloribus alia viliora: inter quæ tamen nullum est adeo contẽptibile, quod bene legenti, & intelligenti suum non maxime commẽdet auctorem.

Psal. 135. 5.
Psal. 8. 4.
Ecclesiast. 1. 10.
Qualis sit factus mundus.

3 Sed antequã de hoc primo libro, plura quæ capite sequẽti reseruãtur exponamus, erit qui expectet intelligere de secundo, quis iste sit liber, adeo diuersus, & oppositus superiori, paruus, clausus, omnino inuisibilis, & tantummodo à paucis intelligibilis. Hic ergo alius non est liber, quàm, qui sic à propheta Hieremia describitur: *Prauum est cor hominis* vel, vt habent septuaginta interpretes, *profundum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud? ego Dominus scrutans cor, & probans renes, qui do vnicuique iuxta viam suam, & iuxta fructum adinuentionum suarum*. Atque in hoc libro nostri cordis, & propriæ conscientiæ debemus quotidie legere diligentissimè, attendendo à quo sit conscriptus, quæ sint in eo scripta, & ad quem finem. Inueniemus enim multa, tum à Deo, tum à nobis, sed stylo valde diuerso exarata; & à Deo quidem de quo in psalmo dicitur; *Qui finxit singillatim corda eorum*, non nisi aureis, & argenteis notis consignata. Aureis dixerim, eius sanctas inspirationes, quas sæpe dum legere negligimus, & intelligere incuria nostri cordis ab ipso corde obliteramus. Aureis quoque notatas characteribus iure optimo dicemus diuinas reuelationes in mentibus Prophetarum, Euangelistarum, aliorumque aucto-

Liber secũdus est cor, & conscientia nostra.
Hierem. 17. 9
Psal. 32. 15.

rum sacrarum scripturarum, quas ipsi primùm in proprijs cordibus, & conscientijs non alijs in codicibus lectitabant. Argenteis præterea scriptam characteribus ab auctore naturæ dicemus, ipsius naturæ legem, & dictamina rectæ rationis in cordibus quorumcumque etiam Ethnicorum, & infidelium: *Qui* sicut ait Apostolus, *ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus*. Sed quæ à nobis in corde, & conscientia nostra describimus, non nisi atro colore digna sunt, fere enim non sunt nisi culpæ, defectus, & imperfectiones; quæ tamen omnia diligenter inspicienda sanctus Bernardus, vel quisquis est auctor libri de interiori domo, sic admonuit: *Redi ergo ad cor tuum, & diligenter discute te ipsum; considera vnde venis, quo tendis, quid agis, quid admittis, quantum quotidie proficis, vel quantum deficis, quibus cogitationibus magis incursaris, quibus affectibus frequentius tangeris, vel quibus tentationum maculis à maligno spiritu acrius impugnaris*; & paulo infra: *Vnicuique*, inquit, *est liber sua conscientia, & ad hunc librum discutiendum, & emendandum omnes alij inuenti sunt; anima cùm de corpore exibit, hunc solum librum secum portabit*. Quæ cum ita sint, non aliam ob causam diuina dispositione factum videtur, vt extarent ista semper inscripta quodammodo in humana synderesi, & conscientia, & quasi assiduè ingererent se oculis internis nostræ mentis: cogitationibus inuicem accusantibus aut defendentibus, sicut dicebat Apostolus, nisi vt frequenter meditemur, & intelligamus, quid ex nobis, quid ex Deo, simus, & habeamus. Etenim ex libri huius, & eius lectionis despicentia tria illa grauissima sequũtur mala, quæ sponsus cælestis cuidam in sacris canticis comminatur: *Si ignoras te, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum*: ex ignoratione videlicet sui sequitur tetra cœcitas mentis, deinde rebellio quædam partis animæ inferioris, & sensuum contra superiorem rationem, ac demum perfractis repagulis pudoris, & honestatis, anima rationalis, angelicis cognata spiritibus in belluinis & sordidis cupiditatibus pascendis conducta à Dæmone stipendio mortis, & æternæ damnationis occupatur. Atque hæc de nostro secundo libro, cuius singulas pagellas postea suo loco distinctius explicabimus, dixisse sufficiat.

Ad Rom. 2. 15. — *Lib. de inter. do. cap. 14.* — *Lib. de inter. domo c. 28.* — *Cant. 1. 8.*

Tertius liber Diuina scriptura.

4 Tertius iam liber superest exponendus duobus superioribus tum vtilitate, tum dignitate, tum mysterio, & vt ita dicam, diuinita-

diuinitate anteponendus, liber non metaphoricus, vt ſunt alij
duo, ſed proprijſſimè dictus, hoc eſt volumen diuinorum ora-
culorum, & ſacrorum Bibliorum, in cuius commendationem
etiamſi tot ſcriberentur, quot in eo libri cōtinentur, non ſuf-
ficeret; magnus, vt dicebamus, & paruus, apertus, & obſignatus,
viſibilis, ſed non facile intelligibilis. Quippe qui totum ferè
quod in magno mundi libro poſſumus contemplari, præter alia
multa ordinis altioris inuiſibilia in ſe complecti videatur: & ta-
men mole paruus eſt, manibus facile geſtatur, aperitur, volui-
tur à multis, atque reuoluitur, ſed à paucis intelligitur. Eſt
enim hic ille liber, pro quo multùm flebat in ſua Apocalypſi ſan-
ctus Ioannes, vt ſacri confirmant interpretes, quia nemo inue- *Apocal.5.2.*
niebatur, neque in cælo, neque in terra, qui poſſet ſoluere ſe-
ptem ſignacula eius, aperire, atque intus inſpicere, ſed manebat
in dextra ſedentis in throno multipliciter obſignatus, donec
veniret agnus pro nobis occiſus, id eſt mundi Redemptor Chri-
ſtus Dominus, qui miſſis ſeptem ſpiritibus per vniuerſam
terram, ideſt ſeptem donis Spiritus ſancti Eccleſiæ ſuæ, meritis
propriæ paſſionis impetratis, & communicatis, librum accepit,
& reſerauit: iiſque tantum fidelibus, qui de ſpiritu ipſius effi-
cerentur participes, apertum, & intelligibilem eſſe voluit. *Et
vnus iſte liber,* inquit Rupertus Abbas, *ſancta Scriptura eſt,* *In Apoc. c.5.*
*ſcriptura, inquam, omnis diuinitus inſpirata, quæ idcirco dici-
tur, & eſt vnus liber, quia vno ſpiritu eſt conſcripta, & vnius
verbi Dei theſaurus, atque ſacrarium eſt, liber qui etiam ab Iſaia,* *Iſa.29.11.*
*obſignatus appellatur, quem ait propheta: Cùm dederint ſcien-
ti litteras, dicent lege iſtum, & reſpondebit, non poſſum, ſigna-
tus eſt enim:* Hæc Rupertus. Eſt & illud obſeruatione dignum,
vidiſſe ibidem ſanctum Ioannem cum liber aperiretur, qui circa
agnum ſtabant ſeniores viginti quatuor, omnes in genua pro-
cubuiſſe: *habebant autem ſinguli citharas, & phialas aureas ple-
nas odoramentorum: quæ ſunt,* inquit ſanctus Ioannes, *orationes* *Apocal.5.8.*
ſanctorum. Quia nimirum ad apertionem ſacrorum librorum
aptam pro igne meditationis nutriendo materiam ſubminiſtrā-
tium, ſpiritus precum mediante gratia Redemptoris accendi-
tur, ex quo velut incenſum in conſpectu Dei orationes ſancto-
rum diriguntur. Excellentiam autem ſacrarum ſcripturarum
aliquo modo intelligemus, ſi illarum authorem conſideraueri-
mus, & quid in eis ſcriptum, & ad quem finem habeatur. Nam
quod ſpectat ad authorem, nemo debet dubitare illum eſſe,
quem vidit ſanctus Ioannes in ſua Apocalypſi ſedentem in thro-

rum sacrarum scripturarum, quas ipsi primùm in proprijs cordibus, & conscientijs non alijs in codicibus lectitabant. Argenteis præterea scriptam characteribus ab auctore naturæ dicemus, ipsius naturæ legem, & dictamina rectæ rationis in cordibus quorumcumque etiam Ethnicorum, & infidelium: *Qui* sicut ait Apostolus, *ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus*. Sed quæ à nobis in corde, & conscientia nostra describimus, non nisi atro colore digna sunt, fere enim non sunt nisi culpæ, defectus, & imperfectiones; quæ tamen omnia diligenter inspicienda sanctus Bernardus, vel quisquis est auctor libri de interiori domo, sic admonuit: *Redi ergo ad cor tuum, & diligenter discute te ipsum; considera vnde venis, quo tendis, quid agis, quid admittis, quantum quotidie proficis, vel quantum deficis, quibus cogitationibus magis incursaris, quibus affectibus frequentius tangeris, vel quibus tentationum maculis à maligno spiritu acrius impugnaris*; & paulo infra: *Vnicuique*, inquit, *est liber sua conscientia, & ad hunc librum discutiendum, & emendandum omnes alij inuenti sunt; anima cùm de corpore exibit, hunc solum librum secum portabit*. Quæ cum ita sint, non aliam ob causam diuina dispositione factum videtur, vt extarent ista semper inscripta quodammodo in humana synderesi, & conscientia, & quasi assiduè ingererent se oculis internis nostræ mentis: cogitationibus inuicem accusantibus aut defendentibus, sicut dicebat Apostolus, nisi vt frequenter meditemur, & intelligamus, quid ex nobis, quid ex Deo, simus, & habeamus. Etenim ex libri huius, & eius lectionis despicentia tria illa grauissima sequũtur mala, quæ sponsus cælestis cuidam in sacris canticis comminatur: *Si ignoras te, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum:* ex ignoratione videlicet sui sequitur tetra cœcitas mentis, deinde rebellio quædam partis animæ inferioris, & sensuum contra superiorem rationem, ac demum perfractis repagulis pudoris, & honestatis, anima rationalis, angelicis cognata spiritibus in belluinis & sordidis cupiditatibus pascendis conducta à Dæmone stipendio mortis, & æternæ damnationis occupatur. Atque hæc de nostro secundo libro, cuius singulas pagellas postea suo loco distinctius explicabimus, dixisse sufficiat.

Ad Rom. 2. 15.

Lib. de inter. do. cap. 14.

Lib. de inter. domo c. 28.

Cant. 1. 8.

Tertius liber Diuina scriptura.

4 Tertius iam liber superest exponendus duobus superioribus tum vtilitate, tum dignitate, tum mysterio, & vt ita dicam, diuinita-

diuinitate anteponendus, liber non metaphoricus, vt sunt alij duo, sed proprijssimè dictus, hoc est volumen diuinorum oraculorum, & sacrorum Bibliorum, in cuius commendationem etiamsi tot scriberentur, quot in eo libri cotinentur, non sufficeret; magnus, vt dicebamus, & paruus, apertus, & obsignatus, visibilis, sed non facile intelligibilis. Quippe qui totum fere quod in magno mundi libro possumus contemplari, præter alia multa ordinis altioris inuisibilia in se complecti videatur: & tamen mole paruus est, manibus facile gestatur, aperitur, voluitur à multis, atque reuoluitur, sed à paucis intelligitur. Est enim hic ille liber, pro quo multùm flebat in sua Apocalypsi sanctus Ioannes, vt sacri confirmant interpretes, quia nemo inueniebatur, neque in cælo, neque in terra, qui posset soluere septem signacula eius, aperire, atque intus inspicere, sed manebat in dextra sedentis in throno multipliciter obsignatus, donec veniret agnus pro nobis occisus, id est mundi Redemptor Christus Dominus, qui missis septem spiritibus per vniuersam terram, idest septem donis Spiritus sancti Ecclesiæ suæ, meritis propriæ passionis impetratis, & communicatis, librum accepit, & reserauit: ijsque tantum fidelibus, qui de spiritu ipsius efficerentur participes, apertum, & intelligibilem esse voluit. *Et vnus iste liber*, inquit Rupertus Abbas, *sancta Scriptura est, scriptura, inquam, omnis diuinitus inspirata, quæ idcirco dicitur, & est vnus liber, quia vno spiritu est conscripta, & vnius verbi Dei thesaurus, atque sacrarium est, liber qui etiam ab Isaia obsignatus appellatur, quem ait propheta: Cùm dederint scienti litteras, dicent lege istum, & respondebit, non possum, signatus est enim:* Hæc Rupertus. Est & illud obseruatione dignum, vidisse ibidem sanctum Ioannem cum liber aperiretur, qui circa agnum stabant seniores viginti quatuor, omnes in genua procubuisse: *habebant autem singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum: quæ sunt*, inquit sanctus Ioannes, *orationes sanctorum*. Quia nimirum ad apertionem sacrorum librorum aptam pro igne meditationis nutriendo materiam subministrãtium, spiritus precum mediante gratia Redemptoris accenditur, ex quo velut incensum in conspectu Dei orationes sanctorum diriguntur. Excellentiam autem sacrarum scripturarum aliquo modo intelligemus, si illarum authorem considerauerimus, & quid in eis scriptum, & ad quem finem habeatur. Nam quod spectat ad authorem, nemo debet dubitare illum esse, quem vidit sanctus Ioannes in sua Apocalypsi sedentem in thro-

Apocal. 5. 2.

In Apoc. c. 5.

Isa. 29. 11.

Apocal. 5. 8.

no, vnde procedebant fulgura, & voces, & tonitrua manu sua dextra librum septem sigillis signatum continentem, iride smaragdini coloris solium eius ambiente. Cui simile videtur quod antea scriptum fuerat in Ecclesiastico: *Disciplina sapientiæ cui reuelata est, & manifestata? & multiplicationem ingressus illius quis intellexit? Vnus est Altissimus creator omnipotens, & Rex potens metuendus nimis, sedens super thronum illius, & dominans Deus; ipse creauit illam in Spiritu sancto, & vidit, & dinumerauit, & mensus est*. Quare nihil refert, quòd diuinarum scripturarum varij auctores censeantur: hi enim potius vt amanuenses, & quædam instrumenta sancti Spiritus in opere quocumque sacrorum voluminum ipso dictante describendo extiterunt. Quapropter sanctus Gregorius librum Iob explanaturus, cum initio quæstionem mouisset de Auctore sacræ illius historiæ, attendens, vt arbitror, illud à Dauide dictum de impulsu diuini spiritus, quem ad psalmos conscribendos in se propheta Regius experiebatur: *Lingua mea calamus scribæ, velociter scribentis*: his verbis resoluit quæstionem. *Si magni cuiusdam viri susceptis epistolis legeremus verba; easque, quo calamo fuissent scripta quæreremus, ridiculum profectò esset, si non epistolarum auctorem scire, sensumque cognoscere, sed quali calamo earum verba impressa fuerint, indagare studeremus. Cum ergo rem cognoscimus, eiusque rei Spiritum sanctum authorē tenemus, qui scriptorem quærimus, quid aliud agimus, nisi legentes literas de calamo perscrutamur?* Iam si tanti nos facimus librum ab insigni auctore conscriptum, & in ea facultate principem: & si sua illa vanissima per Idola Dæmonum responsa, Gentiles adeo venerabantur, quid nos pro dignitate de tot cælestibus oraculis dicemus, & sentiemus? quorum nullum neque in minimo apice vnquam fefellisse deprehensum est, aut fallere aliquando posse, deprehendetur. Meritò itaque horum sacrorum voluminum bonam partem pro veteri testamento Iudæorum nationi singulari Dei beneficio concessam, propheta Dauid admiratur cum ait; *Qui annunciat verbum suum Iacob, iustitias, & iudicia sua Israel: non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis*. Eandemque ob gratiam conferens Apostolus Iudæos cum Gentilibus, quibus æque facilis ad legem euangelicam iam dabatur accessus: *Quid ergo*, inquit, *amplius Iudæo est, aut quæ vtilitas circumcisionis? multum per omnem modum: primum quidem, quia tradita sunt illis eloquia Dei*. Quæ verò, & qualia in his Dei eloquijs, vt appellat Apostolus, vel sicut alij, interpre-

Apoc. 5. 1. Eccles. 1. 7. Lib. 1. mor. cap. 1. Psal. 44. 2. Psal. 147. 19. Ad Rom. 3. 1.

interpretantur, oraculis contineantur documenta, mysteria, sacramenta, quis humana lingua, vel plena prorsus intelligentia assequatur? *Eloquia Domini*, cantabat Dauid, *eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum*. Et, *quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo*. Nihil in eis vnquam inuenietur non rectum, nihil non sanctum, nihil quod possit minima ex parte in dubium reuocari. Ad quid autem tanta scripturarum inspirata diuinitùs copia, & varietas, attentè consideranti, occurret animo, voluisse diuinam prouidentiam quasi splendidissimum conuiuium omni genere cibariorum instructum, & refertissimum, fidelibus suis præparare, ad eos non solum spiritualiter alendos, & reficiendos, sed etiam oblectandos, curandos, confirmandos, & in omni virtutum genere promouendos, ac perficiendos. Si quidem vt ad Timotheum scripsit Apostolus: *Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus*. Et hæc videtur illa mensa de qua Dauid: *Parasti*, inquit, *in conspectu meo mensam aduersus eos qui tribulant me*: illa turris, quæ ædificata est cum propugnaculis, de qua dicitur in Canticis: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium*. Atque hæc in genere de tribus hisce libris dicta sufficiant; nam postea in specie, qua ratione vti illis pro materia meditationis debeamus, tribus capitibus sequentibus singillatim exponetur.

Psal. 11. 7. *Psal. 118. 103* *2. ad Tim. 3. 16.* *Psal. 22. 5.* *Cant. 4. 4.*

CAPVT SECVNDVM.

Quomodo sumatur materia meditandi ex primo libro Creaturarum.

1 PRIMVS hic liber creaturarum, qui totam mundi huius complectitur spectabilem vniuersitatem, adeo est in oculis omnium, vt nullus sit mortalium, qui non aliqua ratione licet inter se diuersa, in illo legere non inueniatur: Aliqui enim legunt planè inutiliter: alij etiam perniciosè: tertij verò vtiliter, & fructuosè. Primi sunt curiosi, quales fuere gentiles illi philosophi, & mundi sapientes, quos initio suæ epistolæ ad Romanos accusat Aposto-

Tres hominũ cõtrarię classes legentium in libro creaturarum.

Ad Rom. 1. 21

lus, qui cum ex mundi regimine, cælorum motu, causarum subordinatione *Deum cognouissent non sicut Deum glorificauerunt*, inquit ipse, *nec gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis*. Secundi ordinis sunt illi, de quibus dicitur in libro sapientiæ: *Quoniam creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium*. Idcirco autem illis hoc euenit, quia aspicientes externam tantummodo speciem creaturarum, sicut pueri qui legere nescientes, pictura tantum, & minio characterum delectantur, non penetrant ad quid propriè significandum manu sapientissimi conditoris singulæ fuerint efformatæ, nempe, vt ait Ricardus sancti Victoris, ad illa tria nobis tacitè indicanda, accipe, redde, caue: Accipe nimirum beneficium, redde gratias tanto benefactori, & caue ne inde sumas occasionem peccati. Sunt ergo tertij generis alij sapientiores, quibus hæc lectio non frustra, nec perniciosè; verùm cùm fructu spirituali, & magna vtilitate contingit: Inter quos erat qui dicebat; *Quia delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Quam magnificata sunt opera tua Domine? nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc*. Modi autem desumendi materiam meditationis ab hoc vastissimo libro sunt propemodum infiniti, tum iuxtà speciem, & numerum creaturarum, tum iuxtà varias, & innumerabiles Dei perfectiones, & attributa, maiestatis, immensitatis, omnipotentiæ, sapientiæ, bonitatis, & similium: per quæ infinita illa substantia tanquam sol per suos radios, & corpus per vmbras, perque impressa à se vestigia innotescit: Omnes autem huiusmodi varietates ad tres reuocabimus. Vel enim in hoc libro vnum verbum, seu sententiam vnam contemplamur, idest in vno aliquo Dei opere contemplando subsistimus: vel paginam seu folium integrum perlustramus, hoc est partem aliquam notabilem vniuersi, vt cælum, terram, aut aliud elementum: vel denique percurrendo mentis oculo totum librum, idest mundum vniuersum, ad Deum, & diuina spiritum nostrum eleuamus. Sed est rursus aduertendum tribus modis posse nos in huiusmodi considerationes venire, primùm ex occasione tertij libri, nempe sacræ Scripturæ, quæ sæpè, & maximè in psalmis Dauidicis ad Deum in operibus suis cognoscendum, magnificandum, & exaltandum nos excitat, atque inducit. Secundò quasi obiter, & aliud agendo, vt ambulando, conuersando, mundum peragrando, non verò ex instituto in

Sap. 14. 11.

Lib. 6. de Arcamyst. c. 4.

Psal. 91. 5.

Tres modi legendi in libro creaturarum.

tuto in cubiculo per horam, vel ad certum tempus genuflectendo. Tertiò sine alio libro ad constitutam meditationis horam Deum, ac diuina in suis creaturis contemplando. Primus modus exerceri à quocumque potest, quoties per verba sacræ Scripturæ, quæ aliquis sibi meditanda suscepit, ad id inuitabitur. Secundus verò non est adeo facilis, & tertius multò minus: nam præter affectum bene purgatum, præsidia quædam requiruntur in intellectu sapientiæ, & scientiæ non tam naturalis, & acquisitæ, quàm infusæ, & quæ inter dona sancti Spiritus computentur, sicut suo loco inferius dicturi sumus, vbi de septem donis sancti Spiritus, qua ratione à singulis in meditatione dirigamur ex instituto tractabimus. Interim vt aliquod huius rei specimen exhibeamus vnicum tantùm attributum diuinæ potentiæ, alijs prætermissis ex vno primùm verbo inuestigabimus, deinde ex vna pagina vel folio, tertiò ex toto mundi libro breuiter perlustrato vniuerso. *Infra lib. 4. c. 3. & 6.*

2 Inprimis ergo ex vno tantum verbo potentissimi conditoris mundi huius, idest ex vno opere, vel creatura qualicumque etiam minima, sicut est terræ flosculus, licebit eius admirabilem inuestigare potentiam: nam id viri sanctissimi facere consueuerunt, & vt nos id faceremus, ipse saluator admonuit dicens: *Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant, neque nent: Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut vnum ex istis.* Et sane ita est: siue enim consideremus in hoc flore ex quam simplici, & vili materia educatur, siue quæ illi forma substantialis inducatur, siue cum qua figura, colore, odore producatur, & adolescat, intelligemus plane nihil horum fieri arte vlla vel potentia, nisi Creatoris potuisse, etiam si ad id præstandum omnes mundi artifices, aurifices, pigmentarij, vnguentarij conspirassent: adde etiam omnes aëreas potestates, & angelicos Spiritus, vt alicubi sanctus Augustinus, testimonio etiam gentilium quorumdam philosophorum comprobauit. Nam quod spectat ad materiam, ea non est aurum, neque sericum, purpura vel byssus, vnde nonnumquam artifices ingeniosa subtractione, & fuco naturam florum vtcumque mentiuntur; sed est simplex terra cum aqua, seu vile lutum, vel fimus, vnde in tanta copia per immensa terrarum spatia, tum huius, tum alterius speciei flores educuntur, vt venustas, elegantia, concinnitas, & omnimoda quædam singulorum in sua specie consimilitudo, cum multitudine indiuiduorum, & varietate specierum certare pro laude conditoris videatur. Forma verò cùm

Quomodo ex vnico verbo libri huius inuestigetur Dei aliqua perfectio.

Matt. 6. 28.

Lib. 10. de Ciuitate Dei cap. 14.

ſit vegetandi ſubſtantiale principium, & primus gradus, animæ viuentis, manifeſtum eſt fieri non poſſe, vt arte vlla, ex qua formæ tantum reſultare ſolent accidentales, producatur. Sed neque propterea formam illam accidentalem, cum tanta partium ſymmetria, nexu, proportione, globulis illis viuaciſſimi coloris in medio decentiſſimè ſuſpenſis vlla creata virtus aſſequetur, & multo minus odoris illius ſuauitatem, atque fragantiam. Nam quòd arte colores, & odores induci corporibus ſæpe videamus, hoc non eſt quaſi rebus illis proprietates ingenerentur, ſed quia motu dumtaxat locali hæc omnia aliunde accepta commiſcentur, ſuperadduntur, & veluti corniculæ peregrinæ plumæ extrinſecus affiguntur. Atque hoc eſt, quod voluit Chriſtus Dominus indicare cùm ait: *Dico autem vobis, quoniam neque Salomon in omni gloria ſua veſtitus eſt, ſicut vnum ex iſtis*. Et hinc aliud pro nobis elicuit documentum ſubdens: *ſi autem fœnum agri quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, quanto magis vos, modicæ fidei?* Quæ vero de vno flore hactenus dicta ſunt, potiori ratione de quolibet etiam minimo animante, & vili vermiculo dici poſſunt, cui præter animam vegetatiuam indita quoque eſt ſenſitiua, tot inſtructa organis, facultatibus, proprietatibus ad vitæ conſeruationem ſibi neceſſarijs, in tam paruo, tam nullo corpuſculo, perfectione adeo inextricabili, vt neque intelligere, aut enumerare omnia, nedum efficere homines ſuo ingenio poſſint. Vnde ſanctus Baſilius in quadam epiſtola ad Eunomium, qui perfectam Dei notionem, & comprehenſionem ſuperbè ſibi arrogabat, ad hæreticum ſpiritum confundendum proponit duodecim quæſtiones de vnius formicæ natura, & corpuſculo diſſoluendas; quas nemo philoſophorum, aut medicorum poterit enodare. Mihi verò etiam videtur de ſolo formicæ oculo non pauciores dubitationes, nec minoris difficultatis moueri potuiſſe.

S. Baſil. ep. 168.

Qua ratione legendum in vno folio libri huius mundi, & quid legẽdum.

3 Quod ſi eandem creatoris noſtri potentiam non in vno tantum verbo, ſed in vno folio ſiue pagina libri huius legere, & meditari voluerimus, noua exiſtat materia, multò maioris admirationis neceſſe eſt. Perluſtremus itaque mentis oculo non omnes orbes cæleſtes, non ſphæras ſublimium elementorum: ſed infimum hunc terræ noſtræ globum, eius molem, ſitum, elegantiam, virtutes ſparſim circa illum inſitas aliquantulum examinemus. Primùm in mole terra cælorum amplitudini comparata, modica eſt, & quaſi centrum collatum circumferentiæ, penè nulla: re ipſa tamen tanta eſt eius magnitudo, & vaſtitas, vt homi-

Moles terræ.

vt homines per tot sæcula, & myriades annorum à quo fuit creata, eam diu noctuque percurrentes pedibus, equis, camelis, curribus, & nauigijs, non dum omnes eius partes habitabiles, vel non habitabiles adhuc potuerint explorare, & ferè singulis ætatibus aliqua noua regio, vel insula prius ignota manifestatur. Vnde non ante multos annos post inuentum orbem, insulas quadringentas, quas Lucaias vocant, Lusitani repererunt, quarum non paucæ ampla regna possent constituere. Aliæ quas Maldieras appellant, dicuntur esse numero septem millia: Philippinæ verò vsque ad vndecim millia, quantum oculo à longe per immensa maria lustrari, non autem adiri singulæ potuerunt: præter alias innominatas, quas quia numerare nequeunt, dicunt esse propemodum infinitas. Secundò non minus stupore digna res est situs vniuersæ terræ pensilis circumquàque, suspensæ in medio aëris atque cælorum, nullo alio nixæ fundamento, nisi verbo Domini illius potentissimi, qui dixit, & facta sunt, qui de se testatur per Isaiam: *Ego sum Dominus faciens omnia extendens cælos solus, stabiliens terram, & nullus mecum.* Et de quo Dauid in psalmo: *Dominus firmauit orbem terræ, qui non commouebitur.* Quapropter ipsemet Deus disputans de turbine cum sapientissimo Iob, suam admirabilem architecturam in hoc opere non minus iucundo, quam graui sermone proponit considerandam. *Interrogabo*, inquit, *te, & responde mihi, vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi si habes intelligentiam. Quis posuit mensuras eius, si nosti? vel quis tetendit super eam lineam? super quo bases eius solidatæ sunt? aut quis demisit lapidem angularem eius? cum me laudarent simul astra matutina, & iublarent omnes filij Dei?* Angelici nimirum spiritus, qui sicut ex alijs, ita ex hoc opere Dei virtutem, ac magnificentiam exaltabant. Tertiò venustas & elegantia orbis terræ per similitudinem corporis animantis, cui quantum sphærica figura permittit, assimilatur, explicari aliquo modo potest, sicut sapienter Seneca obseruauit. Nam quemadmodum in corpore animato dantur partes aliquæ solidiores, vt ossa; aliæ molliores, vt caro, nerui, cartilagines: sunt & venæ aliæ pro sanguine, aliæ pro spiritibus in diuersas partes communicandis, sunt præterea capilli, & comæ cohonestantes. Ita in terra varia sunt marmorum, & lapidum genera per totum corpus conuenienter dispersa. Deinde tot fodinæ auri, argenti, stagni, plumbi, æris, ac ferri; sunt & salis, aliorumque bituminum fossilia, venæ aquarum perennes, receptacula vaporum & exhalationum per ter-

Ioan. Boterus in relat. lib. 6. cap. 1.

Situs terræ.

Isaia 44. 24.

Psal. 92. 2.

Iob. 38. 4.

Elegantia terrarum.

Lib. 3. nat. quæst. c. 15.

per terræ viſcera effectu multiplici ſe inſinuantium; nec deeſt veſtitus viridiſſimus, arborum, nemorum, atque camporum: ornatus venuſtiſſimus florum, frugum, fruticum, ac fructuum, quorum multitudo inſatiabili varietate decoratur. Quod ſi præterea virtutes occultas conſiderauerimus lapidum pretioſorum, atque gemmarum, aquarum, herbarum, ſeminum, intelligemus quam potens fuerit illa Dei benedictio, & mandatum à terra in prima ſui creatione acceptum, vt germinaret virentes herbas, proferret ligna pomifera, & alia ad vitam animantium vtilia, & neceſſaria. Quod ſtatim terra præſtitit; & præſtare nunquam ceſſabit, quo vſque numerus electorum impleatur, habita non ſolum neceſſitatis, & vtilitatis ratione, ſed etiam copiæ, diuitiarum, deliciarum, & omnis ferè generis voluptatis.

Virtus terræ.

Quomodo perlegatur huius mundi liber.

4 Supereſt iam eàdem forma, vel etiam pro amplitudine materiæ contractiori exponamus qua ratione idem attributum diuinæ potentiæ inueſtigari, & cognoſci aliter poſſit, legendo in magno huius mundi libro, vno velut intuitu perluſtrando vniuerſa iuxta illa quatuor, quæ in hac infima noſtri mundi parte antea perſtringebamus: Primùm amplitudinem, deinde ſitum, tertiò elegantiam, quartò virtutem. Inprimis itaque ad amplitudinem vniuerſi noſtris anguſtis conceptibus apprehendendam, erit in mentem reuocanda immenſitas deſcripta ſuperius totius orbis terrarum: tum ſphæris cæleſtibus altioribus comparanda. In qua comparatione adeo globus terræ decreſcit, vt veluti centrum in ſphæra, & punctum indiuiſibile, ſiue atomus, mathematicis demonſtrationibus quodammodo eſſe conuincatur. Neque verò id nobis ad perſuadendum, quamquam admirabile, difficile videri debet: nam quemadmodum corpus quodcumque, è regione ſolis conſtitutum; nullam ne minimam quidem vmbram ex atomi vnius interpoſitione recipit: ita nullum eſt ex altioribus ſyderibus præſertim firmamenti, quod interiectu orbis terræ aliquatenus obſcuretur, vel eclypſim ex aliqua ſui parte patiatur: ſicut in nocte ſerena ſtellis pleno fulgore lucentibus, & vndequàque ſcintillantibus manifeſtum eſt. Præterea inde quoque magnitudo cœlorum cognoſci poteſt, quia præter ſolem, qui pluſquam centies & quinquagies terram ſuperat amplitudine, ſtellæ omnes & ſingulæ, quæ dicuntur primæ magnitudinis in firmamento ſupra centies totam cum aquis terræ molem intra ſe laxè continerent. Iam verò quàm parum de tota amplitudine firmamenti ſtellis huiuſmodi etiam ſi mole vaſtiſſimis occupetur maxima inter ſtellam, & ſtellam

Amplitudo vniuerſi qualis, & quanta.

& stellam spatia interiacentia declarant. Neque vero in eo firmamenti ambitu est finis, siue vltima circumscriptio vniuersi: quandoquidem vt periti mathematici tradiderunt, alij plures orbes cælestes illo superiores multoq. maiores dentur necesse est. Supra quos omnes sublimitate, & spatio incomparabili firmatum est cælum omnium eminentissimum, quod à sanctis Patribus Empyreum, à Scripturis sacris, cælum cæli nominatur *Psal.113.16.* pro æterna Beatorum mansione, & aula primaria supremi Imperatoris, & Monarchæ vniuersi. Ad cuius rei considerationem, quis primùm non exclamet cum propheta: *O Israel, quàm magna est domus Dei, & ingens locus possessionis eius? Magnus est, & non habet finem, excelsus, & immensus.* *Baruc.3.24.* Deinde quis pio quodam horrore animo propè non deficiat attendens, quam tremenda distantia à patria nostra seiuncti, & inter bruta animalia relegati exulamus, adeo propinqui inferno carceri damnatorum, in cuius quasi tecto ludimus, & dormimus obliti illius, *quæ*, vt ait Apostolus, *sursum est Hierusalem, quæ libera est, & est mater nostra.* *Ad Gal.4.26.* Nec illum potius imitari contendimus qui etiamsi Rex esset opulentissimus, & inter omnes ferè vitæ huius commoditates, ac delicias constitutus, nihilominus tanquam exul in terra aliena flens, & ad supremam patriam anhelans dicebat: *Si oblitus fuero tui Hierusalem, obliuioni detur dextera mea: Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui Hierusalem; si non proposuero Hierusalem in principio lætitiæ meæ.* *Psal.136.5.* Tertiò, quis mortalium non admiretur stupiditatem, atque dementiam, qui animo tam pusillo pro terminis, ac limitibus infimæ huius terræ propagandis, vbi ad paucos dies morabuntur tanquam pro murium, aut formicarum caueis laxandis, ita sunt solliciti, adeòque inter se certant, digladiantur, collecto exercitu præliantur, & de cælorum amplitudine non solum sæpe non cogitant, sed frequenter etiam minimam terræ huius portiunculam æternis illis mansionibus anteponunt: Quando etiam si ageretur de totius orbis terrarum æterna possessione acquirenda, non magis eam facere deberent cælorum possessioni comparatam, quàm si minutum arenæ granum globo terræ vniuerso conferretur. Sed de situ ambientium omnia cælorum pro secundo puncto huius considerationis aliquid attingamus: *Situs admirabilis mũdi vniuersi.* hic situs non est sicut terræ in medio aëris circumfusi, aut aquæ circumfluentis, sed in mera vacuitate rerum omnium creatarum, & nihilo vndequaque infinito. Ibi, si potest ibi dici, vbi nullus est locus, suspensa est machina vniuersi, eò vastiori

mole,

mole, quò fundamento tenuiori, nisi verbo firmaretur omnipotentis, de quo Dauid: *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum*, & illius brachijs sustentaretur, de quibus Moyses: *Habitaculum*, inquit, *eius sursum & subter brachia sempiterna:* & manus ac digiti præsto essent, de quibus Isaias: *Quis cælos*, ait, *palmo ponderauit? quis appendit tribus digitis molem terræ?* & maiestas eminentissima illius, de quo Iob; *An non cogitas quod Deus excelsior cælo sit: & super stellarum verticem sublimetur?* Tertiò offert se consideranda cælorum elegantia, non totius vniuersi, ne modo nimis latè vagemur, neque illa interior oculis negata mortalibus digna profundiore contemplatione, & interno intuitu Beatorum; sed exterior hæc, & veluti corticis, quæ omnium oculis se ingerit, & nobis semper manet exposita, de qua scripsit Ecclesiasticus: *Vas castrorum in excelsis in firmamento cæli resplendens gloriosè: Species cæli gloria stellarum mundum illuminans in excelsis Dominus*. Et de astrorum principe sole addit ibidem, *Vas admirabile opus excelsi: magnus Dominus, qui fecit illum*. Vt intelligamus nec habere à se astra talem pulchritudinem potuisse, nec ad solem esse principaliter referendam, sed ad Deum præpotentem, qui astra, veluti stationarios milites armis indutos fulgentissimis per cælos, quasi per arces in excubijs collocauit, & inter ipsa maximum omnium astrorum solem, in argumentum præcipuum suæ maiestatis, veluti castrorum, & totius militiæ ducem constituit, sponso propter pulchritudinem, giganti propter virtutem comparatum in Psalmo vbi dicitur: *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo: exultauit, vt gigas ad currendam viam*. Quanta porrò cum obedientia, & quam ad nutum Conditori suo patri luminum obsequātur alius propheta declarat, cum ait: *Stellæ autem dederunt lumen in custodijs suis, & lætatæ sunt, vocatæ sunt, & dixerunt: adsumus, & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas. Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum*. Qua consideratione adeo sancti viri exultabant, vt de sancto Francisco habeamus proprium de hac re canticum sibi conscripsisse, quod canticum solis appellauit. Quartò loco non minus admiratione digna offert se nobis virtus cælorum in lumine, & motu consideranda, eādem conditoris sui potentiam manifestans, & quod attinet ad luminis efficaciam, & multiplices, ac præstantissimas eius proprietates, qui eas non videt, cæcus est, qui non sentit ne inter viuos quidem numerandus. Recenset ex illis prope, quadraginta

Psal. 32. 6. Deut. 33. 26. Isa. 40. 12. Iob. 22. 12. Mundi elegātia. Eccles. 43. 9. Psal. 18. 6. Baruch. 3. 34. Virtus cœlorum in lumine, & motu, qualis, & quāta.

draginta ſanctus Dionyſius Areopagita, partim in libro de diuinis nominibus, partim de cæleſti Hierarchia: vt mirum non ſit nulli creatæ rei Deum diuinaſque perfectiones ſæpius, quàm luci, & lumini in diuinis ſcripturis comparari. Motus denique cælorum, vt alia omittamus, velocitas, & regularitas, etiamſi cætera argumenta deficerent, ad infinitam Dei potentiam declarandam abundè ſufficeret. De ſole loquens Eccleſiaſticus dicebat: *Vas admirabile opus excelſi, magnus Dominus qui fecit illum, & in ſermonibus eius feſtinauit iter.* Hæc feſtinatio quanta ſit, etiamſi Dauid per gigantis curſum eam ſignificauerit cum dixit: *Exultauit vt gigas ad currendam viam*; nullius tamen rei corporeæ pernicitate, ſatis declarari poteſt, ſiue ſagittam, ſiue fulmen, ſiue quid celerius imaginemur, aut excogitemus, cum enim proprius ſolis motus, non ſit diurnus ab oriente in occidentem, ſed annuus ab occidente per ſigna Zodiaci verſus orientem, & tamen motu rapidiſſimo primi mobilis intra horas vigintiquatuor ab oriente in occidentem, & à noſtro occidente ad diem inferiori mundo ferendum, iterum ad punctum noſtri orientis debeat feſtinare, vt duo ſibi commiſſa negotia quodammodo contraria perficiat: neceſſe eſt motum primi mobilis in conuexa ſuperficie firmamenti conſideratum, adeo eſſe velocem, vt ſingulis diurnis nocturniſq. horis, immò & ſingulis horarum quadrantibus multa millia, & milliones milliariorum conficiat ea celeritate, qua ſi auis moueretur poſſet, vt periti Mathematici computant, huiuſmodi volatu ſpatio temporis quo ſemel Angelica ſalutatio recitatur, ſepties terram totam à noſtro hemiſphærio per antipodas ſub æquatore circumire. Si verò de ſpatio vnius integræ horæ loquamur, computant eo motu tot debere milliaria confici, vt circumiri tota terra ſub linea æquinoctiali bene poſſit, millies, octies centies, octuagies, & quater. Alia quoque ſatis manifeſta coniectura eadem orbium cæleſtium in circulari motu velocitas deprehenditur; quia ſol, ſicut antea dictum eſt, pluſquam centies & quinquagies terram ſuperat magnitudine, qui tamen vbi veſpertino tempore ad occaſum ruit, & ſuæ lucis rotam incipit occultare, etiamſi proprio motu, quaſi contranitatur aſcendens per Zodiacum, adeo tamen rapide motu primi mobilis deorſum agitur; vt minus quam parte quarta quadrantis totam ſuam rotam abſcondat, quod eſt plus itineris conficere quàm in ſemidiametro terræ decies ſepties replicato, contineatur. Meritò igitur dixit Eccleſiaſticus; Magnus Dominus qui fecit illum, & in

ſermoni-

Lib. de diu. Nom. c. 4.
Lib. de cæleſ. hier. c. 15.
Eccleſ. 43. 5.
Pſal. 18. 6.

ſermonibus ſuis feſtinauit iter. Sed eſt aliud quoque in hac feſtinatione quaſi naturæ miraculum, ſumma videlicet, ſine vlla, vel minima diſſonantia, motuum regularitas, eò admirabilior, quò grandiora ſunt ea quæ mouentur corpora, & motibus vt vidimus citatiſſimis agitantur, & varijs, & inter ſe quodammodo oppoſitis, atque diutiſſimis, nempe ab ipſis mundi primordijs, eundemque tenorem vſque ad finem ſæculorum inuiolabi-
Iob.38.31. liter obſeruabunt. Hinc illæ Dei ad ſanctum Iob interrogationes: *Numquid coniungere valebis micantes ſtellas Pleiadas, aut gyrum Arcturi poteris diſſipare? quis enarrabit cælorum rationem, & concentum eius quis dormire faciet?* Quare vt hoc caput concludamus, quanta debet eſſe huius Domini potentia, qui ſicut cælos omnes, ac terras, & cælum cælorum de
Prou.8.31. nihilo, & quaſi ludens in orbe terrarum (vt loquitur Salomon) procreauit: ita nullo labore, aut defatigatione regulariſſimè dirigit, & gubernat. Et quanta noſtra tarditas ac deſidia in tempore, quod tanta velocitate tranſuolat, vtiliter ſecundùm Dei beneplacitum inſumendo; quodque tam ordinatis cælorum motibus vſque ad extremum magni iudicij diem pro animæ ſalute procuranda nobis diſpenſatur? Nec illud terribile iuſiurandum aduertimus, quod ponit in ſua Apocalypſi
Apoc.10.6. ſanctus Ioannes, Angeli manum ſuam in cælum eleuantis: *& iurauit*, inquit, *per viuentem in ſæcula ſæculorum, qui creauit cælum, & ea quæ in eo ſunt: & terram, & ea quæ in ea ſunt: & mare, & ea quæ in eo ſunt; quia tempus non erit amplius.* Ceſſante nimirum motu cælorum, & generationibus viuentium, nouo cælo ſuccedente, & noua terra cum æternitate, ſiue gloriæ Beatorum, ſiue ſupplicij damnatorum.

C A-

CAPVT TERTIVM.

Quomodo sumatur materia meditandi ex secundo libro conscientiæ:

1 SECVNDVM librum, vnde copiosa materia meditandi sumi potest, dictum fuit, esse vniuscuiusque cor, & propriam conscientiam: paruus sanè libellus hic est, sed non minus vtilis, & magis quàm primus ad legendum necessarius. Quare per omnes suas paginas ipsum totum perlustrabimus, neque enim illæ multæ sunt, sed nouem tantummodo: quin etiam singulas ex vtraque facie, ita vt sint octodecim, separatè inspiciemus. Vt autem huius numeri sufficientia ante alia dicenda percipiatur, sciendum est in quolibet homine, sicut in qualibet alia substantia tria potissimum inueniri, circa quæ sapientes iuxta doctrinam sancti Dionysij Areopagitæ maxime philosophantur, primum est, esse rei, deinde illius posse: tertio ipsum facere, vel operari; siue quod idem est, substantia, potentia, & operatio. Hæc tria ducta per tres temporis differentias, præteriti, præsentis, atque futuri, sicut tum homini, tum alijs rebus creatis plerumque succedit, ter per tria multiplicando nouem constituunt à nobis singillatim considerandas quasi distinctas inter se vnius libri paginas. Nimirum quid fuit homo præterito tempore: quid seu qualis sit in præsenti: quid tandem erit in futuro. Rursus quid antea potuit homo, præsertim cum non dum esset: quid nunc possit, & quid poterit postea. Quid olim fecerit, quid faciat modò, quid denique facturus sit. Quia verò nostrum esse, posse, & facere, est ita coniunctum cum esse, posse, & facere Dei, tanquam primi rerum omnium principij, & vltimi finis, vt vnius perfecta consideratio alteram inducat, aut subsequatur: sicut in libro ex primæ faciei vnius paginæ studiosa lectione ad alteram faciem subsequentem similiter legendam incitamur, ideo vbi hæc omnia nouem capita per se singula, quantum ad nos attinet inspexerimus, post vnum quodque ad Deum sub eodem argumento considerandum, quasi versa consequenter pagina progrediemur. Quare bonum erit imaginari, in singulis huiusmodi chartis esse præ-

> Quis sit hic liber, & quot paginas contineat.

> *Lib. de cælesti Hierar. c. 11.*

ſe prænotatum, & quaſi pro titulo inſcriptum breue illud elogium, quod à ſancto Auguſtino acceptum, ſiue ab eodem ſancto Spiritu ſibi in corde dictatum ſanctus Franciſcus per integram noctem orando in Aluerniæ monte repetebat: Nouerim me, nouerim te. *Eſt enim,* inquit Clemens Alexandrinus *diſciplinarum omnium pulcherrima, & maxima, noſſe ſe ipſum: nam ſi quis ſe ipſum nouit, Deum cognoſcit.*

S. Auguſt. in lib. de vita beata. Clemẽs Alex. lib. 3. pædag. cap. 1.

Prima pagina cõtinet, quid fuit homo, & quid erat Deus.

2 Eſt itaque in prima libelli noſtri pagina legendum, & attentè conſiderandum quid fuit homo: vbi nihil hominis inuenies præceſſiſſe, niſi materiam hanc triplicem, proximam, remotam, & remotiſſimam, his enim vocabulis cogimur rem explicare. Proxima non ſolum verbis deſcribi, quod tamen pij authores ad confuſionem humanæ ſuperbiæ facere non prætermittunt, ſed, vt mihi videtur, ne cogitari quidem ſine aliquo horrore poteſt. Aliarum arborum, fruticum, ac plantarum ſementem, ſcimus eſſe mundam, in multis etiam odoriferam: hominis pro honeſtate tacenda eſt. Et adhuc parum eſſet ſi de immunditia corporali tantummodo ageretur, ſed ſimul cum illa, & per illam trahitur quædam omni veneno nocentior virulentia ſpiritualis, ſiquidem non minus certa, quam clara ſunt illa ſacræ ſynodi Tridentinæ verba: *Re vera homines, niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, non naſcerentur iniuſti, cum ea propagatione per ipſum, dum concipiuntur, propriam iniuſtitiam contrahant.* Quapropter de hac infectione Iob, cum Deo verba faciens, quam ab eo ſolo mundari, & ſanari poſſe teſtificatur, qui ſolus eſt, addit per admirationem: *& dignum ducis ſuper huiuſcemodi aperire oculos tuos?* Si verò ad materiam remotam conſiderandam tranſeamus, in ea quoque non pauca inueniemus, vnde meritò humiliari debeamus: nihil ſiquidem eſt aliud, quàm viliſſima humus, eo conſilio à ſapientiſſimo conditore parti noſtræ ſpirituali tam arcto, & ſubſtantiali vinculo colligata, vt eſſe humiles nunquam obliuiſcamur. Cum enim Deus primos Angelos condidiſſet creaturas omni ex parte nobiliſſimas, puros videlicet ſpiritus ab omni corporis concretione ſeiunctos, & inde ſuperbiendi materiam illis ſubminiſtratam obſeruaſſet, voluit alias extare intellectu præditas creaturas, quæ etiamſi ex meliori ſui parte, mente & Spiritu cum Angelis conuenirent, ex altera tamen cum pecudibus, & terræ vermiculis communicarent. Quod ſi vlterius materiam hominis remotiſſimam exquiramus, merum nihilum non aliud inueniemus, hoc propriè noſtrum eſt, idque tantummodo habemus ex nobis:

Triden. ſeſſ. 6. cap. 3.

Iob. 14. 3.

cætera

cætera in tali, ac tanta, qua non potest esse, nec intelligi maior mendicitate, sola Dei misericordia, & liberalitate fuere donata. Sed iam vertamus paginam, & quid Deus fuerit, attendamus: *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*, inquit Dauid: *Psal.101.28.* ita plane diues, & potens Deus; ita sapiens, ac sanctus; ita fœlix, atque beatus sicut modo est, antea extitit ab æterno: neque prorsus quicquam ex totius vniuersi creatione, siue commodi, siue perfectionis in se recepit, aut recipere ex mundis infinitis vlla ratione potuisset. Vt enim bene sapientes docuerunt, licet quædam plura sint Deus cum creaturis, non plus est tamen quicquam cum illis, nec minus aliquid sine illis. *Omnes gentes*, *Isa.40.17.* ait Isaias, *quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum, & inane reputatæ sunt ei*: & in eodem capite: *Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt*. Nam *Isa.40.15.* quemadmodum nihil alicui vasi perfectionis adiungitur, ex eo, quod aqua plenum cum sit, stilla siue guttula ab illo profluxerit: ita neque Deo quicquam perfectionis accessit, ex eo quod ab ipso prodierint creaturæ. Ne quis autem ea similitudine vlterius posse inferri existimaret, saltem aliqua ex parte videri exhaustam Dei potentiam, & facultatem in producendis adeo multis, & magnis creaturis: sicut quantacumque aquarum copia in vase inueniatur, guttis pluribus decidentibus sensim exhauritur, ideo propheta subiecit; *& quasi momentum stateræ reputatæ sunt*. Non enim propterea quod in vnam partem modica rei alicuius adiectione statera declinauit, inde quicquam perdidit, cū nihilominus intra ipsam in alterutra lance inueniatur: ita & Deus nihil amisit ex ijs, quæ inclinatione suæ liberæ voluntatis liberalissimè contulit creaturis, sed in ipso omnia eminentius inueniuntur. *Quoniam*, vt ait Apostolus, *ex ipso*, *Ad Rom.11.36.* *per ipsum, & in ipso sunt omnia, ipsi gloria in sæcula*.

3 Prima pagina nostri libelli decursa, offert se nobis ad legendum secunda: quid est homo. Qua de re Dauid agens cum Deo valde admirabatur, dicens: *Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis; quoniam visitas eum?* At eandem pertractans humillimus Iob quæstionem sic illam definitè resoluit: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore repletur multis miserijs. Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet*. Quibus verbis septem indicātur præcipua capita humanarum miseriarum, ad quæ alia quàmplurima facilè reducuntur. Primùm, misera natiuitas: Secundò, vita breuissima: Tertiò, varijs & quàmplu-

Secunda pag. quid est homo. *Psal.8.5.* *Iob.14.1.*

rimis est exposita miserijs: Quartò, hominis species externa fluxa, & fragilis: Quintò, mortis genus incertum, & inexpectatum: Sextò, transitus repentinus: Septimò, summa rerum omnium inconstantia. Et quidem natiuitas quam sit misera inde apparet, quod non tam viuendi, quàm moriendi præbet initium.

S. Ambros. lib. 2. de vocat. gent. c. 8. *Vitæ huius principium*, ait sanctus Ambrosius, *mortis exordium est: nec prius incipit augeri vita nostra quam minui: cui si quid adijcitur spatij temporalis, non ad hoc accedit, vt maneat, sed in hoc transit, vt pereat*. Et, vt alter breuiter dixit, & eleganter:

Senec. in Her. fur. *Prima, quæ vitam dedit, hora carpsit*. Sicut verò nascitur homo propter originalem culpam in paterno delicto deprehensus iræ filius, & reus æternæ damnationis: ita non nisi in teterrimo carcere vteri materni nobile suæ vitæ principium auspicatur: vbi

Innocentius Papa lib. 1. de contẽptu mundi. c. 4. pro ambrosia, & nectare tam abominabili vescitur nouem mensibus alimento, vt quod graues authores adnotarunt, solò eius contactu sterilescant arbusta, arescant fruges, herbæ, ac germina siccentur, specula mirè inficiãtur, & canes si gustent in rabiem efferantur. Et tamen ex tam misero conuictu prodiens in hanc lucem, ac si à quieto littore primùm proiectus fuisset in mare miseriarum, fletu, & eiulatibus indicat, quid sentiat de hac vita: vbi quasi de nouo crimine conuictus, statim illum vincula excipiunt, & omnium membrorum nexus, à quibus cum per ætatem licebit se expedire, incipiet multo peioribus implicari; nempe indomitarum cupiditatũ: vnde aliqui nonnumquã canibus reddũtur impudentiores, crudeliores hyrcanis tigribus, & venenatis bestijs nocentiores: numero verò, magnitudine, & enormitate peccatorum, certant interdum ipsos Dæmones superare. Itaque quòd breui viuat tempore, & quòd sicut in psalmo dici-

Psal. 54. 24. tur: *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos*, videtur inter minora mala computandum: immò ait Seneca, *nihil*

Senecæ lib. 10. ep. 71. *melius æterna lex fecit, quam quod vnum introitum nobis ad vitam dedit, exitus multos*. Sed neque tam breuis est humanæ vitæ periodus, nec exitus tam expediti, quin multis, & multiplicibus miserijs experiendis amplum spatium relinquatur, *Mi-*

Serm. in feriã 4. hebd. san. *serijs*, ait sanctus Bernardus, *corporis, miserijs cordis, miserijs cum dormit, miserijs dum vigilat, miserijs quaquà versus se vertat, donec omnium morborum mors adueniat medicina*. Quod si dicat hic aliquis, non omnes, nec semper tales experiuntur miserias, sunt non pauci fœlices, ac florentes: audiat, quid in eadem

Isa. 40. 6. hominis descriptione subdatur: *qui quasi flos egreditur, & conteritur*. *Clama*, dictum est à Domino prophetæ Isaiæ, *& dixi, quid*

quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri; quid fœno leuius? quid fragilius? quid contemptibilius? & talis est omnis caro, idest omnis homo, siue ille sit pauper, siue diues, siue seruus, siue dominus, princeps, aut monarcha; *& gloria eius sicut flos agri,* non horti clausi, & custoditi, sed agri aperti, & peruij, omnibus cœli, terræque iniurijs expositi, vbi facillimè flos ab æstu lauguescit, & marcescit, à frigore constringitur, & perimitur, à gregibus eradicatur, & depascitur, à viatoribus conculcatur, atque conteritur. Ne quid autem magnum putemus, quia floret aliquando, statim subiungitur: *& fugit velut vmbra.* Quid verò est vmbra nisi priuatio quædam, & defectus lucis? *& nunquam in eodem statu permanet.* Quod etiam Dauid optimè expressit, dicens: *Veruntamen vniuersa vanitas omnis homo viuens:* quasi non sufficeret alibi dixisse: *Homo vanitati similis factus est: dies eius sicut vmbra prætereunt:* & quod deficiant in vanitate dies eius, & anni eius cum festinatione: sed vniuersa vanitas omnis homo viuens, siue vniuersitas vanitatis, quantumuis viuidus & florens esse videatur. Vt quemadmodum in Deo omnia alia bona, & creaturarum vniuersæ perfectiones continentur: ita in homine omnes aliæ aggregatæ quodammodo vanitates inueniantur. Quare si versa pagina, quid sit Deus inspiciamus, occurret primùm illud Moysi dictum ab ipso Deo: *Ego sum, qui sum,* non quasi alia quoque non sint, sed quia tam multa illis desunt, vt plus habeant de non esse, quam esse: quæ verò illis non desunt adeo varijs sunt obnoxia mutationibus, vel etiam corruptioni, quæ nihil aliud est, quam transitus de esse, ad non esse, vt verius non esse, quàm esse, dici posse videatur. *Et aspexi,* inquit sanctus Augustinus, *cætera infra te, & vidi nec omnino esse, nec omnino non esse: esse quidem, quia abs te sunt: non esse autem, quia id quod es, non sunt: id enim vere est, quod incommutabiliter manet.*

Psal. 38. 7.
Psal. 143. 4.
Psal. 77. 33.
Exod. 3. 14.
S. Aug. lib. 7. Confess. c. 11.

4 Sequitur tertia nostri libri pagina, in qua quid erit homo continetur, lectio maximæ vtilitatis, siue quo ad ea, quæ futura certò scimus, siue quò ad illa, quæ isto ne, an alio planè contrario modo sint euentura penitus ignoramus. Certò scimus vnum annum pro nobis futurum extremum, vnum mensem, quem vltimum numerabimus, vnum diem, post quem alter nobis in hac mortali vita non illucescet, vnam denique postremò labentem horam; sed quis ille annus, mensis, dies, & hora futura sit penitus ignoramus. Propterea verò disposuit Deus, vt ignoremus, ne

Tertia pag. quid erit homo.

vllam horam, ne vllum diem non magna diligentia obseruaremus: vnde dicebat in Euangelio Christus Dominus: *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam*, & sanctus Augustinus, *latet*, inquit, *vltimus dies, vt obseruetur omnis dies*. Iudicium particulare statim post mortem, & suo etiam tempore, vniuersale futurum, fide reuelante non dubitamus: sed quo euentu, quali sententia, pro nobis ne, an contra nos, ambigimus. Præmia æterna sanctorum, & sempiterna supplicia impiorum, nemo fidelium non habet certissima, sed tanta certitudine polliceri sibi illa præmia, vel eximere se ab illis pœnis, nemo in hac vitæ incertitudine, si fidelis est, audebit. Quo autem fructu, hæc & similia meditemur, monuit nos Ecclesiasticus cum dixit: *Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis*. & Moyses: *vtinam saperent, & intelligerent, & nouissima prouiderent*. Si quis autem ista se non semel esse meditatum dicat, & sæpe meditari consueuisse, videat quia forte nunquam id præstitit, sicut debuisset: nam quod spectat ad considerationem mortis, puto nunquam erit eam meditatus, sicut ille de quo refert Ioannes Climacus, fuisse primùm, quamuis religiosum, in obsequio tamen diuino valde negligentem, & salutis animæ suæ prorsus immemorem; postea verò quam in morbum incidit, qui futurus videbatur extremus, & ex propinqua morte quanti ea res sit momenti benè apprehendit, animo, & corpore conualescens, cellæ tanquam perpetuo carceri se addixit, ibi per annos duodecim, hoc est vsque ad mortem, sedit attonitus, iugiter fluentibus per genas lacrymis, oculis ferè semper ad vnam partem intentis: nisi quòd moriturus cùm iam esset, obsecratus à fratribus accurrentibus, & fores per vim effrigentibus, inter quos erat ipse Climacus, vt aliquid tandem responderet, hoc solum dixit: Mihi parcite, fratres, nemo benè memor mortis, vnquam amplius peccabit. Iudicium particulare post mortem futurum sæpe meditatus es; at vide si tam bene aliquando, sicut ille, cui oranti socius paulo ante defunctus apparuit, ter inclamans: nemo credit, nemo credit, nemo credit. A quo cum orans perterritus quæsiuisset; quid tandem hoc est, quod nemo credit? respondit alter: quàm districtè iudicet nos Deus, & quàm seuerè puniat. Iudicium extremum, & vniuersale non semel recogitasti, sed nunquam animo sic hæsit, vt sancto Heronymo, qui sicut ipse de se scribit, siue manducaret, siue biberet, siue quid aliud faceret, semper audire sibi videbatur, terribilem illam tubam, & Angelicas voces intonantes: surgite mortui venite ad iudicium.

Matt. 25. 13. *Eccles. 7. 40.* *Deut. 32. 29.* *Clim. gr. 6. de medit. mortis.* *Iacobus de parad. Carthus. lib. de peccatis mortalibus criminalibus.*

cium. Idem esset dicendum de æternis supplicijs damnatorum, & beatorum gaudijs sempiternis, videndum scilicet, an hæc meditati fuerimus aliquãdo, sicut à tot sanctis Christi martyribus, qui inferorũ tormenta cum huius vitæ cruciatibus conferentes, ardentes hic prunas, accensas fornaces, candentes laminas, quasi rosas, flores, & violaria existimabant, per quæ ad fœlicitatem, & præmia beatorum tam hilari animo, & læto vultu festinabant, vt suos tortores arguerent tarditatis, & antea carnifices in torquendo, quàm ipsi in patiendo pro Christo fatigarentur. Hinc versa pagina intueri licebit, quid erit Deus, videlicet fœlicissimus perinde ac fuit semper in se ipso, sibi ipsi sufficientissimus, sanctus, & ipsa sanctitas, bonus, & ipsa bonitas, ac summum bonum, siue plures, siue pauciores saluentur, aut damnentur. *Quid prodest Deo*, inquit Iob, *si iustus fueris? aut quid ei confers si immaculata fuerit via tua?* & addit in alio capite *Suspice cœlum, & intuere, & contemplare æthera, quod altior te sit: si peccaueris quid ei nocebis? & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Porrò si iustè egeris quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? Homini qui similis tui est nocebit impietas tua, & filium hominis adiuuabit iustitia tua.* *Iob.22.3.* *Iob.35.5.*

5 Quarta libelli nostri pagina, continet, quid potuit homo, ea verò facile quo ad hanc partem trãscurritur, quia cum posse aliquod esse existentiæ præsupponat, homo qui ante aliquot annos cepit existere, & inde per totam antecedentem æternitatem nihil fuit, adeo nihil potuit, vt neque ab eo qui omnia potest eleuari per modum minimi instrumenti ad præstandum aliquid potuisset. Sed ante omnia opus habuit manu omnipotentis nullibi nixa, nisi in se ipsa, extrahi ab infinitæ profunditatis nihilo; & ita esse aliquod accipere; deinde facultatem, vt aliquid posset, eàdem semper diuina manu adiuuante, promouente, & per momenta singula misericorditer conseruante. Sed erit hic fortè, qui suspicetur etiam, si creaturæ nihil adhuc potuerint extra Deum, vbi nihil erant in se ipsis, tamen in diuina mente, vbi ab æterno in esse cognito versabantur, aliquid re vera potuisse, nimirum sua possibili specie, & qualicumque bonitate simplici Dei intelligentiæ semper obuersante, potuisse permouere ipsum Deum, vt à nihilo extra suas causas educerentur. Et esse sanè hoc figmentum in operibus naturæ non absimile illi, quod in operibus gratiæ quidam ex Pelagij sectatoribus, in eiusdem gratiæ diuinæ contumeliam excogitarunt, dicentes, gratiam Dei, & prædestinationis beneficium iuxtà hominum meri- Quarta libri pag. quid potuit homo.

ta dispensari, saltem secundùm esse possibile meritorum sub conditione futurorum, atque adeo in æterna præscientia maiestatē Dei permouentium. Quod eo potissimum argumento refellit inuictissimus gratiæ propugnator sanctus Augustinus in eo libro, quem scripsit de prædestinatione sanctorum: quia inter prædestinatos magnus est numerus paruulorum, qui sine vllo vsu rationis antea mortui sunt, quam habere vlla propria merita potuerint. Neque verò illa merita erant respicienda, quæ habituri fuerant si vixissent: in multis enim ipsorum si viuere permissi fuissent, potius inuenta essent demerita, pro quibus damnari debuissent. Vnde cœlesti oraculo de vno illorum in libro sapientiæ pronunciatur: *raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, & ne fictio deciperet animam illius*. Hoc ipsum ad rem nostram aliquo modo transferendo dicimus, nihil quidē in operibus naturæ quod suo authori displiceat inueniri: nā vt in sacra Genesi dicitur: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erāt valde bona.* Sed antequā fierēt, poterant quidē esse, nondum tamen erāt bona, sed & alia poterāt esse æquè bona, quæ nō sunt facta, nec fient aliquando: poterant etiam esse alia meliora, quæ nec ipsa vnquā fierēt. Nō igitur facta sunt, quia essent bona, sed vt essent bona, & valde bona. Cur autē alia nō sint facta, quæ in æterna Dei præsciētia æquè bona, & alia quæ meliora futura fuisse, si fierēt simplici intelligentia discernebātur, quis cognouit sensum Domini, aut quis cōsiliarius eius fuit? Hæc breuiter sunt, quæ nos minimè potuimus, ipse vero per se potuit, & propter se voluit summè bonus, infinitè sapiens, & potens omnia Deus:

S. Aug. lib. de prædest. SS. c. 14.

Sap. 4. 11.

Gen. 1. 30.

Ad Rom. 11. 34.

Quem non externæ pepulerunt fingere causæ,
Materiæ fluitantis opus, verùm insita summi,
Forma boni liuore carens: vt bene ait Boetius.

Boet. lib. 3. de consolat. philos.

Quinta pag. quid possit homo.

6 Quinta eiusdem libelli pagina continent, quid nam possit homo de presenti, quid verò Deus. *Omnia possum in eo qui me confortat*, dicebat Apostolus. Sed sine eo quid valeamus, ipsa nos veritas Christus Dominus edocuit, cum dixit: *Quia sine me nihil potestis facere*, non solum quæ ad ordinem gratiæ, quam ipse nobis vniuersam quā homo promeruit: sed etiam quā Dei Verbum iuxtā ordinem naturæ, de quo testatur sanctus Ioannes: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. Itaque non manum, aut digitum sine illo mouere, non linguam in verba resoluere, non formare in corde vel minimam cogitationem, sine illius auxilio valemus. Neque sufficit naturales suis creaturis Deum indidisse facultates, nam perpetua quoque illarum indigent

Ad Philip. 4. 13.

Ioan. 15. 5.

Ioan. 1. 3.

indigent conseruatione, & præterea perpetua, & continuata ad omnes, & singulas actiones applicatione, atque cooperatione. *Sunt* (inquit, S. Augustinus in Genesim scribens) *qui arbitrantur tantummodo mundum ipsum factum à Deo, cætera iam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinauit, & iussit; Deum autem ipsum nihil operari. Contra quos profertur illa sententia Domini: Pater meus vsque modo operatur, & ego operor*; Quommodo autem id creaturis suis præstet Deus, sic ibidem sanctus Doctor exponit: *Mouet itaque occulta potentia vniuersam creaturam suam, eòque motu illa versata, dum Angeli iussa perficiunt, dum circumeunt sydera, dum alternant venti, dum abyssus aquarum lapsibus, & diuersis etiam per aërem conglobationibus agitatur, dum vireta pullulant, suaque semina euoluunt, dum animalia gignuntur, varioque appetitu proprias vitas agunt, dum iniqui iustos exercere permittuntur, explicat sæcula, quæ illi cum primum condita sunt, tanquam implicita indiderat: quæ tamen in suos cursus non explicarentur, si ea ille qui condidit prouido motu administrare cessaret.* Huc vsque sanctus Augustinus. Quare nihil necesse est diuinæ omnipotentiæ ad hominis, vel alterius creaturæ actiones impediendas, destruere ipsas substantias, vel subtrahere operatrices facultates, aut immittere contrarias corrumpentes qualitates, vel oppositis contraniti actionibus; sed sufficit si vim cooperatricem incipiat Deus pro sua parte aliquantulum continere. Hac ratione manus interdum, & brachia impiorum in facinore obstupuerunt, linguæ mutæ, & immobiles in faucibus hæserunt: sic oculi peregrinantium discipulorum, vt refert sanctus Lucas, detinebantur ne Christum Dominum, cum quo familiariter versabantur agnoscerent: & quondam elementa (sicut legimus in libro sapientiæ) veluti organa in manu omnipotentis sonum suæ virtutis miris modis immutabant, ita vt ignis in aqua valeret supra suam virtutem, extra aquam verò non valeret: aqua rursus contra ignem extinguentis suæ naturæ (sic enim ibi scriptura loquitur) obliuisceretur. Meritò ergo à sancto Paulo, dicitur Deus *solus potens, Rex Regum, & Dominus Dominantium:* cuius adeò multiplici, & tam continuato auxilio in operibus naturæ cum indigeamus, adhuc multo magis illo indigemus in operibus gratiæ, quod etiam si millies obtinuerimus, vbi se à nobis radius diuini luminis culpa nostra subtraxerit, sicut in aëre millies à sole illuminato superuenientibus tenebris perinde nihil remanet claritatis, ac si nihil vnquam de superna luce participasset.

Lib. 5. de Gen. cap. 20.

Ioan. 5. 17.

Luc. 24. 16.

Sap. 19. 17.

1. Tim. 6. 16.

Sexta pag. quid poterit homo.

7 Viso quid potuit homo de præterito, quid etiam possit in præsenti, sequitur in sexta pagina legendum, quid poterit in futurum. Quæ quidem lectio, quo ad multa quæ non poterit satis est manifesta, quoad illa quæ poterit obscura, & incerta Manifestum enim est absoluto huius mortalis vitæ cursu, non superfuturum amplius tempus pro impijs, & peccatoribus impetrandi veniam delictorum. *Si ceciderit lignum ad austrum* (ait Ecclesiastes) *aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit ibi erit*. Certum est etiam non futurum tunc vltra tempus in iustitia crescendi, in virtute magis proficiendi, vel apud Deum amplius merendi. Propterea monet idem Ecclesiastes: *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas*. Vtrum autem cras potero, quod hodie possum, incertum est: vtrum qui veniam promisit vere pænitenti, spatium vitæ tam longum sit concessurus, quis nouit? *Adhuc modicum lumen in vobis est*, dicebat Saluator, *ambulate dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant*. Præterea qualis futura sit adeo tarda resipiscentia, tam lenta vitæ mutatio, tam dilata pœnitentia, vsque ad extremam ægritudinem, & mortis propinquitatem, meritò dubitari potest, nam vt dicitur, pænitentia sera, raró vera: *Et quæ*, inquit sanctus Augustinus, *ab infirmo petitur pœnitentia, infirma est: quæ à moriente, timeo, ne & ipsa moriatur*. Ex altera verò parte si quid poterit Deus consideremus, facile intelligemus non minus futurum potentem, sicut non minus sapientem, iustum, ac sanctum, quam antea fuerit. Itaque benè poterit ipsius sic exigente iustitia, & præscribente sapientia, loco tepidi, negligentis, & ingrati alios feruentes, & gratiæ ipsius melius respondentes quocumque tempore substituere. *Non enim Deus*, inquit Ecclesiasticus, *concupiscit multitudinem filiorum infidelium, ac inutilium*: & quod magis est formidãdum, addit loquens de eadem iustitia diuina sanctus Iob: *conteret multos innumerabiles, & stare faciet alios pro eis: Nouit enim opera eorum, & idcircò inducet noctem, & conterentur*. Hinc ad euoluendam cum sancto timore sequentem paginam in libro nostræ conscientiæ excitabimur.

Eccles. 11.3. *Eccles. 9.10.* *Ioan. 12.35.* *Serm. 57. de tempore.* *Eccles. 15.21.* *Iob. 34.24.*

Septima pag. quid fecit homo.

8 Est autem in septima pagella, quid fecit homo. Conquerebatur propheta Ieremias illis verbis: *Nullus est qui agat pænitentiam super peccato suo, dicens: quid feci?* iusta sanè, & necessaria querela, non solum quia delictorum venia nunquam à Deo obtinetur sine illorum condigna detestatione, & iuxtà

Ierem. 8.6.

legem

legem euangelicam, sine diligenti quoque examine ad Sacramentalem confessionem ordinato, verùm etiam quia post veniam impetratam habitualis quædam pænitentia, & præteritarum culparum in genere saltem recordatio, nunquam est negligenda. Ideo ait Scriptura: *De propitiato peccato noli esse sine metu.* *Eccles. 5. 5.* Deinde, quia de amissa interdum, vel etiam sæpè, aut sæpissimè diuina gratia, constare nobis sine vlla ambiguitate certò potest; de recuperata verò non item, nisi forte per diuinam reuelationem, aliter nunquam ea certitudine cui non possit subesse falsum, aut de qua non possit dubitatio suboriri. Præterea quis ob id maximè vitium ingrati animi non exhorreat, intelligens valde esse verisimile multos nunc ardere in inferno, qui pauciora forte quàm ego peccata commiserint, si quidem vnicum mortiferum sufficit ad æternam damnationem, ibique iustissimam Dei iram sine vlla spe, sine vlla misericordia experiantur. Ego verò diuinis vndiq. beneficijs, misericordijs, & miserationibus circumseptus, ita constringor, detineor, expector, ac si in me vno Deus iacturam rei valde singularis, aut summi cuiusdam pretij reformidaret.

9 Octaua demum sequitur pagina simul cum nona breuiter percurrenda, vt finem huic capiti aliquando imponamus: Quid facio, quid faciam, quid vicissim Deus pro me faciat, & facturus est. Author libri de Interiori Domo, *Redi*, inquit, *ad cor tuum, & diligenter discute te ipsum, considera vnde venis, quò tendis, quomodo viuis, quid agis, quid amittis, quantum quotidie proficis, vel quantum deficis, quibus cogitationibus magis incursaris, quibus affectionibus frequentius tangeris, vel quibus tentationum maculis, à maligno spiritu acrius impugnaris*. His si addamus, quæ per singulas horas, atque etiam momenta pro nobis clementissimus, & liberalissimus Deus operatur, non in ordine naturæ tantùm, de quo antea dictum est, sed potissimùm in ordine gratiæ, repetitis excitationibus, replicatis inspirationibus, monitis internis, externisq. occasionibus proficiendi multiplicatis, vix otium pro alijs chartis, nedum pro alijs libris ad materiam contemplationis videbitur superesse.

Octaua, & vltima lib. pag.

Lib. de inter. domo c. 14.

CA-

CAPVT QVARTVM.

Quomodo sumatur materia meditandi ex Tertio libro sacræ Scripturæ.

Tria circa hunc librum sacræ Scripturæ expendenda.

1 TERTIVS hic propriè, & antonomasticè liber appellatus, Codex nimirum Sacrorum Bibliorum, in eo duos alios antecellit, quòd primus liber creaturarum magis pro perfectis, quàm pro incipientibus esse videatur: secundus verò liber conscientiæ magis incipientibus, quamuis etiam proficientibus, & perfectis vtilis sit, & quodammodo necessarius: at verò noster hic tertius, de quo nunc agimus, æquè incipientibus, proficientibus, & perfectis est accommodatus, tanquam omnibus summè vtilis, atque etiã necessarius. Quare alta in primis existimatio de illo erit à nobis concipienda; secundo magna eius varietas cognoscenda, vnde non tam liber, quam Biblia nominatur: tertiò erit explicandum quis melior sit modus eo vtendi ad finem meditationis.

2 Primum itaque de volumine sacrarum Scripturarũ quàm altè sentire debeamus, quia humana lingua exprimi, & intellectu nostro concipi non satis potest, aliqua ex parte ex admirabili illa visione ab Ezechiele duobus capitibus suæ prophetiæ descripta, intelligetur, quam sanctus Gregorius, post alios antiquiores tum Græcos, tum Latinos Patres de libris sacræ Scripturæ, & præsertim quatuor Euangelistarum mysticè interpretatur. Describitur autem in ea visione currus triumphalis, quo vehebatur gloria Domini, cuius in primis occurrit consideranda forma & structura: deinde ornatus: tertio loco ratio, & modus progressionis. Forma erat valde sublimis, vtpote currus, sicut diximus triumphalis, & vehentis splendorem, & gloriam Dei Israel, vt loquitur propheta. Egrediebatur autem à templo ex parte orientali: *Et sonitus alarum Cherubin*, inquit Ezechiel, *audiebatur vsque ad atrium exterius, quasi vox Dei omnipotentis loquentis*. Quid est autem quò potissimum Dei gloria, splendor magnalium ipsius, & lux mysteriorum nostræ fidei ad nos defertur, nisi volumen sacrorum Bibliorum? egreditur verò à templo Dei, & à parte orientali; quia continet oracula è cælo edita ad noctem infidelitatis, & nostræ mentis tenebras discutien-

Ezech cap. 1. & 10.
SS. Greg. Iren. Athan. Amb. August.

ſcutiendas, & quamuis inde ſonitus alarum Cherubin exaudiatur, vox tamen eſt Dei omnipotentis loquentis, quia videlicet ſacri authores calamo, & intelligentia magis angelica, quam humana; nec tam ſua, quàm Dei verba,& voces ediderunt.*Non enim,* inquit, ſanctus Petrus, *voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.* Addit circa ſtructuram currus Ezechiel: *ſtatura quoque erat rotis, & altitudo, & horribilis aſpectus. Quid eſt,* inquit, ſanctus Gregorius, *quod Scripturæ ſacræ eloquijs tria hæc ineſſe narrantur, vt ſtaturam,altitudinem,& horribilem aſpectum habere memorentur. Quærendum nobis magnopere eſt,quæ Diuinæ Scripturæ ſtatura, quæ altitudo, quis horribilis aſpectus dicitur.* Quod vbi fuſius examinare aggreſſus eſt, ſubdit inferius:*Scriptura igitur ſacra ſtaturam habet,quia mores ad ſtandum dirigit;altitudinem habet, quia in cæleſti patria æternæ vitæ gaudia promittit,horribilem quoque aſpectum habet, quia omnibus reprobis gehennæ ſupplicia minatur. Oſtēdit igitur ſtaturam ſuam in ædificatione morum,oſtendit altitudinem in promiſſione præmiorum, oſtendit horribilem aſpectum in terroribus ſuppliciorum.Recta eſt enim in præceptis,alta in promiſſionibus, horribilis in minis.* Hæc ſanctus Gregorius. Poſſumus etiam conuenientiſſimè per ſtaturam rotarum intelligere firmitatem ſacrarum Scripturarum,quæ etiamſi varijs ſenſibus,& interpretationibus à ſprititu Sancto intentis, & eccleſiæ patribus inſpiratis ad Dei gloriam promouendam, quaſi radij rotarum circa eundem rectiſſimum axem veritatis reuoluantur, vnde addit Ezechiel, quod ſpiritus vitæ erat in rotis, & volubiles ipſo audiente vocatæ ſunt, certitudinis tamen ſunt infallibilis, & prorſus immotæ. Vnde Saluator ait:*cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt,* & alibi: *Amen dico vobis donec tranſeat cælum & terra, iota vnum, aut vnus apex, non præteribit à lege donec omnia fiant.* Et in S. Ioanne:*non poteſt,*inquit, *ſolui ſcriptura,* ideſt incertitudinem habere, aut redargui falſitatis. Hac præſuppoſita firmitate, & conſtantia in rotis ſcripturarum, quàm ſe in altum eleuent circa promiſſiones, indicauit Apoſtolus vbi ait: *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Et oculus non vidit, auris non audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum.* Quàm vero horribili aſpectu hæ rotæ ſe dimittant in intentandis minis, apparet in plurimis ſcripturæ

Ep.2.1.21. *Ezech.1.18.* *In Ezech. ho. 6.* *Matth.24.35.* *Matth.5.18.* *Ioan.10.36.* *2.Cor.4.19.* *1.Cor.2.9.*

Isai. 33. 14. pturæ locis manifestè. *Quis poterit*, inquit Isaias, *habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Et adueniet*, ait Princeps Apostolorum, *dies*

2. Petri. 3. 10. *Domini vt fur, in quo cæli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur, & quæ in ipso sunt opera exurentur. Cum igitur hæc omnia dissoluenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conuersationibus, & pietatibus, expectantes, & properantes in aduentum diei Domini, per quem cæli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent?* Quam præterea formidabilis sententia contra impios æterno igni destinatos proferenda sit, extare voluit cõceptis verbis in Euangelio ipse Iudex viuorum,

Matth. 25. 41. & mortuorum. *Tunc*, inquit, *dicet & his, qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternumqui paratus est Diabolo, & angelis eius*. Præter formam verò, atque structuram huius currus, offert se nobis secundo loco considerandus orna-

Ezech. 10. 9. tus, de quo propheta sic ait: *Species autem rotarum erat quasi*

Ezech. 1. 16. *visio lapidis chrysolithi, & opus earum quasi visio maris*. Et insuper omnia notabantur etiam Cherubin, atque animantia currum trahentia fulgentibus oculis, quemadmodum in pauonibus: *Et omne corpus*, inquit propheta, *& colla, & manus, & pennæ, & circuli plena erant oculis in circuitu quatuor rotarum*. Quibus sacræ Scripturæ summa excellentia, larga affluentia, varia & multiplex sapientia, atque intelligentia designantur: excellentia in lapidis chrysolithi visione; quid enim aliud nisi aureos lapillos, & gemmas insertas inuicem cohærentes obseruamus in Diuinarum scripturarum studio, & lectione? affluentia in visione quasi maris, est enim veluti mare copiosa, & immensa sapientia scripturarum, quarum varietas, & sensuum multiplicitas oculorum illa multitudine denotatur. Quot enim Ecclesiæ doctores, & patres, quot viri contemplatiui, quot illuminatæ mentes, & meditationi deditæ Scripturarum per omnia tum noui tum veteris testamenti sæcula floruerunt, tot oculi circa hunc Dei currum ad eius mysteria de propinquo, & per singulas eius partes introspicienda extiterunt. Tertiò offert se circa eundem currũ digna consideratione ratio, & modus progressionis illius: eleuabatur enim in altum, vbi Cherubin, & animalia eleuarentur, & cum illa se demitteret demittebãtur: præsto quoque aderant varia instrumenta motus, alæ, rotæ, pedes, manus hominis sub pennas Cherubinorum, & quod sæpius à propheta repetitur, spiritus vitæ erat in rotis, & vbi erat spiritus illuc gradiebantur. Quibus mysticè significatur, magnam esse sancti

Spiritus

Spiritus in varijs hominum ingenijs per sacræ Scripturæ lectionem, studium, meditationem, contemplationem erudiendis facilitatem: quippe quæ varijs, & miris modis se illis accommodat: eleuatur cum ingenijs eleuatis atque sublimibus, & cum simplicibus demittitur. Hinc est quod illuminatissimis ecclesiæ doctoribus apparuit sublimissima,& numquam atis peruestigabilis, *Nam in scriptura*, inquit sanctus Augustinus in epistola ad Volusianum, *non solum in verbis, verum etiam in rebus, quæ intelligendæ sunt tanta latet altitudo sapientiæ, vt annosissimis, acutissimis, flagrãtissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem scriptura quodam in loco habet: cum consummauerit homo tunc incipiet*. Nec tamen propterea desinit esse quodammodo etiam facilis,& aperta simplicibus, quales fuerunt plures sanctæ Virgines, & Deo dicatæ mulieres, quæ legere vix nouerant, & tamen adeo eius lectione, & meditatione delectabantur, vt sacros libros è manibus vix vnquam deponerent, sicut de S. Cæcilia legimus, quod semper Euangelium Christi gestabat in pectore,& non diebus,neque noctibus à diuinis colloquijs, & oratione vacabat. Quare S. Gregorius de hoc argumento ad Leandrum Episcopum scribens: *Diuinus*, inquit, *sermo sicut mysterijs prudentes exercet, sic plerumque superficie simplices refouet: habet in publico vbi paruulos nutriat, seruat in secreto vnde mentes sublimiũ in admiratione suspendat. Quasi quidã quippe est fluuius, vt dixerim planus & altus, in quo & agnus ambulat, & elephas natat*. Ita de facilitate, & difficultate scripturarum S. Gregorius. Atq; hinc est, quod varia instrumẽta motus in curru prophetico, sicut dicebamus, apparuerunt, alæ, rotæ, pedes,& similitudo manus hominis sub pẽnis Cherubinorũ: quia videlicet sacrarum verba Scripturarum aliquibus alas, vt in contemplatione volent, subministrãt: alijs veluti rotæ se exhibent, vt ampla spatia mysteriorum, & supernaturalium veritatum magna celeritate percurrant: alijs sunt pro pedibus, vt tardiores firmis gressibus incedant, & ne quantumuis alta sit contemplatio, actiuæ & benè operatiuæ vitæ obliuiscantur, manus operatrices inter pennas sub alis Cherubinorum delitescunt.

Ep. 1. ad Volus.

Eccl. 18. 6.

In epist. ante l. 1. mor. c. 4.

3 Secundo loco ad vsum sacrorum librorum pertinere initio huius capitis dicebamus, nosse illorum mysteriosam varietatẽ, quã commodè possumus ad quatuor classes reuocare. Alij enim libri sunt sacras historias continẽtes, qui propterea historici appellãtur: alij prophetici, in quibus habẽtur variæ futurorũ prædictiones: alij propter mores, quos informant, morales: alij

Varietas omnium sacrorũ librorum ad quatuor classes reuocatur.

alij sunt mixti ex his. Nam quamuis nullus ferè sit sacrorum librorum, in quo aliquid historicum, propheticum, & morale non inferatur: in plerisque tamen vnum ex his tribus facilè eminere inter cætera cognoscitur, siue historia, siue prophetia, siue morum, ac vitæ documenta: nonnulli tamen sunt in quibus omnia tria quasi ad æqualitatem intermixta reperiuntur. Historici ergo sunt, Genesis, Exodus, & ferè totus Moysis pentateuchus, liber quoque Iosue, Iudicum, Ruth, libri Regum, Esdræ, Tobi., Iudith, Esther, & Machabæorum, Acta præterea Apostolorum. Prophetici sunt quatuor maiorum Prophetarum, & duodecim minorum, qui non propterea minores dicti sunt, quasi minoris essent auctoritatis, sed quia breuiores & contractiores, maiores verò plura complexi, fusiores. Propheticis meritò adnumeratur Apocalypsis, *cuius tot videntur esse Sacramenta, quot verba*, ait S. Hieronymus. Libri morales censentur esse Salomonis, & Psalmi Dauidici, Epistolæ quoque S. Pauli, & aliorum Apostolorum. Mixti autem sunt libri quatuor Euangeliorum, qui iure optimo, dignitate, vtilitate, iucunditate debent omnibus alijs anteponi. Atque ideo specialiter in prophetica quadriga Ezechielis fuisse designatos sancti Ecclesiæ Patres sæpè docuerunt: vbi per quatuor illas facies Hominis, Leonis, Bouis, & Aquilæ, singulos quatuor Euangelistas fuisse figuratos tradunt. *Nam quia*, inquit S. Gregor. super Ezechielem, *ab humana generatione cœpit, iure per hominem Matthæus: quia per clamorem in deserto, rectè designatur per Leonem Marcus: quia à sacrificio exorsus est, rectè per vitulum Lucas: quia verò à diuinitate Verbi cœpit, dignè per Aquilam significatur Ioannes*. Sed nec illud caret suo mysterio, quod cum quatuor essent rotæ in eo curru, vna tantum esse rota Prophetæ videbatur, qui tamen esse quatuor non ignorabat: quia vt S. Augustinus aduertit, quatuor Euangelia non tam quatuor, quam vnum idemq. Euangeliũ quatuor libris distinctum iudicari debet. Est & aliud nõ minore dignũ obseruatione mysteriũ, quod nõ solùm quatuor rotæ vna subinde videbatur, sed etiam quasi esset rota in medio rotæ: sacrum enim Euangelium, siue nouum testamentum ita in veteri continetur, sicut si vna rota in medio alterius rotæ ipsam ambientis constituatur: tunc enim necesse esset radios omnes illius rotæ amplioris rotam alteram in se cõtentam rectis lineis aspicere, & ad eam omnibus suis radijs, tãquam ad centrũ tendere; quia nimirum totum vetus testamentum ad nouum rectà dirigitur, & ad Christum Dominum tamquam ad centrum perfe-

S. Hieron in ep. ad Paulinum.

S. Aug. tract. 36. in Ioann.

ctissimè

ctissimè collimat. Vnde dicebat de ipso sanctus Petrus: *Huic omnes prophetæ testimonium perhibent*, & de seipso Saluator in sancto Ioanne: *scrutamini scripturas: illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me*. Quare sanctus Augustinus librum primum ex quatuor quos ipse scripsit de consensu euangelistarum, sic orsus est: *Inter omnes diuinas auctoritates, quæ sanctis literis continentur, euangelium meritò excellit: quod enim lex & prophetæ futurum prænunciauerunt, hoc redditum, atque completum in euangelio demonstratur*. Neque solum excellentia, & dignitate præstat omnibus alijs scripturis sacrosanctum euangelium, sed etiam vtilitate, & iucunditate. Nam quæ doctrina inueniri potest adeo iucunda & salutaris, sicut illa, quæ ex eius ore & labijs processit, ob cuius anticipatam in spiritu prophetico per tot sæcula notionem Dauid exultando dicebat: *speciosus forma præ filijs hominum: diffusa est gratia in labijs tuis*: & sponsa in sacris canticis: *labia eius lilia distillãtia myrrham primam, & guttur illius suauissimum*. Cui ab æterno patre illustre illud exhibitum fuit testimonium supra omnis doctrinæ gradum, & magisterium, de quo tamquam spectator, & testis tantopere gloriatur princeps Apostolorum cum ait: *Non enim doctas fabulas secuti notam fecimus vobis Iesu Christi virtutem, et præsentiam; sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à Deo patre honorem, & gloriam voce delapsa ad eum huiuscemodi à magnifica gloria: hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Et hanc vocem nos audiuimus de cælo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto*. Vnde Apostulus Paulus volens Hebræos à lectione & doctrina veteris testamenti ad nouam Euangelij tamquam ad altiorem scholam deducere, illis verbis epistolam ad eos missam exorsus est: *Multifariam multisque modis Deus loquens patribus in prophetis, nouissimè diebus in istis locutus est nobis in filio, quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & sæcula*. Sed neque tantummodo verbis loqui nobis voluit Dei Verbum Altissimi filius, quod sanè fuisset valde multum, verum etiam operibus, & exemplis; ita vt vix inueniat pia fidelium mens in Euangelij lectione, & meditatione, quid prius, aut quid magis admiretur, dicta ne an facta: monita an prodigia: gesta diuinissima, an documenta sublimissima: styli simplicitatem, & claritatem, an mysteriorum profunditatẽ, multitudinem, varietatem, maiestatem. Quod potissimum licet in Euangelio sancti Ioannis obseruare: adeo vt referat sanctus Augustinus extitisse genti-

lem

Act. 10.43.
Ioan. 5.39.
S. Aug. l. 1. de consen. euang. cap. 1.
Psal. 44.3.
Cant. 5.13.
Petri 2. 1.16.
Ad Hebr. 1. 1.
S. Aug. l. 10. de Ciui. c. 29.

lem quendam philosophum, qui dignum iudicauerit initium Euangelij sancti Ioannis aureis characteribus describi, & per omnes sacras ædes ac templa, in locis eminentioribus legendum populis exponi, non tamen illud, *& verbum caro factum est*. *Viluit enim*, addit sanctus Augustinus, *superbis Deus ille Magister, quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis*. Est autem id eò mirabilius in sancto Ioanne, quò minus inerat illi humanæ scientiæ, & acquisitæ industria naturali sapientiæ: vtpote simplici, & pauperi piscatori, cuius nihilominus adeo sinceræ narrationes, quales sunt, vt alia prætermittam, de muliere Samaritana, de cœco à natiuitate, de Lazaro à mortuis excitato, bene possunt sine alia probatione, vel testimonijs solo cãdore simplicissimæ veritatis à quolibet non deprauato corde omnem fidem obtinere, vel etiam extorquere. Sed hæc satis de internoscenda scripturarum varietate.

Quis melior modus vtẽdi sacris libris, ad materiam meditationis.

4 Superest iam tertium, quod instituto nostro propinquius esse videbatur, postremo loco declarandum: quis melior sit modus vtendi sacris libris, ad finem alendæ meditationis. His ergo vti ad hunc finem contingere potest in vniuersum tripliciter: primùm simplici & vaga eorum prælectione: secundò certa materiæ alicuius determinatæ, & ad paulò post meditandum destinatæ præcognitione: tertiò, studio accurato, & diuturno. Et quidem primus ille modus multas sacras paginas simul & vagè percurrendi valde remota est ad meditandum dispositio, parum etiam, aut nihil prorsus habet emolumenti spiritualis, si vitio id fiat curiositatis, aut alio minus ordinato affectu vanæ scientiæ. *Omnis scriptura sacra*, inquit Thomas à Kempis, *eo spiritu debet legi, quo facta est*. Erit igitur legenda tamquam epistola quædam nobis à Deo missa, tamquam cæleste oraculum, & alloquium illius, cuius delitiæ sunt esse cum filijs hominum. Hoc affectu reciproco Deum loquentem audire, & à se legi eius verba in diuinis scripturis optabat sanctus Augustinus, & orabat dicens: *sint, ò Domine, castæ deliciæ meæ sacræ Scripturæ tuæ, non fallar in eis, non fallam ex eis*. Atque ita se demum eas legisse testatur post conuersionem suam, quamuis antea spiritu longè diuerso: *legebam*, inquit, *& ardebam, nec inueniebam quid facerem surdis, mortuis, ex quibus fueram pestis latrator amarus, & cœcus aduersus literas de melle cæli mel eas, & de lumine tuo luminosas, & inimicis scripturæ huius tabescebam*. De sancto Carolo Borromæo habemus in vita ipsius, sacram Scripturam semper detecto capite, & genibus flexis eum legere consueuisse,

L. 1. de imit. cap. 5.

S. August. l. 9. confess. c. 2.

Glus. in vita S. Car. l. 8. c. 2.

consueuisse, vt hac externa reuerentia internam indicaret, & sibi maxime excitaret. Tertius modus legendi, atque intelligendi sacram scripturam studio accurato & diuturno, sine dubio non parum adiuuare negotium internæ orationis potest, sed paucorum est, nempe illorum tantùm, qui in scholis aliquamdiu versati, & vacando studijs altioribus sacris imbuti sunt disciplinis. Hæ namque veluti ex fontibus à sacris libris primum emanarunt, inde flumina sapientiæ sanctorum Patrum tum græcorum tum latinorum ante mille annos eruperunt: quæ ad quatuor libros sententiarum, quasi ad quatuor flumina paradisi, Damascenum imitatus redegit is, qui propterea Magister Sententiarum est appellatus. Ad hanc postea commentarijs pereruditis, & quæstionibus acutissimis explicandam, & illustrandam, cum Doctores prope innumerabiles accessissent, scholasticã fecerunt, aut certe perfecerunt theologiam, & ab ea, quam vocant positiuam, diuiserunt. Harum facultatum ambas quasi binos mentis oculos post scientias, & habitus animæ diuinitus infusos, conferre plurimum ad rectam, & piam intelligentiam in meditatione scripturarum, negari nulla ratione potest. Quia tamen huiusmodi exercitatio literaria diuturni negotij res est, nec omnibus datur, quibus meditandi studium, & exercitium facile conceditur: ideo ad secundum modum vtendi sacris libris tum communiorem, tum faciliorem, & ad meditandum proximè disponentem erit deueniendum. Est autem certæ lectionis, & præcognitionis illius tantum sacri textus, qui nec spatium temporis orationi destinatum, nec orantis capacitatem excedat, sed ita, vt sit apta & sufficiens materia proximè futuræ meditationi: sicut exempli gratia, esset vnum aliquod in Euangelio narratum miraculum, vna parabola, vel actio Saluatoris, aut totum diurnum, quod recitari pro illa die in ecclesia solet Euangelium. postremo illud hoc loco non est prætermittendum, quod posset aliquis interrogare, quid de alijs pijs libellis, quorum tanta nunc est copia, pro exercitio meditationis sentiendum sit. Hos, vt breuiter hanc materiam concludamus, ad tres oportet reducere differentias: quidam orantes instruunt, alij iam factas meditationes tradunt, tertij puncta tantummodo, circa quæ versari postea debet contemplatio præscribunt. Primi docent quid faciendum sit, secundi formam exhibent & exemplar, nec tam faciendas, quam factas meditationes ostendunt, & quasi nutrices proprium lac, aut mansum cibum infantibus in os ingerunt: tertij propriè materiam præbent, circa quam orans per

Quid de pijs libellis sit sentiendum, pro adiumẽto meditationis.

se ipsum, nisi fuerit in hoc meditandi exercitio valde infans, vtilius, & sapidius occupabitur.

CAPVT QVINTVM.

De reuerentia externa in ipso ingressu, & progressu orationis exhibenda.

Quomodo erigatur altare ad mysticũ orationis sacrificium.

1 EX octo, quæ præstanda in hoc mystico nostro sacrificio dicebamus, primum satis hactenus videri potest explicatum, de lignis videlicet tanquam ex sylua colligẽdis, hoc est materia ex aliquo pio libro seligenda, ad ignem meditationis accendendum, & alendum: sequitur secundo loco mystici altaris erectio declaranda. Hanc in eo consistere dicebamus, vt dato ad initium orationis signo, vno, vel gemino passu distantes à loco futuræ meditationis, ibi nos constituamus corpore simul, & animo erectos per tantillum temporis, quo percurri oratio dominica posset, attentè considerando, quò sit nobis accedendum: tum in genua prouoluamur, magna tam interna animi, quam externa corporis reuerentia, de qua primum hoc loco, tanquam de re notiori, postea de interna, capite sequenti dicendum est. Erunt autem in hoc capite tria ostendenda. Primum externam in oratione reuerentiam magni esse faciendam. Secundò quàm varia, & multiplex ea sit. Tertiò, quæ nam ad nostrum institutum conuenientior esse videatur.

Quanti momenti sit externa reuerẽtia tempore orationis.

2 Primum itaque reuerentiam externam, & non solum internam, de qua postea, magni esse momenti in oratione, ostendi potest primùm exemplo nostri Redemptoris. Secundò exemplis quoque aliorum Sanctorum. Tertiò, ecclesiæ totius vsu, & traditione. Quartò, conuenientissimis rationibus. Exemplum nostri Redemptoris à S. Paulo nobis proponitur in epistola ad Hebræos his verbis: *qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Hanc reuerentiam aliqui interpretantur, & vocant passiuam, hoc est, quæ illi vero Dei filio, Patri per omnia secundum diuinam naturam æquali, & consubstantiali, iure optimo

Ad Hebr. 5. 7.

debeba-

debebatur. Alij potius de actiua reuerentia dictum accipiunt, nempe de illa, quam æterno suo Patri Christus Dominus tum interius, tum exterius exhibebat. Alij non de alterutra tantum, sed de vtraque plenius, & verius intellexerunt: sicut enim amor erat reciprocus, ita & reuerentia talis filij erga talem Patrem, & erga talem filium talis Patris. Præterea hanc de qua loquitur S. Paulus Christi Domini eximiam reuerentiam, aliqui intelligunt pro tempore, quo ipse orauit in horto Gethsemani, alij plenius de tempore quoque orationis eius in cruce, vtrobique enim cum gemitu, & lachrymis, cum summa, tum externa, tum interna reuerentia preces, & supplicationes ab ipso pro nobis æterno suo Patri fuerunt oblatæ. Immo etiam quoties in hac mortali vita pro hominum salute supplicabat, sicut indicant illa Apostoli verba: *qui in diebus carnis suæ*, & quoties erat, vt ait S. Lucas, *pernoctans in oratione Dei*, cogitare debemus tantam fuisse interni, externique hominis in illo homine Deo reuerentiam, modo brachia, sicut in cruce fecit, expandendo, modo sicut in horto ad terram vultu totoque corpore depresso, modo oculis in cælum, vt alias solebat, manibusq. sublatis, vt nunquam non exaudiri vix explicata petitione pro sua reuerentia mereretur. Vnde mirum non est si videatur aliquando prius gratias pro obtento, quàm preces pro obtinendo benefitio reddidisse, sic enim in S. Ioanne legimus: *Iesus autem eleuatis sursum oculis, dixit: Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me: ego autem sciebam, quia semper me audis*. Eandem Christi Domini in conformatione hominis externi reuerentiam sancti eius Apostoli sunt imitati. De S. Bartholomæo refertur, centies illum in die, & centies in nocte ad orandum genua flectere consueuisse. De S. Iacobo Hierosolimorum Episcopo testatur S. Hieronymus assiduitate flectendi ita callum genibus obduxisse, vt duritie pellem cameli imitaretur: addit S. Chrysostomus etiam eius frontem assidua prostratione corporis vsque ad pauimentum callo similiter fuisse obductam. Sed est adhuc maiori admiratione dignum, quod in vita S. Symeonis stylitæ narrat à se visum Theodoretus: cùm enim ad eum in columna pœnitentiam agentem videndum tanquam ad prodigium ipse, alijque multi simul conuenissent, obseruatum ab ipsis est, sanctum illum virum spatio vnius horæ solitum vicibus frequentissimis genua flectere, capite vsque ad terram ita depresso, vt eam fronte percuteret, & ab vno ex socijs ait numeratas fuisse vices mille ducentas quadraginta quatuor, donec fatigatus ille

Luca. 6. 12.

Ioan. 11. 41.

S. Hieron. l. de viris illustribus.

S. Chry. Hom. 5. in Matth.

Theod. in hist. sancti patrum cap. 26.

destitit numerare, sanctus autem vir infatigatus genua, & ceruices flectere non cessabat. Alio quoque tempore eundem notarunt integris noctibus erecto ad cælum vultu, & brachijs in modum crucis expansis immotum perdurasse, tanquam si ex lapide, non ex carne constaret: similia fieri consueuisse à quibusdam seuerioris disciplinæ monachis sui temporis testatur Ioanne Climacus. Idem vsu, & traditione totius Ecclesiæ, quamuis ritu mitiori facere nos docemur, vt certis anni temporibus mutatis subinde signis externæ reuerentiæ interna melius excitetur: nunc stando inter orandum, vt paschalibus & dominicis diebus, atque inter audiendum Euangelium: nunc in genua procumbendo, vt cum illa verba in Euangelio S. Ioannis quotidie ad finem sacri proferuntur: *Verbum caro factum est: & habitauit in nobis*. Hunc eundem externum cultum, & reuerentiam non vna, sed multiplex ratio persuadet. Inprimis enim, sicut ex anima constamus, & corpore, ita non anima tantum, sed etiam corpore oportet Deum venerari, vt totus homo Domino & factori suo integer famuletur. Deinde, quia corpus est vilior nostri pars, & spiritui comparatum quasi mancipium, vel tanquam animæ instrumentum: si igitur anima, & spiritus noster summam Deo reuerentiam tenetur exhibere, cur non etiam, & multò magis ad exemplum animæ, & rationis imperium idem præstare debebit corpus? Prȩterea cùm Deum amare, & consequenter etiam revereri toto corde, tota anima, omnibus viribus, & tota fortitudine iuxta primum, & maximum legis præceptum debeamus, & corpori suo anima depoticè possit, & soleat imperare, sibi verò metipsi non nisi politicè, vt morales philosophi loquuntur: *imperat enim animus corpori*, ait S. Augustinus, *vt moueatur, & tanta est facultas, vt vix à seruitio discernatur imperium, imperat animus sibi, & resistitur*: saltem igitur ea reuerentia Deo tot rationibus debita cum omni promptitudine erit offerenda, quam facilius à nobis possumus impetrare. Denique, quia sicut ad animi imperium, corpus, & totus homo exterior facile conformatur, ita propter summam animi cum corpore coniunctionem, ab externa hominis compositione mens interius sui muneris arguitur, & in officio animus quodammodo continetur. *Nescio quo modo*, inquit S. Augustinus, hac de re loquens, *cum hi motus corporis fieri nisi motu animi præcedente non possint, eisdemque rursus exterius visibiliter factis, ille interior inuisibilis, quia eos fecit augetur: ac per hos cordis affectus, qui vt fierent ista præcessit: quia facta sunt crescit.*

Clima. gra. 5. de pænit.

Matth. 22. 38

S. Aug. l. 8. confess. c. 9.

S. Aug. l. de cura pro mortuis c. 5.

3 Sed

3 Sed iam, quod secundo loco nobis propositum fuit, de multiplici externa inter orandum reuerentia, priusquàm ad internam, quæ huius est forma, & perfectio, veniamus, aliquid dicendum est. S. Bonauentura, vel quisquis est inter opera ipsius auctor libri de mystica theologia, species huiusmodi externæ reuerentiæ ponit quamplurimas, valde enim variari possunt, eas tamen omnes ad tres veluti primarias formas reuocabimus. Prima est standi erecto corpore, secunda in genua procumbendi, tertia humi se reliquo etiam corpore prosternendi: omnesque huiusmodi formæ suas aliquas admittunt varietates, quas exemplis sacræ scripturæ declarabimus, ne quis putet vt res nimis minutas esse contemnendas, & de interna tantùm reuerentia, quæ sine dubio maioris momenti est, esse cogitandum. Primùm itaque, stando potest aliquis orare ambas simul in cælum manus eleuando, aut in formam crucis ante pectus attollendo, vt fecisse Moisem in Exodo significatur, idque Deus insigni miraculo approbauit: nam vt ibi dicitur, quamdiu Moises manus suas habebat eleuatas, Israel Duce Iosue pugnando contra Amalec præualebat, cùm verò propter senium laxatæ manus à Moise demittebantur, Israelitæ ab Amalecitis superabantur. Vnde ad victoriam obtinendam, *Aaron*, inquit scriptura, *& Hur sustentabant manus eius ex vtraque parte*. Denique posset aliquis stando orare brachijs in Crucis figuram extensis, sicut Redemptor noster in Cruce cum clamore valido, & lachrymis preces, & supplicationes æterno suo Patri offerebat, & exauditus est pro sua reuerentia, vt supra cum Apostolo dicebamus. Eamdem orandi formam adscribit Ecclesia sanctis Virginibus Agathæ, & Agneti, de hac enim sic recitat in eius officio: *B. Agnes in medio flammarum expansis manibus orabat: te deprecor omnipotens, adorande, colende, Pater metuende*. Et de altera: *Stans B. Agatha in medio carceris expansis manibus orabat ad Dominum: Domine Iesu Christe Magister bone*. Posset præterea aliquis non manibus, sed vultu in cælum eleuato stando cælestia contemplari: sicut in monte Oliueti, Christo Domino in cælum ascendente, Apostoli faciebant, quibus ab Angelis dictum est: *Viri galilæi quid statis aspicientes in cælum*. Secunda corporis in orando compositio per genuflexionem suas etiam admittit varietates; vna est, quam Salomonem obseruasse orando in templo à se extructo sacra Scriptura sic narrat: *Fecerat Salomon basim æneam, & posuerat eam in medio Basilicæ habentem quinque cubitos longitudinis, & quinque*

Externa compositio in oratione quam varia esse possit.

lib. de mystica theolog. cap. 3. p. 3.

Exod. 17. 11

Act. 1. 11.

2. Paral. 6. 13.

Massut. de cælesti conuersat.

cubitos latitudinis, & tres cubitos altitudinis: stetitque super eam, & deinceps flexis genibus contra vniuersam multitudinem Israel, & palmis in cælum leuatis. Alter modus humilior est, genua flectendo, prono pectore vultum interdum vsque ad pauimentum demittere, quo videtur vsus ex profundissima humilitate, & promptissima obedientia, qua se morti offerebat pro humani generis redemptione Saluator noster, dum in horto deprecaretur, vt Euangelij verba significant, *nam positis genibus orabat*, inquit S. Lucas, & S. Marcus: *procidit super terram, & orabat*, S. verò Matthæus: *procidit*, inquit, *in faciem suam orans*. Idque videtur multo ante à Propheta Ieremia fuisse prædictum, vbi prophetans de Christo Domino, quod esset daturus percutienti se maxillam,& opprobrijs saturandus, prius ait: *ponet in puluere os suum*. Sed alius modus magis vsitatus, & ordinarius est, orandi quidem flexis genibus, non tamen capite adeo inclinato, sed erecto vultu, & brachijs, manibusque ante pectus decenter compositis: quo etiam modo Saluatorem nostrum orasse in horto pij & eruditi auctores tradiderunt. Colligunt enim ex verbis Euangelistarum, videri primùm non solum genua, sed etiam manus, & vultum vsque ad terram se inclinando humi posuisse, quasi pondere peccatorum nostrorum nimium grauaretur, postea caput, & pectus erexisse, atque ita suam orationem ad Patrem vultu in cælum erecto prosecutum fuisse. Tertium modum constituendi se in oratione diximus esse quorumdam non genua flectentium, sed alia ratione se humi prosternentium, qui suas quoque habet varietates. Harum illa est austerior, sternentium se prono super terram pectore, humi affixo vultu, & ibidem brachijs in crucis figuram expansis: quam etiam externi hominis compositionem ad orandum aliqui piè meditantur in Christo Domino, cum sacratis eius manibus, pedibusque cruci super terram positæ primùm affixis, postea ad clauorum cuspides malleo retundendas, crucem sursum, & sacrum corpus deorsum crudelissimi carnifices reuersarunt. Atque hanc demississimam supplicandi formam à se alijsque sanctis in feruentioribus supplicationibus adhibitam videtur Dauid significasse, cùm in psalmo ait. *Quoniam humiliata est in puluere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster: Exurge Domine adiuua nos*. Sed moderatior est illa forma, qua B. Magdalena vsa in Euangelio describitur, cùm stans, retro secus pedes Domini lachrymis cœpit rigare pedes eius,& capillis suis tergere: & alia eiusdē adhuc moderatior, cùm sedens secus pedes

Luca 22. 41. Mar. 14. 36. Matth. 26. 39. Ierem. thren. 3. 29. Psal. 43. 25. Luca. 7. 33.

pedes Domini audiebat verbum illius, vtique in loco aliquo humili ac demisso, quem situ cum pro negotio sanctæ contemplationis sibi delegisset, adeo Christus Dominus non improbauit, vt Martha, sororem suam, quasi de otio accusante, ipse eam excusauerit, & commendauerit, dicens: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Hos ferè omnes orandi modos vario tempore vsurpare consueuisse S. Patriarcham Dominicum refert in chronicis S. Antoninus, quod haberi meritò potest pro magno vehementis illius affectus, & reuerentiæ interioris argumento. *Lucæ* 10.42. *S. Anton. in tom.* 3. *tit.* 23. *cap.* 2.

4 Nunc pro tertia huius capitis parte superest explicandum ex omnibus his formis externæ reuerentiæ, quæ nam ad finem meditationi constitutum magis conducere videatur. Id vt breuiter exponamus, erunt antea tria quædam præsupponenda. Primum, aliud esse loqui de publica, aliud de priuata oratione; nam in oratione, quæ publicè, seu cum pluribus simul fieri solet, non tam suæ propriæ, & singularis deuotionis est habenda ratio, quàm communis plurium ædificationis. Vnde vitandi tunc erunt omnes illi modi, ex quibus in aspicentium animis posset ingenerari suspicio hypocrisis, singularitatis, & quædam non sine contemptu admiratio, vel etiam in ipsomet orante motus aliquis interior vanitatis. Secundò præsupponere etiam debemus aliud esse loqui de breuibus, & interruptis orationibus, vt sunt, quas vocant iaculatorias, aliud verò de orationibus longiori tempore continuatis. Breues enim, & interruptæ non requirunt, sæpe etiam non patiuntur vllam situs mutationem, sed interdum totum negotium raptim interius mente, siue corde perficitur, sine vllo externo signo deuotionis, aut reuerentiæ, quam etiam in externa signa erumpentem expediet aliquando propter allatas rationes comprimere, & interius continere. Tertium quod supponere debemus est, loquendo de priuata etiam meditatione, & ad longum tempus in cubiculo continuata, non posse tradi regulam adeo vniuersalem, quæ pro varietate personarum, immo in eadem persona pro varietate temporis, non habeat exceptionem. Illud autem dici potest in vniuersum: vbi quis expertus fuerit situm aliquem, vt flectendi, vel standi sibi ad finem meditationis magis esse accommodatum, debere illum potissimum vsurpare, neque velle sine rationabili causa propter inconstãtiam permutare. Causa verò rationabilis à bono successu meditationis, qui tunc intenditur, potius quàm ab excessu mortificationis alteri tempori reseruandæ erit desumenda. Quæ corporis compositio ad orationem aptior, & reuerentiæ cõuenientior.

menda. Quare S. Bonauentura in eo, quem superius adduximus libro de mystica theologia situm standi erecto corpore in oratione omnibus alijs anteponit, loquitur autem non de quacunque oratione, vel meditatione, sed de perfectissima contemplatione, qua iuxtà doctrinam S. Dionysij Areopagitæ, cuius ibi testimonium inducit, mens orantis per modos anagogicos sursum agitur ad illum, qui est super omnem substantiam, & intellectum. Vnde in vita S. Francisci refert idem S. Bonauentura, solitum seraphicum hunc Dei seruum stando preces effundere, aperto, & eleuato capite, oculis in cælum firmiter intentis. Huius rei etiam illa ratio reddi potest, quia per huiusmodi externi hominis configurationem, animus permouetur interius, vt non solum, quantum ex hac terra licet assurgere, conuersationem quærat in cælis, verum etiam, vt in ea magis ad longum protrahenda, fatigatione corporis non impediatur; & hanc quoque fuisse causam S. Francisco sic orandi, auctor vitæ ipsius insinuat, cum ait, infirmissimæ tunc illum fuisse valetudinis. Quare non est dubium maioris esse humilitatis, & reuerentiæ genuflexionem, ideo magis in oratione communiter vsitatam: quin & ipsum verbum supplicandi, quo non quæcunque preces, nec quælibet oratio, sed magna exhibita cum reuerentia significatur, à genibus subtus plicandis dictum esse voluerunt. Vt itaque hoc caput concludamus communiter loquendo, præstabit ad reuerentiam, vbi quis tantisper ante locum futuræ meditationis erectus substiterit, cogitando ad quid, & quò vocetur, nempe ad agendum cum Domino Maiestatis, ipso statim orationis initio in genua procumbere, & quantùm poterit externa totius corporis demissione iuxtà consilium S. Bernardi, cuius antea verba retulimus, dicere cum Abrahamo: loquar ad Dominum meum, cum sim puluis, & cinis: tùm orationem prosequi in eo, vel alio situ ex supradictis, qui magis ad pietatem, deuotionem, ac fructum bonæ orationis facere, ipsa experientia declarauerit.

S. Bonau. in vita S. Francisci c. 10.

CA-

CAPVT SEXTVM.

De reuerentia interna externæ adiungenda in ipso ingreßu, & progreßu orationis.

1 EST quidem externa reuerentia in exercitio orationis, vt hactenus visum est, non parui facienda, sed multò maioris momenti est interna, vtraque toto orationis tempore, maximè verò in principio necessaria. Id vt præsenti capite ostendamus, tria nobis erunt exponenda. Primùm quid sit & in quo propriè sita sit interna reuerentia. Secundò quomodo se habeat ad externam. Tertiò cur maximè in ipso meditationis initio procuranda sit.

2 In primis autem ad explicandum quid sit reuerentia, oportet agnoscere quid sit revereri, & vereri, à quo verecundia sicut à reuereri reuerentia nominatur: est autem vereri, & reuereri aliquid quodam modo timere, vnde species quædam timoris est ipsa reuerentia. Porrò species timoris, quantum ad præsens pertinet institutum, duæ potissimum sunt: alius enim timor est, quo timetur pœna, & seruilis appellatur, alius quo timetur culpa, & dicitur filialis. Primus in se quidem malus non est, aliquid tamen supponit mali, & est imperfectus: malum quod præsupponit, seruilitas dicitur, & est conditionata quædam voluntas, quæ propriè seruorum & mancipiorum solet esse conditio, vt nisi pœnis adigantur alia malint facere, quàm exequi voluntatem, & præcepta Dominorum. Hoc timore etiam dæmones percelluntur: Vnde ait in sua epistola S. Iacobus: *Dæmones credunt, & contremiscunt*, atque ex eo reuerentiā Christo Domino, non solùm quà Deus est, sed etiam, quà homo, velint nolint, coguntur exhibere: quia, vt inquit Apostolus; *Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum*. Sed hic timor non adeo propriè reuerentia nominatur, quæ potius cum quadam verecundia, & pudoris ingenuitate solet esse coniuncta, & ideo magis propria filiorum. Quare filialem hunc timorem, & reuerentiam habuisse etiam locum in Christo Domino ex illis S. Pauli verbis rectè colligimus:

Quid sit, & in quo propriè consistat actus internæ reuerentiæ.

Iacob. 2. 19.

Ad Philip. 2. 10.

Reuerētia interna est actus timoris filialis.

Ad Hebr.5.7. mus: *exauditus est pro sua reuerentia*. Eamdemque in se ipsis
Isai.6.2. declarare Seraphin apud Isaiam voluerunt, cùm stantes ante solium diuinæ Maiestatis facies suas alis obuelabant, clamantes, sanctus, sanctus, sanctus. Et de alijs cælestium spirituum ordinibus ait Ecclesia: *laudant Angeli adorant dominationes, tremunt potestates:* immo etiam sancti omnes in cælis hoc sancto timore nunquam carebut per totam æternitatem, sicut testatur in
Psal.18.10. psalmo Dauid, cum ait: *timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi:* Legit autem S. Augustinus; *timor Domini castus:* eumque à seruili, & non casto rectè distinguit in quadam
S. Aug. in ep. ad Honoratũ, cap.21. epistola ad Honoratum, exemplo duarum mulierum, quarum vna timore casto non committit adulterium, alia timore seruili. *Timeo, inquit vna, ne vir infestus aduéniat, altera ne offensus abscedat: non amanti enim præsentia viri molesta est, aman-*
S. Aug. tract. 9. in Ioannis. epist. *ti autem absentia*, & alibi in eodem exemplo persistens: *interrogetur*, inquit, *an timeant virum, vna vox, sed diuersus animus: illa dicit timeo virum, ne veniat, ista dicit: timeo virum, ne discedat. Illa dicit: timeo, ne damnet, ista dicit: timeo, ne deserat*. Sed erit hic aliquis, qui curiosius interroget, qua ratione huiusmodi reuerentia, & timor, siue castus siue sanctus locum habeat in Angelis, & Beatis, qui cùm certi sint de sua æterna, & nunquam amittenda beatitudine, nullum neque de aliqua pœna, neque de vlla, vel leuissima culpa possunt habere timorem? Et quomodo in Christo Domino potuit inueniri, qui semper extitit ex varijs capitibus impeccabilis? nec fieri vnquam potuit iuxtà firmissimum Dei decretum semper animæ ipsius manifestum, vt hypostatica vnio diuini verbi cum illa humanitate dissolueretur, atque adeo vt sanctitas, gratia habitualis, virtutesque ipsius
Tres gradus reuerentiæ, & sancti timoris. vlla ex parte deficerent. Ad hæc non erit difficile respondere, si tres gradus reuerentiæ, siue casti, sanctique timoris, qui in varijs personis inueniri possunt, inter se distinguamus. Primus gradus est reuerentiæ, & timoris propter culpas commissas: cum
Lucæ 31.23. hoc accessit ad Christi pedes mulier, quæ fuerat in ciuitate pec-
Lucæ 18.13. catrix, *& stans retro*, inquit Euangelista, *lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis suis tergere:* vtique cum magna reuerentia, & casto timore. Similiter etiam publicanus, qui *longè, stans, nolebat nec oculos in cælum leuare, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori*. Secundus gradus timoris est ob culpas, quas licet aliquis non commiserit, neque de illis extimuletur à conscientia, saltem committere potuisset. Hoc affectu Deum prosequebatur S. Iob, qui etiam si de se

diceret:

diceret: *neque reprehendit me cor meum in omni vita mea*: tamen addebat: *semper ego quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui*. Eodemque affectu de se dicebat Apostolus: *nihil mibi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum: qui autem iudicat me Dominus est*. Tertius autem gradus filialis castique timoris non est ob pœnas, aut propter culpas, quas homo aliquando commiserit, aut commissurus sit, vel quia fieri potest, vt committat aliquando, sed ex perfecta infinitarum Dei perfectionum cognitione, quibus collata omnis creata perfectio minor est, quam si aquæ stilla toti oceano, vel ignis scintillula vastissimis cæli luminaribus conferatur. Atque hac ratione supremi illi spiritus, qui ab ardore Seraphin appellantur, ante solium diuinæ maiestatis ab Isaia describuntur duabus alis velantes facies suas, duabus pedes, & duabus medijs volantes: quia quantumuis aperto, ac toto pectore, vbi caloris est officina, & sedes amoris, ferantur in Deum, tamen quasi eos puderet de tam remisso dilectionis affectu, & angusto ad conprehendendam illam omnium perfectionum immensitatem intellectu, faciem sibi, & pedes sacro quodam horrore, & reuerentia obtegebant. Hanc itaque tertij gradus perfectissimam reuerentiam in beatis, & sanctis omnibus inueniri, non est quod miremur; immo etiam in Sancto sanctorum, non quà Deus est, sed quà homo: nam etiamsi ab eodem propheta Isaia flos humani generis appelletur, supra quem deberet requiescere *spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus*, ceteraque vltra omnes aliorum mensuras diuina charismata; quia tamen quidquid creatum, etiamsi magnum in illo homine inueniebatur, ab increatis diuinæ naturæ perfectionibus infinitis partibus superabatur, & hoc à nullo creato intellectu melius, quam sanctissimæ animæ ipsius percipiebatur, ideo nullus erga Deum extitit maioris quã ipse reuerentię, submissionis ac timoris, & magis in eo quem diximus, gradu perfecti: vt propterea subdiderit Isaias: *& replebit eum spiritus timoris Domini*: Atque hæc est interna per suos gradus, & capita, reuerentia, quæ nobis tanto magis est necessaria, quanto non ex vno tantum, vel altero capite, sed ex omnibus enumeratis, poterit, ac debebit excitari. *Ecce enim*, vt est apud Iob, *luna etiam non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius. Quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis*.

Iob 31.23. *1. Cor. 4.4.* *Isai. 11.1.* *Iob 25.5.*

Interna reuerẽtia quomodo se habeat ad externam.

3 Secundò conferamus iam, quod secundo loco proposuimus, hanc internam reuerentiam cum externa, & quomodo hæc ad illam

ad illã se habeat ostendamus. Non occurrit autem qua ratione melius id fiat, quam si per quasdam similitudines dixerimus internam habere se ad externam, sicut spiritus se habet ad corpus, corpus ad eam, quam à se proijcit vmbram, & sicut nucleus se habet ad corticem. Nam quemadmodum spiritus dat corpori vitam, pulchritudinem, consistentiam, sic interior animi reuerentia primùm ita viuificat externam, vt hæc sine illa plane mortua, & veluti fictum simulacrum sit reputanda. Dat illi præterea venustatem, & pulchritudinem, quia nisi externa ab interna informetur, non solum informis, sed etiam plane deformis, abominabilis, & veluti putridum cadauer diuino conspectui apparebit; hypocrisis enim quædam esset, quæ Deo omnia videnti exhibita, non potest illi non magnopere displicere. Vnde nec habere consistentiam poterit; sicut enim compositum, anima sublata, tendit ad corruptionem, & sensim in elementa resoluitur, ita hæc externi hominis compositio, sine interno pietatis affectu, tamquam violenta, nequaquam erit diuturna. Secundo comparatur interna animi compositio, & reuerentia ad externam, veluti corpus ad vmbram, quam aduerso lumine à se fundit; nam sicut ex vmbra, corporis magnitudo, figura, & motus aliqua ratione deprehenditur, ita ex huiusmodi compositione exteriori, quanta sit, & qualis, quosue habeat progressus interior vtcunque dignoscitur. Vnde dicebat sapiens: *ex visu cognoscitur vir; & ab occursu faciei cognoscitur sensatus.* Et quemadmodum vbi vmbra procedit à corpore multo maior, atque productior, quam sit ipsum corpus, signum est aut nascentis tunc primum luminis, aut prope occidentis: ita cùm externa hominis compositio multum excedit internam, aut inchoantium est, & non valde in spirituali vita proficientium, aut, quod magis verendum, occasus diuinæ gratiæ quodammodo indicatur: declinare enim ab anima radios diuini luminis sub illa hypocrisi aliquod est argumentum. Tertia ad hoc ipsum magis declarandum, similitudo, & comparatio est nuclei, & corticis: nam sicut nucleus à cortice protegitur, & fouetur, ita per huiusmodi externa signa pius animi affectus non parum interius roboratur, & accrescit: cæterum nucleus est, qui sapit, & per se valet; cortex & putamen sine illo nihil. Atque hinc est, quod internum cultum, & reuerentiam in orando tanti Deus facit, vt externam aliquando nihil curare videatur. *Venit hora,* dicebat mulieri Samaritanæ Christus Dominus, *& nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate, nam &*

Eccl. 19. 26.

Ioann. 4. 23.

Pater

Pater tales quærit, qui adorent eum: spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare. Quare nos relicto nunc aliquantulum cortice, magis internam reuerentiam enucleemus. Quatuor in ea diuersi actus solent concurrere: Primus est intellectus apprehendentis infinitam Dei maiestatem: Secundus est etiam nostri intellectus reuocantis nos ad nihilum,& paruitatem nostram inspiciendam: Tertius actus est voluntatis humiliter se coram Deo demittentis viso tali, ac tanto excessu illius maiestatis respectu nostræ paruitatis, aut potius nullitatis. Vnde fit, vt quodam humili cordis affectu quasi refugiat ante Deum venire,illi se non modo conferre, sed neque ad conspectum offerre. Hinc sequitur quartus actus externæ submissionis, inclinationis, atque id genus ad humilitatem animi exprimendam corporis conformationis.Ex his quatuor actibus, primus & secundus non est propriè reuerentia, sed mentis ad illam proxima dispositio, quartus verò actus est effectus internæ reuerentiæ, & illius veluti vmbra, ac significatio. Tertius itaque actus est in quo propriè ipsa consistit, varias secundum quòd à varijs motiuis, & affectibus excitatur,obtinens honestates. Nam vt ab affectu prouenit adorandi Deum tamquam summum rerum omnium principium, ad virtutem religionis pertinet: si Deo tamquam supremo omnium principi, & Domino dominantium iure debito exhibetur, ad virtutem iustitiæ, qualis inter nos, & Deum esse potest, reuocatur: si illum respicit vt benefactorem, actus huiusmodi reuerentiæ spectabit ad virtutem gratitudinis: si Deum respicit, vt super omnia altissimum,cui debeat maxime se submittere, virtutis est humilitatis: si vt summum bonum super omnia diligibile, & sicut amicum, virtutis est charitatis: si deferatur vt Patri, hoc erit pietatis; si vt summæ propterea venerationis, donum est filialis, & sancti timoris, & quò plura oculus fidei, & amoris discernere poterit ex motiuis enumeratis, plures etiam rationes honestatis, iuxtà species prædictarum virtutum, actusque internæ reuerentiæ complectetur.

4 Superest nunc tertium ex antea popositis videamus, cur maxime in ipso orationis principio reuerentia procuranda sit, cuius rei non est difficile plures assignare rationes, prima verò est, quia principium, sicut dicitur est quodammodo in virtute totum, quod si in alijs rebus verum est, certè in hoc orationis exercitio erit verissimum. Cum enim per illud ante Deum nos constituamus, intimè,familiariter, & de rebus magni momenti cum il-

Cur potissimũ initio orationis reuerẽtia procuranda.

cum illo acturi, nouam gratiam, & varia benefitia postulaturi; plurimum, & sæpe totum in illo primo congressu, & orationis exordio situm est: quod etiam in negotijs cum Principibus viris transigendis quotidiana docet experientia. Propterea accedentem ad agendum cum Deo monuit Ecclesiasticus: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum*. Habemus huius rei aliquod exemplum in Esther, quæ cum intercedere deberet pro salute omnium Iudæorum, apud Regem Assuerum, ad quem sedentem in throno gloriæ suæ, sine certo capitis periculo nulli non vocato licebat accedere: tamen ita sciuit Esther se componere ad omnem modestiam, & venerationem, vt sicut legimus in septuaginta interpretibus, qui aliquanto fusius hanc historiam reddiderunt, quam habeatur in lectione vulgata; primùm tota ruberet ex verecundia, deinde timore maiestatis correpta valde expalluerit, ac demum animi quoque deliquium passa, & supra ancillam, cui nitebatur, collapsa, regem permouerit, vt à solio surgeret, eam alleuaret, nō solum blandis verbis consolaretur, sed etiam quicquid vellet se illi concessurum polliceretur, & ita quæcunque desiderabat obtinuit. Quod si tantum possunt attemperati naturæ motus ad eorum animos, cum quibus agere incipimus, præoccupandos: multo magis intra ordinem gratiæ, vbi agere incipimus cum Deo, idem præstabunt tot decora supernaturalium virtutum, quot posse inesse interno actui reuerentiæ ex fide, humilitate, gratitudine, pietate, charitate, & alijs virtutibus paulo superius recensuimus. Sed est alia quoque ratio, cur in primo ingressu orationis potissimum hæc reuerentia sit adhibenda: nepe quia etiamsi tot titulis, & rationibus Deo à nobis debeatur, tamen vt sumus rebus sensibilibus assueti, illas viuacissimè apprehendimus, illis facilè permouemur, spiritualibus verò tamquam insensibilibus admodum segniter afficimur; cùm oraturi à sensibilibus ad insensibilia, & inuisibilia Dei contemplanda repente nos transferamus, nisi benè attendamus, statim beneuolentiam, quam captare à Deo debuissemus, prima nostra inurbanitate perdemus. Quæ cum ita sint, adeòque magni momenti res ista cum censeatur, erit hic opere pretium alios tradere modos, & rationes, quibus in nobis huiusmodi reuerentia excitetur, & excitata in animo firmetur: quod fiet duobus capitibus sequentibus.

Eccl. 18. 23.

Esther. 5. 1.

CA-

CAPVT SEPTIMVM.

Quod reuerentia tum interna, tum externa in nobis excitetur ex apprehensione Diuinæ præsentiæ, & de tribus modis eam apprehendi.

1 NON eo consilio de apprehensione diuinæ præsentiæ hic agimus, vt varios atque multiplices eius bonos effectus explicemus, id enim alij fusè, nec minus piè, quam eruditè præstiterunt, sed ea tantum ratione, vt inde oranti debita erga Deum reuerentia excitetur: pro qua re nihil efficacius, teste S. Basilio, inuenitur: interrogans enim quomodo quis assequi possit, vt inter orandum mente non diuagetur, respondet: si Deum ante mentis oculos habere præsentem sibi persuadeat; *Etenim*, inquit, *si quis cum Principe stat, & ipsum alloquitur, magno metu stat, & cum corporis extrinsecus, tum mentis intrinsecus oculos attentos tenet; quanto tandem maiore cum metu, trepidationeque censendum est, oportere nos stare in conspectu Dei, tota mente in illum vnum intenta, neque vsquam aliò; cùm ille non hominis partem modo, quæ foris apparet, vt homines faciunt, sed illam etiam, quæ intus occulta oculorum aspectum fallit, clarissimè peruideat.* Quare illud quoque præmonemus, non agi à nobis hoc loco de præsentia Dei perpetua, siue continua, tum quia paucorum est illa continuatio, & magna indiget cautione, præsertim vbi quis parum esset in rebus spiritualibus exercitatus, tum etiam quia extant ea de re tractatus, qui alia occasione à quolibet legi possunt. Nostræ nunc intentionis est, eos tantum modos diuinæ præsentiæ explicare qui pro toto tempore meditationis valebunt, aut saltem poterunt ad eius initium raptim, modo vnus, modo alter apprehendi. Cùm enim oratio, sicut sæpe antea dictum est, ascensus quidam sit nostri spiritus in Deum, significatus per scalam illam Patriarchæ Iacob, cuius cacumen cælum tangebat, eique Deus innixus aspiciebatur, vt sciamus quò tendimus, primo saltem intuitu, mentis aciem in diuinam præsentiam.

Alph. Rodriq. tom. 1. tract. 6
Crombet. l. 2. de christiana perfect.
Ludou. de Ponte in Duce spirituali tom. 1.
Busæus ver. cogitatio præsentia Dei.
Dei præsentia efficacissima ad attent. in oratione excitandam.

Arias tract. de præs. Dei.
Rodriquez to. 1. tract. 6.
Vir. cep. l. 2. de præs. Dei.
Ant. Gaud. l. de præs. Dei.
Gen. 28. 12.

ſentiam figere oportebit. Et ſicut pro eo tempore, quo meditamur cupimus Deum ſingulariter noſtris precibus eſſe intentum, ita curandum nobis eſt, vt diuinam eius præſentiam circa nos, pro eo potiſſimùm tempore viua fide concipiamus: *Et erunt, vt complaceant eloquia oris mei,* dicemus Deo cum propheta, *&* Pſal. 18. 15. *meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper*. Sed eſt adhuc tertium, quod moneamus antequam varios modos apprehendendi Deum præſentem in particulari explicemus. Sunt enim quidam rerum ſpiritualium magiſtri, eius ſententiæ, vt dicant non expedire caput huiuſmodi apprehenſionibus fatigare, ſed fore conuenientius ſub obſcuritate quadam fidei certò credere oranti ſibi Deum eſſe præſentiſſimum. Quemadmodum cœco vel oratori, vel concionatori, vt ſui officij moneatur, ſufficiet ſcire ſe coram magno Principe verba facere, atque ab eo attentiſſime audiri, videri, & obſeruari, etiamſi illum ipſe videre non poſſit. Quod ſanè conſilium illi ſequi debebunt, qui plus aſſequi non valent. Sed tamen iuuerit interea non parum oculo magis illuminato, quantum fieri poterit, illa motiua conquirere, quibus affectus variarum virtutum, pro actu reuerentiæ diuerſimodè honeſtando, ſicut antea dictum fuit, excitantur. Et poterunt huiuſmodi affectus verbis ſacræ Scripturæ conuenientius exprimi: aliquando cum S. Patriarcha Abrahamo dicendo:
Geneſ. 18. 27. *loquar ad Dominum meum cum ſim puluis, & cinis:* aliquando
Luc. 15. 18. ex pietate, & confidentia filiali cum prodigo filio: *ſurgam, & ibo ad patrem meum:* aliquando ex feruentiori dilectione cum
Cant. 3. 2. Dei ſponſa: *ſurgam, & circuibo ciuitatem, quærens, quem diligit anima mea*. Interdum ex ſancto quodam horrore cum
Geneſ. 28. 17. Patriarcha Iacob: *Verè Dominus eſt in loco iſto: terribilis eſt locus iſte, non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cæli*. Et ſicut non eſt dubitandum eos, qui hæc ſacra verba primùm proferebant, non in ſola mentis abſtractione manſiſſe, ſed ſub aliqua determinata forma, & certa rerum imagine Dei Maieſtatem apprehendiſſe, ita nos ad aliquas magis determinatas rerum ſpecies deſcendentes, efficacius affectum reuerentiæ, quem cupimus in animo exprimemus. Occurrunt autem in primis tres modi generaliores apprehendendi hanc diuinam præſentiam. Vnus eſt iuxtà attributum immenſitatis Dei, vnde habet ſuprema illa ſubſtantia nullis poſſe rerum creatarum limitibus circumſcribi, ſed extra, infra, ſupra mundum vniuerſum, & cælos cælorum in infinitum ſine extenſione protenditur, ſine ſitu ſiſtitur, ſine mole, vel magnitudiue quantitatis collocatur. Alter

Tres modi apprehendendi diuinam præſentiam.

modus

modus est, secundum quem intra mundum sua operatione, quam extra non emittit, continetur. Tertius, quo in cælo præsertim empyreo excellentius se manifestat.

Primus modus diuinæ præsentiæ est secundum attributum immensitatis.

2 Ad primum modum diuinæ præsentiæ concipiendum, quamuis finitis nostris conceptibus nulla ex parte adæquabilem, excitant nos sæpe diuinæ scripturæ. Vnde apud Iob legimus: *Forsitan vestigia Dei comprehendes? & vsque ad perfectum omnipotentem reperies? Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces? longior terra mensura eius, & latior mari*: & paulo inferius: *An*, inquit, *non cogitas, quod Deus excelsior cælo sit, & super stellarum verticem sublimetur? Quoniam eleuata est magnificentia tua super cælos*, ait Dauid, vel vt alij vertunt, *vltra cælos*; nam vt alter Propheta dixit: *Magnus est, & non habet finem, excelsus, & immensus*. Quare non est alienum à profundissima sapientia S. Pauli etiam in hoc sensu accipi, quod optare se, & orare ad Ephesios scripsit, vt Christi fideles bene apprehenderent ex immensitate diuinæ naturæ, eius præsentiæ maiestatem. *Huius rei gratia*, inquit, *flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum*. Nam quod aliqui de magnitudine, & sublimitate mysteriorum nostræ fidei has dimensiones interpretantur, non falsum quidquam, sed fortè parum dicunt, cùm addatur ibi de natura diuina, *vt impleamini in omnem plenitudinem Dei*. *Et religiosius me arbitror dicere*, ait S. Augustinus, *cur non vtrunque, si vtrunque verum est? & si quid tertium, & si quid quartum, & si quid omnino aliud verum quispiam in his verbis videat, cur non illa omnia vidisse credatur, per quem Deus verus sacras literas, & diuersa visuris multorum sensibus temperauit*? Quare ipse S. Augustinus, ita dicit se solitum mente concipere diuinam immensitatem, vt prius mundum, & intra illum ordinatas creaturas vniuersas imaginatione complecteretur, deinde mundissimam Dei substantiam hæc peruadentem, & ex omni parte vsquequàque in infinitum ambientem, tanquam si mare esset vbique, & vndique per immensum quietissimè spatiaretur, haberetque intra se spongiam ex omni sua parte illo mari plenam: *sic*, inquit, *creaturam tuam finitam te infinito plenam putabam, & dicebam: ecce Deus, & ecce quæ creauit Deus, & bonus est Deus, atque validissimè, longissimèque præstantior, sed tamen bonus bona creauit, & ecce quomodo ambit, & implet ea*. Alibi verò idem S. Augustinus

Iob 11.7.
Iob 22.12.
Psal. 8.2.
Baruch. 3.25.
Ad Ephes. 3. 14.
L. 12. confess. cap. 31.
L. 7. confess. c. 5. *& l. de cognitione vera vitæ c.* 25.

Deum comparat interminato lumini vndique in infinitum diffuso, in cuius medio ſtent ſuſpenſi orbes elementares, & inſuper cæleſtes vniuerſi, tamquam globi vitrei minores maioribus inſerti, & omnes illo lumine repleti. Sed huiuſmodi ſimilitudo, quamuis aliquanto clarior ſuperiore videatur, & accommodatior ad formandum puriorem de ſubſtantiæ diuinæ immenſitate conceptum, ſub ſpecie lucis, toties Deo in diuinis ſcripturis comparatæ, in multis tamen non parum, in tribus verò maximè deficit. Primùm, quia lumen eſt accidens quoddam materiale, Deus autem eſt ſubſtantia ſupra omnem ſubſtantiam perfectiſſima, omnium non modo quæ ſunt, ſed etiam, quæ eſſe poſſunt eminentiſſimè continensperfectionem. Secundò, quia lux etiamſi eſſet infinita, ſuis inter ſe iunctis, aut diſiunctis ſemper verò diuiſibilibus partibus conſtitueretur, alijs maioribus alijs minoribus, alijs hic, alijs ibi: neque id luminis, quod ex hac feneſtra funditur, illud eſt, quod ab altera fundebatur. Dei autem omnino impartibilis ſubſtantia, & ſimpliciſſima natura nequaquam eſt, aut eſſe poteſt in parte minor, & in parte maior, aliud hic habens, & aliud ibi, ſed vbique tota, vbique integra, vndique per omnia ſibi, alijſque rebus omnibus totaliter præſentiſſima: & qui aliter de illa ſentiret, ait ſanctus Auguſtinus, diſputans contra Manichæos, irridendus potius eſſe videretur, quam refellendus. Tertium, in quo multum deficit luminis ſimilitudo eſt, quoniam lux, quæ per mundi corpora cælos, & elementa diffunditur, non illa ſuſtentat, ſed ab illis maximè indiget ſuſtentari. Deus autem ſubſtantia ſupra omnem, vt diximus ſubſtantiam non indiget alia niti, ſuſtentari, aut vllo modo conſeruari, *ſed portans omnia verbo virtutis ſuæ, ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia:* ideo illi ſoli maximè propriè conuenit eſſe, ſicut Moyſi teſtatus eſt ipſe de ſe dicens: *ego ſum, qui ſum*, & Iob ipſum ſolum eſſe affirmauit; *Nonne*, inquit, *tu qui ſolus es?* Ex qua doctrina ſancti Eccleſiæ Patres aliqua collegerunt illis potiſſimum obſeruanda, & fide tenenda, quando alia clariori cognitione non poſſunt, qui Dei naturam, & perfectiones ſine errore conantur apprehendere, ne qui ſunt ex parte noſtri modi concipiendi defectus, & imperfectiones, ad rem conceptam falsò referantur. Primùm ea, quæ in Deo eſſe nos cogitamus, non tam illi ineſſe, quam ipſum eſſe: *Nam potentia, ſapientia, ratio*, inquit S. Athanaſius, *non ſuperuenientia eius naturam imbuunt, quales ſunt, qui iſtarum rerum participes fiunt, ac propterea fortes, ſapientes, rationales efficiuntur, ſed quòd*

L. contra ep. Fund. Manic. c. 15.

Ad Hebr. 1. 3.
Ad Rom. 11. 36.
Exodi 3. 14.
Iob 14. 4.

S. Athan. in orat. contra idola.

ſed quòd per ſe ſit ipſiſſima ſapientia illa, per ſe ipſiſſima ratio, ac propria potentia Patris, illa ipſa lux, illa veritas, illa iuſtitia, illa virtus. Alterum eſt, quod inde ſequitur, & à S. Auguſtino obſeruatur, nomen ipſum ſubſtantiæ, Deo, qui nullis ſubſtat, nec ſubſtare poteſt accidentibus, quo ad hoc impropriè conuenire, & tribui abuſiue: ideo melius eſſentiam nominari, nempe ab eſſe, quàm ſubſtantiam à ſubſtando. Hinc ſequitur tertium, cùm tam multa complectatur Deus in ſe ipſo, vt pote in omni genere, aut potius ſupra omne genus perfectionis interminatus, & infinitus, nihil tamen illo ſimplicius poſſe dari, neque cogitari. Nam, inquit Areopagita, *Vnum Deus eſt, quia omnia vniuerſaliter eſt, ſecundum vnicam eminentiam vnitatis*, & ſubdit ibidem loquens de attributo diuinæ bonitatis: *Neque ipſum, quod eſt bonitatis nomen, tamquam adunantes Deo proferimus, ſed deſiderio dicendi quid de ineffabili illa natura. Quæ natura*, inquit Damaſcenus Areopagitam imitatus, *vniuerſum id, quod eſt Deus, tamquam immenſum quoddam, & infinitum eſſentiæ pelagus complexu ſuo continet*. Hinc ſequitur & quartum, quia in hac vita Deum ſicuti eſt in ſe non videmus, ſed ſolum per alienas, & valde contractas ſpecies rerum creatarum, immo ſenſibilium, & corporearum: neque enim hic ſpecies rerum inuiſibilium, & ſpiritualium proprias obtinemus, ideo quidquid nobis de Deo cogitantibus obijcitur longè inferius eſt, quàm in ſe ſit Deus. De cuius propterea contemplatione ſcribens in quendam pſalmum S. Auguſtinus; *excedat*, inquit, *cor veſtrum omnia viſa, & excedat intentio omnes cogitationes veſtras eductas à ſenſibus carnis, & imaginatas neſcio quo phantaſmate: totum ab animo reijcite, quidquid occurrit negate: cogniſcite infirmitatem cordis veſtri, & quidquid occurrit, quod cogitare poſſitis dicite, non eſt illud, non enim ſi illud eſſet, mihi iam occurriſſet*. Denique ex hoc ſequitur quintum, quod ſæpe S. Dionyſius admonuit, Deum à nobis in hac vita melius per negationes, quam per affirmationes cognoſci, & verius dici quid non ſit, quàm affirmari quid ſit. Interim tamen conari noſtris conceptibus vtcumque poſſumus in animo delineare incircumſcriptas illas perfectiones, eaſque nobis per huiuſmodi internas imagines, ſalua ſemper veritate repræſentare, ſuo non caret ſpirituali fructu, & emolumento.

S. Aug. l. 7. de Trin. c. 5.

S. Dion cap. 1. de diu. nomin.

S. Damaſc. l. 1. fidei c. 12.

S. Auguſt. in Pſal. 26. enarr. 2.

S. Dion l. de myſt. Theolog. c. 1. 3. 5.

Secundus modus præſẽtiæ diuinæ, quo eſt in toto mũdo.

3 Veniamus igitur nunc ad alium modum, quem ſecundo loco poſuimus, apprehendendi diuinam præſentiam pro ipſa Dei immenſitate contractiorem, pro anguſtia verò noſtræ men-

tis, adhuc amplissimum: quo videlicet modo suprema illa Maiestas per suam substantialem essentiam, viuacissimam assistentiam, & summam omnipotentiam implet, & non tam eo continetur, quàm ipsum totum continet vniuersum. Non enim philosophi defuerunt, nec hodie desunt, qui Deum esse extra mundum,neque cōcedere,neque cogitare voluerunt. Quia cùm esse alicubi rem aliquam à nobis concipi non posse videatur sine certo quodam illius rei respectu ad id, vbi esse intelligitur, nullus autem extra mundum, vbi nihil est, terminus huiusmodi respectus inueniri posse videatur, neque Deum ibi esse intelligere potuerunt, quasi pro respectu non reali, sed rationis, non sufficiat terminus, non realis, sed rationis. At ista modo parum ad nos. Alij pro alio extremo ad certam mundi, siue cælorum regionem incircumscriptam Dei substantiam graui errore restrinxerunt: *sed nunquid, non cælum, & terram ego impleo,* dicit Dominus per Prophetam Ieremiam,& per Salomonem: *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum:* nec terrarum modo, sed etiam cælorum. Vnde propterea dicebat Dauid: *Quò ibo, à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? si ascendero in cælum tu illic es, si descendero in infernum ades.* Solet autem exemplo existentiæ animæ in corpore, quod ipsa viuificat, Dei in vniuerso mundo præsentia declarari, non quasi anima mundi sit Deus, vt peruersè aliqui antiquorum philosophorum docuerunt, sed ob quandam inter ista similitudinem, quam sano modo intellectam, tanti fecit S. Augustinus, vt non habuerit, qua meliori ratione explicaret modum cognoscendi præsentiam Dei in hoc mundo visibili,qualem Beati resumptis corporibus gloriosis obtinebunt, nisi per modum, quo nos in hac vita, non fide, nec intellectu tantum,sed etiam corporeis ipsis quodammodo oculis animam corpori esse præsentem ex membrorum motu, & viuacitate discernimus. *Quamobrem,* inquit S. Augustinus in libris de Ciuitate Dei, *fieri potest, valdeque credibile est, sic nos esse visuros mundana tunc corpora cæli noui, & terræ nouæ, vt Deum vbique præsentem, & vniuersa etiam corporalia gubernantem, per corpora, quæ gestabimus,& quæ conspiciemus quaquauersum oculos duxerimus clarissima perspicacitate videamus, non sicut nunc inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur per speculum in enigmate, & ex parte, vbi plus in nobis valet fides, qua credimus, quàm rerum corporalium species, quam per oculos cernimus corporales. Sed sicut homines, inter quos viuentes, motusque vitales exercentes viuimus, mox*

Ierem.23.24.
Sap.1.7.
Psal.138.7.
L.22. de Ciu. Dei c.29.

vt aspi-

vt aſpicimus, non credimus viuere, ſed videmus, cum eorum vitam ſine corporibus videre nequeamus, quam tamen in eis per corpora, remota omni ambiguitate conſpicimus; ita quacunque ſpiritualia illa lumina corporum noſtrorum circunferemus, incorporeum Deum omnia regentem etiam per corpora contuebimur. Conſiſtit autem in tribus potiſſimum hæc ſimilitudo. Primùm, quia ſicut anima eſt tota in toto, & tota in qualibet parte corporis, ita Deus in mũdo totus eſt per totũ, & in qualibet eius parte non niſi totus. Secundò, quia ſicut anima corpori ſuo eſt præſentiſſima, nec poteſt non ſtatim ſentire, niſi ſomno, vel nimio torpore correpta, quidquid ab illo, vel in illo fit: ita quidquid in mundo agitur præſentiſſimo ſemper intuitu natura diuina contemplatur, *& non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius,* *Ad Hebr. 4.*
ait Apoſtolus, *omnia autẽ nuda, & aperta ſunt oculis eius.* Tertiò, *13.*
ſicut anima dat corpori vitam, motum, & operationes; ita etiam Deus, *qui* ſicut legimus in actis Apoſtolicis, *cæli, & terræ cum* *Act. 17. 24.*
ſit Dominus, ipſe dat omnibus vitam, & inſpirationem, & omnia. Atque hoc eſt, quod à Theologis dici ſolet: Deum eſſe in rebus omnibus, & vbique per eſſentiam, præſentiam, atque potentiam: non per ſolam potentiam, vt eſt Rex in ſuo regno vniuerſo, vbi tamen non eſt per præſentiam; neque per ſolam præſentiam, ſicuti eſt Rex in ſua, quam circumſpicit aula regali, eam tamen ſua eſſentia, ideſt ſubſtantia replere non poteſt, ſed ſolium, vbi reſidet tantummodo. At verò Dei potentia, & præſentia, cùm aliud non ſit, quàm ipſemet in ſubſtantia, & eſſentia Deus; nec ferri poſſit vlterius eius actio, aut inueniri vſpiam eis operatio, vbi ipſe non ſit: ideo non minor eſt ſphæra diuinæ ſubſtantiæ, vel eſſentiæ, quàm ſit ipſius præſentiæ, vel potentiæ; nec magis adæquatum pro regno, quàm pro aula, & pro throno tantæ maieſtatis eſſe poteſt totum hoc vniuerſum. Quare mirabatur Salomon, cùm templum diuinæ Maieſtati ex paterno teſtamento ædificare debuiſſet, certum definiri poſſe locum ſuper terram, vbi Deus inhabitare diceretur. *Ergo ne putandum eſt,* dicebat Salomon, *quòd verè Deus habitet ſuper* *3. Reg. 8. 27.*
terram? ſi enim cælum, & cæli cælorum te capere non poſſunt, quantò magis domus hæc, quam ædificaui? & ipſe Deus per Iſaiam: *Iſa. 66. 1.*
Cælum, ait, *ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum: quæ eſt iſta domus, quam ædificabitis mihi?* Sed omnes metaphoræ, omnia exempla, omneſque ſimilitudines plurimum diminutæ, & valde in hac materia deficientes eſſe inueniuntur. Vnde illa etiam comparatio exiſtentiæ animæ intellectiuæ in

humano corpore cum existentia Dei in hoc mundo, quæ omnium videtur conuenientior, tres inter alios, insignes habet defectus. Primus est, quia non est Deus, nec esse potest forma mundi, sicut est anima forma corporis viuentis, quæ proinde forma est participata, commixta potentiæ, & incompleta. Deus autem ens primum cùm sit, primusque omnium efficiens, & vltimus finis, actum esse imparticipatum, cõpletissimum, & purissimum, necesse est. Secundò, anima à corpore, quod viuificat, recedente, cessat quidem corpus viuere, non tamen propterea desinit esse, ita vt in nihilum redigatur, nam etiamsi det illi anima esse viuum corpus, esse tamen corpus habere potest aliunde. At vero, si se Deus à mundo, vel à qualibet re creata subtraheret, quia non vnum tantum gradum esse illius, vel alterum, sed omnem à summo ad infimum ipse dedit, atque conseruat, in momento ad illud purum non esse reuocaretur, sub quo erat, antequam à Deo, vt aliquid esset vocaretur. *Quomodo enim,*
Sap. 11. 26. inquit Salomon, *posset aliquid permanere, nisi tu voluisses, aut quod à te vocatum non esset, conseruaretur?* Tertiò multum deficit ea similitudo, quia licet anima præstantior sit compositi animati pars, est tamen pars, & corpore indiget, non pro ornamento tantum, sed etiam pro necessario instrumento, & pro substantiali ad complendum totum additamento. At vero Deus nullo ex capite, nulla ex parte indiget hoc mundo, nihil enim inde sibi accipit commodi, venustatis, aut perfectionis: nisi quod suam per illum aperit creaturis pulchritudinem, & communicat bonitatem. His igitur plena mens veritatibus, Dei maiestatem hoc secundo modo præsentem apprehendet, vniuersum hunc mundum implentem, à fine ad finem attingentem, & suauiter omnia disponentem.

4 Tertius modus secundo, & primo adhuc contractior est, ideo fortassis angustæ capacitati nostræ mentis accommodatior, quo diuinam maiestatem cælum potissimum implentem, & in-
Psal. 102. 19. habitantem consideramus. Nam propterea dicebat Dauid: *Do-*
Psal. 122. 1. *minus in cælo parauit sedem suam;* & alibi: *ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis.* Christus etiam Dominus docens suos discipulos, & nos omnes orare, illud voluit primo loco diceremus: *Pater noster, qui es in cælis.* Quin & ipsa natura mentibus hominum, quamtumuis barbaris, id videtur indidisse, vt vbi primum de colendo, & inuocando numine vehemens suscipitur cogitatio, vultus, oculi, manus in cælum attollantur. Præterea ibi quoque Deus speciali quodam mõdo esse per essentiam, præ-

sentiam,

ſentiam, & potentiam intelligimus: per eſſentiam, quia ille eſt locus, vbi ſpeculum diuinæ eſſentiæ ſine velo, ſine vmbris, in claríſſimo gloriæ lumine proponitur omnibus beatis mentibus intuendum: per præſentiam, quia etiamſi omnia vbique Deus habeat ſuo conſpectui præſentiſſima, nullibi tamen communiter, ſicut in cælo eius præſentia conſpicitur: per potentiam, eò quòd ibi ſua mirabilia Deus maximè operatur, ibi ſuos theſauros aperit, & copias ſuarum diuitiarum ibi profundit, ibi denique à potentiſſimis ſpiritibus adoratur: quorum, ſi numerum, ordinem, dignitatem attentè cogitauerimus, qualis, & quanta ſit illius ſupernæ aulæ maieſtas facilè intelligemus; cogemurque exclamare cum Propheta: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum; concupiſcit, & deficit anima mea in Atria Domini*. Neque minori admiratione repleri fidelis anima debebit, quam Regina Saba, de qua ſic legimus in ſcriptura: *Videns autem Regina Saba omnem ſapientiam Salomonis, & domum, quam ædificauerat, & cibos menſæ, & habitacula ſeruorum, & ordines miniſtrantium, veſteſque eorum, & pincernas, & holocauſta, quæ offerebantur in domo Domini; non habebat vltra ſpiritum*. Nam ſi de numero cæleſtium aulicorum Danielem, qui aliquando viderat interrogemus, reſpondebit: *millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei*: Apud Iob autem ſignificantur eſſe innumerabiles: *nunquid*, inquit, *eſt numerus militum eius?* quia videlicet iniri à nobis ille numerus non poteſt: ſi quidem in ſolo infimo Angelorum choro, vnde cuſtodes Angeli ſingulis hominibus deputantur, tot eſſe, reuelatum legimus S. Brigidæ, vt ex illo ſolo ordine pluſquam decem Angeli cuſtodes ſingulis hominibus dari potuiſſent. Iam quis valeat mente complecti numerum omnium hominum, qui ſunt modo, qui præteritis ſæculis à mundi exordio extiterũt, & vſque ad finem ſunt futuri? deinde oporteret hunc numerum decies multiplicare, tum octo alios ſuperiores cæleſtium ſpirituum ordines, ſiue choros numero nihilo inferiores adiungere: & inſuper turbam illam magnam beatarum animarum à S. Ioanne in Apocalypſi viſam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribus, & populis, & linguis ſtantes ante thronum Dei. Si verò ad conſiderandum ordinem multitudinis adeo innumerabilis nos conuerterimus, meminiſſe oportebit, quod ſapientes docuerunt, humana virtute non poſſe fieri, ſed opus eſſe diuinæ ſolius, facere, vt ibi ordo inueniatur, vbi nimia eſt multitudo. Et ſanè non minor

Pſal. 83. 1.
3. Reg. 10. 4.
Dan. 7. 10.
Iob. 25. 3.
Lib. 4. reuel. c. 11.
Ariſt. l. 7. polit. c. 4.

Dei potentia elucet in tanto cælestium spituum numero coordinando per hierarchias, & choros, summa omnium externorum, internorumque motuum ipsorum harmonia; quàm apparuerit in creando, & modo eluceat in conseruando. Consistit autem summa hæc harmonia, & ordo supernæ illius aulæ perfectissimus in eo, vt non modo nemo, vel minimo locali motu, nisi ex præscripto, & voluntate supremi Imperatoris moueatur; sed neque in affectu, neque in cogitatione, vel intellectu alicuius, quidquam existat, vel possit existere, quod eidem sanctissimo præscripto, non maxime congruat, & per omnia attemperetur. Atque hoc est illud regnum pacatissimum, ac regulatissimum, ad quod aspiramus, & quod postulamus, cùm in oratione dominica, quotidie dicimus: *adueniat regnum tuum, fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra*. Post ordinem, & multitudinem spirituum supernorum, vniuscuiusque præstantia poterit considerari, quæ videlicet sit illa natura tam nobilis, tota planè spiritualis, & non sicut nostra, media ex parte lutea quodammodo, & belluina: quæ celeritas intelligendi, cui comparata omnis humani Ingenij celeritas, & perspicacia, est tarditas, & hebetudo: quanta velocitas à cælo in terram, ab oriente ad occidentem, ferè in momento discurrendi: quæ virtus sine armis, sine vllo instrumento, contra numerosissimum exercitum ita pugnare, vt vnus Angelus, quod refertur in libris Regum, prostauerit aliquando per noctem centum octoginta quinque millia Assiriorum in castris Sennacherib: Et quod longe plus est, nec labor vnius noctis, sed quot sunt dies, & noctes omnium sæculorum ab ipsa mundi creatione, nullo prorsus labore, summa facilitate, incredibili celeritate, ingentes orbium cælestium machinas circumagere, ad noctes, diesque, & anni quadripartita tempora mortalibus efficienda. Quæ species, & qualis decor illius naturæ? adeo vt si vel vnius Angeli spiritualem pulchritudinem videre, sicut in se est nobis in hac mortali vita concederetur, vt cuidam fide dignissimæ personæ aliquando fuit à Deo reuelatum, corpus ob gaudij magnitudinem, tamquam vas fragile disrumperetur, & ab anima dissolueretur. Cùm tamen sublimissima Dei natura per excessum immensum, & planè infinitum omnibus illis, quotquot creati sunt, aut creari etiam possunt, spiritibus incomparabiliter superemineat. Hæc & similia si ab orante in ipso ad orandum ingressu oculis non tam externis, quam internis in cælum eleuatis aliquatenus inspectentur, tantam excitare poterunt animi reuerentiam; vt se tamquam terræ vermicu-

Lucæ 11.2.

L. 4. Reg. 19. 35.

L. 2. reuel. S. Brig. c. 18.

vermiculum, & puluisculum reputans, intimo, & profundissimo cordis affectu dicat: *loquar ad Dominum meum, cum sim puluis, & cinis.* Gen. 18. 27.

CAPVT OCTAVVM.

De alijs tribus modis diuinæ Præsentiæ ad excitandam in nobis prædictam reuerentiam.

Tres modi præsentiæ diuinæ contractiores, & viciniores nobis.

1 SIQVIS ex tribus iam explicatis diuinæ præsentiæ modis, neque primum, iuxta eius immensitatem, neque secundum iuxta fines totius vniuersi, neque tertium pro amplitudine cælorum satis bene assequi cogitatione, vel expedita mentis apprehensione posset; habebit hic eiusdem diuinæ præsentiæ tres alios modos longè contractiores. Primus est præsentiæ Dei consideratæ in aliquo sacro, & nobis vicino loco, vt in Ecclesia, quam intramus, in sacello, in oratorio, siue etiam in proprio vbi oramus cubiculo: alter est præsentiæ Dei nos ambientis, & intra se concludentis: tertius est eiusdem præsentiæ Dei in nos metipsos intimè illabentis, nos penetrantis, & in nobis quiescentis. Prima præsentia valde est nobis vicina, sed vicinior secunda, tertia verò vicinissima; de quibus omnibus distinctè, & sigillatim in hoc capite dicendum est.

Primus modus præsentiæ diuinæ est, vt assistit templis, & locis ipsi consecratis.

2 Et Primùm, quod attinet ad præsentiam Dei specialem in locis sacris, quatuor sunt, quæ ad eius apprehensionem excitare, & iuuare nos poterunt, præter illas tres communes rationes, secundum quas dicitur Deus in rebus omnibus inueniri, per essentiam, præsentiam, atque potentiam. Nam in templis, & ædibus sacris esse, & assistere speciali quodam modo dicitur Dominus Deus, primùm propter loci consecrationem, secundò propter imagines pias artificiales, tertiò propter imagines naturales, quartò ratione substantialis præsentiæ in admirabili sacramento Eucharistiæ. In primis itaque credere debemus ob loci Deo dicati, & consecrati sanctitatem numine præsentiore facilius fidelium preces ibi exaudiri, quàm in alia profana, vel nunquam Deo dicata domo. Hoc ipsemet Deus apertè declara-

uit Sa-

uit Salomoni oranti, vt in templo, quod nomini eius magnis sumptibus ædificauerat, habitare dignaretur: Respondit enim Deus, ita planè se esse facturum: *Oculi quoque mei*, inquit, *erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius, qui in loco isto orauerit: elegi enim, & sanctificaui locum istum, vt sit nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus*. Id autem, quod pro illo templo ad vnius Salomonis petitionem semel concesserat Deus, non minori liberalitate ad vniuersalis Ecclesiæ Christi sæpe repetitas intercessiones, pro alijs templis Deo dicatis est concessurus. Atque ea est vis tot sacrarum ceremoniarum, quibus templa, sacella, & altaria Deo dedicata solenni ritu hodie consecrantur, orante Pontifice nomine totius Ecclesiæ illis verbis: *Deus, qui inuisibiliter omnia contines, & tamen pro salute generis humani signa tuæ potentiæ visibiliter ostendis, templum hoc potentia tuæ inhabitationis illustra: & concede vt omnes, qui huc deprecaturi conueniunt, ex quacunque tribulatione ad te clamauerint, consolationis tuæ beneficia consequantur.* Postea verò per singulos annos, eiusdem festiuitatis memoria redeunte, illa similiter verba pro oratione dicuntur: *Exaudi preces populi tui, & præsta, vt quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse lætetur*. Hinc bene aliqui auctores collegerunt; ab Ecclesia excommunicatos, vel interdictos, si orauerint in loco sacro, non consecuturos suffragia tali loco applicata, nec altarium priuilegia pro illis valitura, nec facilius impetraturos, quæ ibi postulant, quàm si in domo profana suas preces effudissent. Secundò, iuuant conceptum eiusdem diuinæ præsentiæ non parum piæ imagines artificiosè depictæ, quibus templa communiter adornantur, non aliam ob causam, nisi vt per externos sensus oculorum, se intra animam insinuantes, prototypum eius, cuius sunt imagines in memoriam reducant. Sunt enim sacræ imagines, vt magnus Gregorius in quadam epistola scriptum reliquit, tamquam aliqui simplicium, & idiotarum characteres, ex quorum facili lectione, quali pietate, quantaque cum reuerentia posterni ante prototypa debeamus, edocemur. Neque solum inde homines simplices, sed etiam alij doctiores poterunt proficere; nam de altero Gregorio; idest Nysseno in septima synodo refertur, solitum illum ad conspectum piæ cuiusdam imaginis ita commoueri, vt etiam in lachrymas deuotionis resolueretur. Tertium adiumentum ad præsentiam diuinam in orationis loco nobis efformandam est imaginum naturalium, nempe quas

L.1. Paral. c. 6. 20. & c. 7. 15.

S. Greg. l. 9. registri c. 9.

7. Synod. act. 2. & 4.

pe quas virtute naturali noſtræ imaginationis, aut etiam intellectus nobis ipſi confingimus, Deum apprehendendo ſiue iuxta viſionem Iſaiæ, quam ipſe ſic refert: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excleſum, & eleuatum, & ea quæ ſub ipſo erant replebant templum. Seraphin ſtabant ſuper illud, ſex alæ vni, & ſex alæ alteri*: ſiue iuxta viſionem Ezechielis in Templo gloriam Domini contemplantis, ſupra gemmatum currum triumphalem circumſtantibus Cherubinis, & quatuor myſterioſiſſimis animalibus præeuntibus: ſiue vt apparuit S. Ioanni in Apocalypſi ſedens in alto throno, iride ſmaragdini coloris vndique ſedem ambiente, ſanctiſque circumſtantibus, & coronas ſuas ante pedes ſedentis in throno humiliter deponentibus. Quartum denique vnde excitari ad hanc Dei præſentiam in templis attendendam maxime omnium deberemus, eſt auguſtiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum, quod non tantum ſacramenti, ſed etiam ſacrificij perfectiſſimam habet rationem, & ſub vtrâque ratione præſentem ibi realiter, & ſubſtantialiter conſtituit Saluatorem: ob quam præſentiam quatenus ſacramentum, omnibus tum nouæ, tum veteris legis longe eminet ſacramentis; quatenus verò ſacrificium, omnia alia, quæ vnquam extiterunt ſuperat ſatrificia. Quod ſi Rex Salomon vbi obtuliſſet in ſuo magnificentiſſimo templo hoſtias bouum vigintiduo millia, & arietum centum viginti millia, igne de cælo ad holocauſta conſumenda deſcendente, tanta tenuit populum admiratio, & reuerentia, vt ſacerdotes ingredi templi penetralia non auderent; *ſed & omnes filij Iſrael*, inquit ſcriptura, *videbant deſcendentem ignem, & gloriam Domini ſuper domum: & corruentes proni in terram ſuper pauimentum ſtratum lapide, adorauerunt Dominum, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius*: Quid nos facere oportebit ad huius noſtri ſacrificij celebrationem? cui non ſolum omnes hoſtiæ à Salomone oblatæ, ſed etiam quotquot ab Abel, vſque ad tempora noſtri Redemptoris victimæ ſunt immolatæ, quamuis omnes ſimul ſumantur dignè comparari nequaquam poſſunt. *Impoſſibile enim eſt*, ait Apoſtolus ad Hebræos ſcribens, *ſanguine hircorum, & taurorum auferri peccata, ideo ingrediens mundum* ipſe nimirum Saluator dixit: *Hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem adaptaſti mihi*, offerendum videlicet in holocauſtum ſufficientiſſimum, primum ſemel cruento crucis ſacrificio, deinde ſæpius incruento altaris myſterio, vbi eadem eſt infiniti valoris hoſtia, idem ſummus ſacerdos offerens, ſola offerendi ratione diuerſa, vt ait ſacra ſynodus

Iſaiæ 6.1. *Ezech.1.4.* *Apoc.4.2.* *L.2. Paral.7.1.* *Ad Hebr.10.4.*

Trid. sess. 22. cap. 2. synodus Tridentina; atque ita veteris testamenti, quæcumque sacrificia tamquam insufficientia, hoc vno sufficientissimo per nouam, & Euangelicam legem admisso reprobantur. Et ita plane se facturum Deus antea prædixit, illis Prophetæ Malachiæ *Malach. 1. 10* verbis: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis, vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur oblatio munda nomini meo*; quam non nisi sacrosanctam Eucharistiam esse interpretãtur Patres Concilij Tridentini cum alijs ecclesiæ patribus antiquioribus, inter quos, vt alios omittam, egregiè Chrisosto- *S. Chrisost. in Psal. 90.* mus: *Vide*, inquit, *quam luculenter, quamque dilucide Malachias Propheta mysticam interpretatus est mensam, quæ est incruenta hostia? vides vt vbicumque locorum concessum est angelicum illud sacrificium inclarescerè?* Meritò autem angelicum vocat, nam quo tempore tremenda hæc mysteria peragun- *Chrisost. l. 6. de sacerdot.* tur, sicut idem S. Doctor scribit in vltimo libro de sacerdotio, *Angeli assistunt sacerdoti, virtutes cæli ibidem concinunt, immo locus aræ propinquus Angelis consertus est, vt Domino suo, qui offertur, honorem habeant, idque senex quidam, qui varias atque admirabiles à Deo reuelationes habuerat, confirmauit, dicens, se sacrificij tempore vidisse Angelos mirè exornatos, qui altari assisterent, caputque ad benedictionem sacerdotalem inclinarent, non secus ac milites in sui Regis præsentia solent*. Hæc S. Chrisostomus, cui has ipsas visiones Angelorum contigisse verisimile est; quamuis eas in tertiam personam propter modestiam re- *B. Nilus to. 3. bibilioth. pp. ep. ad Anast.* tulerit. Nam eius Discipulus B. Nilus refert in epistola ad Anastasium, sæpe tales visiones tempore sacrificij sanctum Chrisostomum habuisse, idque præcipuis quibusdam amicis priuatim enarrasse. Ex quibus constare omnibus facilè potest, quæ, & qualia ad reuerentiam incitamenta in hac prima diuinæ præsentiæ ratione inueniantur.

3 Secunda ratio, siue modus apprehendendi præsentiam diuinam vicinior nobis in eo consistit, vt quemadmodum est reipsa, sic fide certa recogitemus, & agnoscamus Deum per suam substantiam circa nos esse, & nos intra ipsum semper vel *Act. 17. 27.* quiescere, vel moueri. Quod adeo perspicuum est, vt Apostolus S. Paulus agens de hac re cum Atheniensibus asseruerit, manu id quodam modo palpari, & attrectari posse, hoc est per ea, quæ à Deo facta sunt visibilia, & sensibilia facili, & manifesta consequentia deduci, nempe *Deum non longe esse ab vnoquoque nostrum*;

strum: in ipso enim, inquit, *viuimus mouemur, & sumus*, ad quod etiam confirmandum ethnici poëtæ vtitur testimonio. Ad id verò melius intelligendum, & mente comprehendendum triplici similitudine adiuuabimur: prima est piscis intra aquam manentis, atque ita circumdati, vt quocumque se natando vertat hac, illac, inferius, aut superius, aquam circa se vndique inueniat, & illa est ei pro habitatione, pro vehiculo, pro sede, pro alimento, pro vita; extra quam moriatur necesse est: eadem, & multo maiori ratione quòcunque nos vertamus in Deo, & intra Deum sumus. *Quò ibo à spiritu tuo*, dicebat Propheta, *& quò à facie tua fugiam? si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero in infernum ades:* & statim adiungit rationem ex eo, quod non nisi per ipsum moueri, & in ipso consistere valeamus: *etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*. Neque id pro aliquo solùm tempore, vel in vna tantùm, aut altera operatione, sed semper & in omnibus: *quia tu possedisti renes meos, suscepisti me de vtero matris meæ:* & in alio psalmo: *Quoniam*, inquit, *tu es, qui extraxisti me de ventre, spes mea ab vberibus matris meæ, in te proiectus sum ex vtero.* Et quamuis non sit Deus vita nostra propriè, nec cibus, nec habitatio; quia formæ, ac materiæ abiectiores vices subire per se eleuatissimus ipse non potest: quidquid tamen commodi nobis exhibent creaturæ, non à se ipsis habent, sed à Deo bonorum omnium fonte, & causarum omnium prima, atque vniuersalissima: vt Moyses dixerit aliquando: *Diliges Dominum Deum tuum, & illi adhæreas: ipse est enim vita tua, & longitudo dierum tuorum*. & S. Paulus de Deo disputans in Areopago: *Ipse dat omnibus vitam, & inspirationem, & omnia*. Altera similitudo, qua eandem apprehensionem diuinæ circa nos præsentiæ poterimus adiuuare, est hominis intra nubem, nebulam, vel caliginem existentis: non quasi substantiæ adeo fluxæ diuina pro sua parte benè comparetur, sed quia pro nostra parte incomprehensibiles illius perfectiones, non nisi sub obscuritate fidei, & intra caliginem, & nubes nostrorum phantasmatum attingimus. Quapropter Moyses ipse, qui facie ad faciem cum Deo loquebatur, intra caliginem, & nubes in monte Sinai Dei præsentia fruebatur. Isaias quoque domum repletam fumo, gloriam Domini sua admirabili visione contemplaturus intrauit. Ezechiel ad repletum nubibus atrium, vnde splendor gloriæ Domini erumpebat, accessit: *& Dominus*, inquit, *Salomon, pollicitus est, vt habitaret in caligine*. Ideo S. Dionysius Areopagita Timotheum in mystica theologia

Psal. 138. 7. — *Psal. 21. 10.* — *Deut. 30. 20.* — *Act. 17. 28.* — *Exodi 20. & 24.* — *Isa. 6. 4.* — *Ezech. 10 3.* — *2. Paral. 6. 1.* — *L. de myst. theol. c. 1.*

theologia erudiens adhortatur, vt in caligine radiante quærat illum, qui posuit tenebras latibulum suum. Tertia similitudo eiusdem præsentiæ magis expressiua sumi poterit ab infante in vtero matris existente: ea siquidem ad nostrum institutum apud
Isa. 46. 3. Isaiam vsus est Deus. *Audite me*, inquit, *Domus Dauid, & omne residuum domus Israel, qui portamini à meo vtero, qui gestamini à mea vulua, vsque ad senectam, ego ipse, & vsque ad canos ego portabo: ego feci, ego feram, ego portabo, & saluabo.* Quare sicut infanti maternus venter est pro cubiculo, pro vehiculo, & sella gestatoria, pro indumento, atque fomento; inde etiam alimentum trahit, inde habet sustentationem, & vitam: ita nos quidquid ad vitæ nostræ subsidium, solatium, & præsidium quærimus, totum non nisi intra Deum, & à Deo mira eius dignatione, ac dispositione obtinemus. Sed quamuis hæc ipsa maternarum viscerum tenerrima similitudo, non parum exponere de eo, quod quærimus videatur; adhuc tamen multum deficit, & plurimum de rei veritate relinquit inexplicatum. Nam maternus vterus paruulo non dum in lucem edito carcer est re vera horribilis, angustissimus, & tenebricosissimus; adeo vt nisi summa esset infantis stupiditas, qui vix tunc exercet opera vitæ, præterquam vegetatiuæ, more plantarum intra terram succrescentium, non esset vlla ratione tolerabilis. At esse nos intra Deum, nisi obstaret nostræ mentis stupiditas, efficere deberet, vt obliti rerum omnium visibilium, & sensibilium, solum Deum, ac diuina animo, & cogitatione reuolueremus, solùm ipsi afficeremur, & in ipsum quodammodo transformaremur. Quis enim frigidus intra fornacem ignis ardentissimi esse posset? quis intra cælestem rorem deberet vlla ex parte aridus inueniri? quis intra mare dulcedinis, & cælestium deliciarum afflictus, & cum tali consolatore desolatus? quis denique vagus, & incircumspectus non solum ante, sed etiam intra Dei conspectum, qui totus est oculus, totus intellectus, & mens?

Tertia ratio diuinæ præsentiæ, qua Deum intra nos metipsos cõsideramus.

4 Tertia ratio diuinæ præsentiæ magis intima nobis, & alijs duabus præcedentibus profundior est, qua Deum intra nos metipsos esse consideramus. Nam infans nondum in lucem editus ita est intra matrem, vt mater intra ipsum non sit, nec esse possit; vnde fit, vt magis ipsa filium suum diligat, quàm ab eo diligatur, quia illum magis esse rem suam propriam agnoscit, quam ipsa sit illius. At neque hoc amoris nostri in Deum, & reuerentiæ incitamentum nobis deest: non solum enim hoc ipso, quod sumus, intra Deum esse necessariò debemus; verum

etiam

etiam Deus totus intra nos est, & quamdiu sumus, aliter esse non potest. Est autem intra nos Deus magis quàm ipsa anima nostra intra proprium corpus, quia non solum est totus, vbi est anima, & operatur in nobis quidquid anima operatur, verum etiam facit ipse principaliter, vt anima, cuius secundæ sunt in operando partes, intelligat, velit, sentiat, appetat, & motu quocunque moueatur: ipse dat illi, & conseruat totum esse, quod habet, & viuere, & posse, vt sit quasi vita, & virtus, & anima animæ nostræ. Propterea dicebat Deo S. Augustinus; *Quæram te Domine; vt viuat anima mea: viuit enim corpus meum de anima mea, & viuit anima mea de te*. Sed si vlterius inquiramus quot aliis modis specialibus per gratiam suam Deus in animabus iustis inhabitet, inueniemus illum ibi aliquando tanquam in horto deliciarum conquiescere, aliquando tamquam in thalamo nuptiali, interdum velut in templo, atque sacrario, interdum velut in solio suo proprio, & in regali throno. His enim symbolis, atque metaphoris explicare solet in diuinis scripturis Spiritus sanctus suam in anima iusta, nec non Patris, & Filij mansionem: eam ipsam, quam amicis suis Christus Dominus in Euangelio pollicetur dicens: *si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Et quidem hortum esse pacifici Salomonis animam Deo in charitate, & iustitia desponsatam, apertè in sacro cantico significatur, cùm dicitur: *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus*. Quanta verò florum, hoc est virtutum omnium varietate ornatus, quanta fructuum, hoc est bonorum operum copia fertilis, quanta herbarum aromaticarum suauitate, hoc est odore bonorum exemplorum olens, statim ibidem cælesti quadam eloquentia describitur, cum subditur: *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nardus, & crocus, fistula, & cinnamomum cum vniuersis lignis libani, myrrha, & aloë, cum omnibus primis vnguentis*. Atque hunc hortum appellat iure optimo suũ sponsus cælestis, quia primas in illo ipse habet partes, liberum vero sponsæ arbitrium multiplici gratia ipsius semper adiutum non nisi secundas: vnde prius ipse, & veniat ad illum, deinde sponsa post illum inuitatur, cùm dicitur: *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum: Veni in hortum meum soror mea sponsa*. Præterea in hoc etiam canticorũ libro, & in alijs diuinis scripturis facilè erit quærentibus inuenire, qua ratione anima Dei

L. 10. confess. cap. 20.

Ioann. 14. 23.

Cant. 4. 12.

Cant. 5. 1.

gratia

gratia, & amicitia sanctificata, sit thalamus nuptialis, templum sancti Spiritus, thronus, & reclinatorium Deitatis. Hæc enim tantùm indicasse modò sufficiat ad varias & multiplices diuinæ præsentiæ rationes, tum intellectu, tum affectu prosequendas: ex quibus eas eligere sibi poterit vnusquisque, vnde iuxta materiam meditandam maiorem sibi excitari senserit deuotionem, & eam quam quærimus reuerentiam.

CAPVT NONVM.

De breui Oratione præparatoria.

1 HAEC oratio, quam præparatoriam appellamus est illud tertium, quod in hoc nostro mystico sacrificio præstandum antea dicebamus, ex octo exequendis in exercitio meditandi. Circa quam orationem tria nobis erũt explicanda, primùm, cur meditationi cuilibet oratio aliqua præparatoria sit præmittenda, secundò in quo consistat hæc oratio: tertiò, in quibus à reliqua meditatione; quæ & ipsa oratio est, propriè distinguatur. Cur itaque huiusmodi nostræ mentis præparatio cuicumque meditationi sit præmittenda intelligemus, si recolamus tertium illud, quod in veteribus sacrificijs fieri solitum superiori libro dicebamus. Posteaquam enim ligna essent collecta pro sacrificio, & altare constructum, victima sacerdotali manu interficiebatur: vt ea ratione viuere desineret vita animali, & veluti nouum quid effecta, vni Deo ex toto consecraretur. Quare quemadmodum in hac interimendi hostiam ratione vetus sacrificium maxime consistebat, quatenus tota res oblata ordinabatur, & cedebat in recognitionem, & cultum diuinæ maiestatis; sic etiam per præparatoriam orationem, qua petimus à Domino, vt vires omnes, atque actiones nostræ sincerè ad eius gloriam, & cultum tendant, & qua nos à curis, & cogitationibus temporalibus ad spiritualia transferimus, ac viuere quodammodo cessamus operationibus animalibus, sacrificium hoc nostrum re ipsa inchoamus, & bona ex parte perficimus. Tunc enim Deo nos offerimus, iuxta consilium Apostoli, hostias viuentes, obsequio rationabili, renouati spiritu mentis nostræ, probantes, quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta. Hinc est quod monet sa-

Cur oratio aliqua præparatoria cuicumque meditationi præmittenda.

Ad Rom. 12. 1.

net sapiens: *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse sicut homo, qui tentat Deum*. Si enim homo cum alio non contemnendæ auctoritatis homine verba facturus, iustæ quærelæ, atque indignationis ei præberet occasionem, quandocunque ante eius præsentiam, repente se ab alio negotio proripiens constitueret, nolens attendere quid, quomodo, quàve de re cum illo sit acturus: quanto magis prouocare ad indignationem velle videbimur Dominum Maiestatis, si ad eius conspectum, atque præsentiam, quasi oraturi, animo tamen impræparato accesserimus; ad quem vix dignum habent accessum supremæ curiæ cælestes Aulici, & spiritus sublimissimi. Hinc etiam est, quod Moysi quærenti per interiora deserti solitudinem, vt melius vacaret contemplationi, & vsque ad montem Dei Horeb venienti, vt mysteriosa rubi visione frueretur, dictum à Deo fuit: *Ne appropries huc, solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est*. Similiter Iosue dictum fuit ab Angelo: *Solue calceamentum tuum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, sanctus est.* Nam quid mysticè per pedes, nisi intellectus, & affectus significantur? quibus anima mouetur, & fertur, sicut suis pedibus corpus progreditur: quid per calceos intelligere debemus, qui ex mortuis animalibus conficiuntur, nisi huius vitæ mortalis cogitationes, ac sollicitudines? quas omnes exuere, ac deponere in ipso orationis ingressu necesse est, ne indignè ad agẽdum cum Deo veniamus. Est & alia ratio efficacissima præmittendæ semper orationis præparatoriæ meditationi, siue contemplationi cuicunque. Nam agere pro dignitate, & sicut oportet cum Deo per orationem, viribus, ac præsidijs tantùm naturæ minimè valemus, sed gratia ipsius adiuti ad eam dignitatem subleuandi sumus: *posteaquam enim*, inquit S.Ioannes Chrysostomus, *maius est hominis viribus cum Deo miscere sermonem, opus est, vt gratia spiritus adueniens nos confortet, addat fiduciam, & honoris edoceat magnitudinem*. Vt hoc igitur totum obtinere à Domino Deo mereamur, ab oratione præparatoria, nostra semper meditatio inchoabitur.

Eccl. 18.23.

Exodi 3.1.

Iosue. 5.16.

Chrysost. l. 2. de or.

3 Iam vero quomodo fieri debet hæc oratio præparatoria, & in quo propriè ipsa consistat, quod secundo loco explicandum proposuimus, Auctor libri spiritualium exercitiorum paucis verbis, sed satis perspicuis ita exposuit: *Oratio præparatoria est, qua petimus à Deo gratiam, vt vires, atque operationes nostræ omnes sincerè ad eius gloriam, & cultum tendant*. In tribus itaque tota consistit: primùm est, vt bene agnoscamus

B. Ignat. l. exercit. exercit. 1.

In quo propriè consistat oratio præparatoria.

nos non valere ad hoc exercitium, fine speciali Dei auxilio peragendum: Secundò non solum nos non valere, sed etiam ignorare, quid orare debeamus: Tertiò vt hoc agnoscentes breui, sed efficaci supplicatione per modum eiaculatoriæ orationis, diuinum adiutorium, & directionem pro tam eleuato negotio postulemus. Quod autem ignorantia ex parte intellectus, & infirmitas ex parte voluntatis, atque affectus, maxima sint orationis nostræ impedimenta, clarè docuit illis verbis Apostolus: *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus. Vsque adeo imbecillus est homo, & per se nihil*, ait in hæc verba Apostoli scribens S. Ioannes Chrysostomus, vbi etiam notat illud verbum, *nescimus*, quo vniuersalis hæc ignorantia esse intelligatur. Nam & Abraham, & Moyses, & Ieremias, & Paulus ipse, alijque viri sanctissimi plura orando postularunt, quæ tamen à Deo impetrare numquam potuerunt: illo videlicet negante misericorditer, qui solus bene nouit quid expediat, quod non nisi iratus nescientibus quid peterent, concessisset. Sed præter ignorantiam infirmitas nostra tanta est, vt totum hoc negotium pro nobis quodammodo sibi sumpsisse Spiritus sanctus videatur; subdit enim hac de re S. Paulus: sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, idest, vt sæpe interpretatur S. Augustinus, postulare nos facit, & ita facit, vt non tam nos, quàm ille pro nobis postulare affirmetur: & ipse est ille nocturnus, & amicus viator, ait S. Augustinus, de quo dicebat in parabola Christus Dominus. *Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: amice accommoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo, quid ponam ante illum. De via nocturno tempore gratia ad nos venit, idest in tenebris nostræ ignorantiæ, quia quid oremus sicut oportet nescimus: inuenit autem nos imparatos propter summam spiritus egestatem, & nostram in bonis opibus infirmitatem: ipse excitat, vt à diuite amico tres panes postulemus, hoc est tres gratias pro tribus nostris potentijs, à tribus personis diuinis*. Ab æterno Patre pro memoria vim memorandi, à Filio pro intellectu lumen intelligendi, à Spiritu sancto ardorem pro affectu. Atque hoc erit ad orationis initium postulare, vt vires omnes, & operationes nostræ sincerè ad Dei gloriam, & cultum tendant. Quantopere autem praua intentio in hoc sancto meditandi exercitio cauenda sit, & recta intentio qua ratione sit procuranda, alijque actus fidei, spei, charitatis, atque contritionis breuiter, & maxima cum vtilitate in

Ad Roman. 8. 26.

Chrysost. hom. 14. in ep. ad Roman.

S. Aug. serm. 171. de temp. Luca 11. 5.

hæc

hæc præparatoria oratione exerceri à quocumque debeant, & facile possint, tribus sequentibus capitibus commodius exponemus.

4 Hic tertium superest videamus, in quo differat hæc oratio à reliqua meditatione, siquidem hæc, & illa propriè est oratio, vtraque ad Deum funditur, ad vtramque diuina gratia est necessaria, vt fiat, sicut oportet. Est nihilominus in aliquibus discrimen non paruum: & primùm in eo, quod hæc oratio præparatoria vna ex illis esse videtur, quas describit sanctus Augustinus in epistola de orando Deum, his verbis: *Dicuntur fratres in Aegypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen breuissimas, & raptim quodammodo eiaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum necessaria est per productiores moras euanescat, atque hebetetur intentio*. Quare si de mora temporis aliquid statuendũ sit, neque vnius horæ quadrantis quarta particula pro huiusmodi oratione videtur necessaria. At verò meditatio multo productior esse solet, vnius videlicet horæ, vel amplius. Secundò, oratio præparatoria debet esse feruentissima, & efficacissima, certis quibusdam actibus circumscripta, quibus à Deo gratia, & spiritus orandi pro reliqua meditatione obtineatur. Id autem si non fiat, parum poterit sperari in sequentibus. Legimus in libris Regum, venisse Regem Ioas aliquando ad Elisæum Prophetam, qui aperta suæ domus fenestra versus plagam Orientalem, iussit Regem sumere suum arcum, atque sagittas, tum ad illam partem iaculari. Cum autem Rex supponente Propheta manum suam manibus illius, semel, iterum, ac tertio sagittas emisisset, substitit, nec voluit amplius eiaculari. Tunc indignatus quodammodo Elisæus: *Si*, inquit, *percussisses quinquies, aut sexies, siue septies, percussisses Syriam vsque ad internecionem: nunc autem tribus vicibus percuties eam*. Fenestra ad plagam orientalem nobis aperitur, cùm orandi, & agendi cum Deo ac cælitibus oportunitas præbetur: arcum, & sagittas sumimus, & manu tenemus, prophetica manu supra nostram posita, cum vires, & potentias animæ nostræ, adiuuante gratia Dei, applicamus, atque intendimus per orationem præparatoriam modo prædicto, ex qua quò plures, & feruentiores actus eliciemus, & veluti arcu intento sagittas emittemus, ex quinque, sex, aut septem partim explicatis, partim sequentibus capitibus distinctius explicãdis, eò sequens meditatio erit perfectior, & victoria de principibus tenebrarum, cum quibus in oratione pugnamus, plenior reportabitur. Ter-

[Margin notes: In quo differt oratio præparatoria à reliqua meditatione. — *S. Aug. ep. ad probam* 121. — *l.* 4. *Reg. c.* 13. 14.]

tium diſcrimen huius præparatoriæ orationis à reliqua meditione hoc eſt, quia oratio præparatoria ſemper eſt eadem, nec variari in ſuis actibus quidquam neceſſe eſt; at verò ſequens meditatio plurimas admittit, atque etiam exigit varietates: nam & materiæ pro illa ſolent eſſe diuerſæ, & puncta aliter diſpoſita, diſcurſus quoque, & affectus ſæpe diſſimiles. Poſtremò illud etiam diſcrimen interuenit, quod meditatio mentis actio, ſeu agitatio quædam eſt, nec per ſe vocalem orationem admittit, niſi fortè interdum voce ſubmiſſa in colloquijs, vt de illis agendo ſuo loco oſtendetur. Hæc autem præparatoria oratio, quia tota eſt per modum colloquij cum Domino Deo tranſigenda, tum mentali, tum etiam vocali oratione perfici nihil vetat. Vnde ad eam vtuntur aliqui communi illa Eccleſiæ oratione: *Actiones noſtras quæſumus Domine aſpirando præueni, & adiuuando proſequere, vt cuncta noſtra oratio, & operatio à te ſemper incipiat, & per te cepta finiatur*. Alij accipiunt deuotiſſimam illam ſancti Bernardini ad Virginem Deiparam ſupplicationem. *Per te acceſſum habeamus ad filium, ò benedicta inuentrix gratiæ, genitrix vitæ: vt per te nos ſuſcipiat, qui per te datus eſt nobis: Excuſet apud illum integritas tua culpam, &c.* quæ in hunc ſenſum verbis accommodatiſſimis leguntur expoſita Sermone ſecundo de Aduentu Alij alias adhibent præcationes à ſe, vel ab aliis ad idem inſtitutum compoſitas, in quibus tamen expedit includi ſemper diuini adiutorij, & gratiæ ſancti Spiritus implorationem, ſinceram præterea pro toto hoc exercitio noſtri cordis intentionem, cauendo alias ſiniſtras, aut minus perfectas, quæ facile ſe ingerunt, intentiones: de quibus, quia res eſt magni momenti, agendum erit fuſius in ſequentibus.

S. Bernar. ſer. 2. de aduentu in fine.

CA-

CAPVT DECIMVM.

De triplici distorta intentione cauenda in oratione.

1 HAEC est differentia inter habitus, quos per suam gratiam Deus nobis infundit, & actus ex eadem gratia in nobis, & à nobis elicitos, quòd habitus solus Deus in anima actiuè producit, nos verò illos tantummodo passiuè recipimus. Vnde solet infusus habitus definiri, cùm dicitur: est bona qualitas mentis, quam Deus in nobis, sine nobis operatur. At vero actus, ita per gratiam in animæ nostræ potentijs producuntur, vt simul nos cum anima, eiusque potentijs actiuè concurrere debeamus: neque solùm vitaliter, verum etiam, vt sint meritorij, liberè, ex electione, atque ordinatione ad aliquem honestum finem sunt eliciendi. Quare non sufficit agnoscere ad orandum se esse insufficientem, & propterea ad id auxilium diuinum præparatoria oratione postulare; sed oportet etiam oblato adiutorio gratiæ conuenienter respondere, illud sincero corde acceptare, illo bene vti, totamque operationem ad finem debitum recta, & quantum fieri potest eleuata intentione dirigere. Est enim intentio veluti character, qui maximè in pretio pecuniæ, præter pondus, & qualitatem metalli, debet attendi: est tamquam forma, vita, & virtus operationis: propterea oculo nostri corporis à Christo Domino comparatur. Loquens enim ipse in Euangelio de recta intētione, quam etiā in bonis operibus ieiunandi, & orandi volebat ostendere esse valde necessariā: *Lucerna*, inquit, *corporis tui est oculus tuus: si oculus tuus fuerit simplex, totū corpus tuum lucidum erit: si autē oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuū tenebrosum erit*. Circa quæ verba S. Chrysostomus conferens intentionem non solum cum oculo corporis, sed etiam cum nauis Gubernatore, & cum alicuius bene instructi exercitus Imperatore: *Quid prodest*, inquit, *auratis armis milites fulgere, cum ducitur Rex ipse captiuus? quod lucrum ornatæ depictæque nauis, cum ipsius mergitur gubernator? quæ nam est illius bene compositi corporis pulchrtudo, cùm facies oculos amisit?*

Actio honesta nō potest esse nisi ad finem honestum.

Matth. 6. 22.

Chrysost. hom. 21. in Matth.

Quod si Apostolus omnia opera, etiam valde vulgaria fieri ad
1. Cor. 10. 31. Dei gloriam præcipiebat dicens: *siue ergo manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite*; quantò magis hoc exercitium orandi, cum Deo nempe agendi, & familiariter conuersandi? quod sicut omnium virtutum, omniumque bonorum obtinendorum medium est efficacissimum, si ad eleuatum suum finem pura mente referatur, ita si vel sola deflectat intentio, magnam, atque multiplicem in hoc vno opere iacturam patiemur. Sanè si orationem hominis pharisæi in Euangelio relatam, cum oratione Regis Ezechiæ, quam legimus in Isaia, conferemus: quantum ad verba, materiam, & orandi modum, non multum eas inter se dissimiles esse inueniemus: sed quia cordis intentio fuit valde diuersa, ideo, vt notauit S. Gregorius effectus sortitæ sunt valde diuersos. Orabat Pharisæus stans, non genua flectens: at neque flectebat Ezechias; immò in lecto decumbebat: enumerabat coram Deo Pharisæus bona, quæ faciebat: *ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium, quæ possideo*; nihil verò de se minus Ezechias profitebatur: *Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim. Ecce*, inquit S. Gregorius, *Pharisæus se iustificauit in opere, & Ezechias iustum se asseruit etiam in cogitatione; atque vnde ille offendit, inde iste Dominum placauit: quia nimirum alio ad orandum accesserunt corde, alia cum Deo agebant intentione*. In primis itaque accedentibus ad hoc meditandi exercitium, distortæ intentiones, de quibus hic dicemus, sunt præcauendæ: tum rectæ, atque sinceræ, de quibus agetur capite sequenti, diligenter sunt procurandæ. Et quamuis declinationes à via recta, quæ vna tantum est, assignari possint infinitæ perspicuitatis tamen gratia obliquas omnes intentiones ad tres præcipuas reuocabimus: sicut etiam tres oppositos gradus rectæ intentionis postea exponemus. Prima obliqua, siue distorta intentio vana potest appellari: Secunda sensualis: Tertia curiosa, siue præsumptuosa: Prima est mala, sed est deterior secunda, tertia vero est omnium periculosior, & maxime peruersa.

Marginal notes: Lucæ 18. 11. — Isa. 38. 2. — S. Greg. l. 12. mor. c. 16. — S. Greg. vbi supra. — Tres species prauarum intentionum cauendæ accedenti ad orandum.

Prima praua intentio orāti cauenda, ne ex consuetudine, vel humano respectu accedat.

2 Vt ergo à prima intentione mala, quam vanam dicimus, ordiamur, ea est cùm homo licet non valde corrupta mente accedat ad orandum, non satis tamen eleuatam ad Deum gerit intentionem: sed ex quadam consuetudine, vel quia sic alij faciunt, aut quia sunt, qui obseruent orantem, & notent, si id facere prætermittat, ideo ipse quoque dare se vtcumque huic

exercitio

exercitio pro loco, & tempore non omittit. Cui bene illa Domini querela per Oseam contra Effraim videtur posse accommodari: *Effraim factus est subcineritius panis, qui non reuersatur.* Osea.7.8. Sicut enim huiusmodi panis subcineritius, siue placenta ex inferiori parte non satis coquitur, ex superiori verò nō tam coquitur, quam comburitur, & sic ambustus vndequaque cineribus repletur, ita qui sine alia reflexione, & eleuata magis ad Deum intentione, solum per quandam consuetudinem dat se orationi, vitia, & malas inferioris animæ partis inclinationes nequaquā excoquit, in superiori verò ratione humanis respectibus vritur, & terrenis potius, quam cælestibus cogitationibus inter meditandùm repletur. Qua in re consilium S. Gregorii sequi debemus, qui ea Oseæ verba moraliter exponens. S. Greg. l.11. mor.c.6. *Si igitur*, inquit, *terrenarum cogitationum cinerem à mente excutimus, quasi panem subcineritium reuersamus: vt illa iam nostra intentio postponi debeat, quam prius cogitationis infimæ cinis premebat: & munda facies ad superiora veniat, vt recta nostra intentio mole iam terreni desiderij, non prematur.* Nec minus elegans, & ad nostrum faciens institutum est altera similitudo, qua Deus per eundem prophetam paulò inferius de eodem populo conquerebatur dicens: *& factus est Effraim, quasi columba seducta, non habens cor.* Osea.7.11. Sicut enim columbæ non desunt multa, ex quibus commendetur, vnde in bonam partem sæpius in diuinis Scripturis accipitur; eique viri contemplatiui assimilantur: vt quod celeriter volet, ad limpidas aquas libenter se conferat, pastum cadauerum refugiat, felle & amaritudine careat: minus tamen videtur esse cordata, vnde facile alias sui similes gregatim sectatur, non multum attendens quò, & ad quid se cōferant, siue ad aquas, siue ad prata, siue etiam ad laqueos, & ad retia. Ita sunt aliqui nimis ad omnia faciles, & natura sua flexibiles, exequi promptiores, quam intendere: vt agant, attendentes, non quid agant, aut ad quem finem debeant operari. Atque vt de facilitate, & flexibilitate ad malum, quod minus ad rem nostrā facit, nihil hoc loco dicamus; certe pro orationis bono defectus sanctæ intentionis, etiamsi alia magis corrupta voluntas non adderetur, tanti æstimari debet, quanti defectus cordis in animante; cui proinde nec poterit inesse vita, nec operatio vlla vitalis, nec motus aliquis, nisi forte elementi prædominantis. Quod si quis dicat, ipsam per se orādi actionem, cum nihil aliud sit oratio, quàm mentis ad Deum ascensus, & eleuatio, sine alia rectitudine intentionis tendere ad Deum: aduertere debebit,

solere sæpe contingere, vt Deum quærat aliquis, & diuina, non tamen propter Deum, neque propter aliquid diuinum, sed ob humanum aliquem affectum, & commodum naturalem: quod re vera non est Deum quærere, sed aliquid alind à Deo, immo non res creatas, sicut omnino oporteret, ad Deum, sed præposterè Deum ad res creatas cæca voluntatis peruersitate referre.
Isai. 58. 2. *Me etenim*, dicebat ipse Deus per Isaiam, *de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt, quasi gens, quæ iustitiam fecerit, rogant me iudicia iustitiæ, & appropinquare Deo volunt:* quorum tamen conatus, ait Deus se improbasse, & ne aspicere quidem voluisse, propterea quòd ipsorum non Dei voluntas in huiusmodi actionibus alioquin honestis inueniretur. Hinc ètiam est, quod Deus à nobis potissimum cor postulat, dicens per Salomonem:
Prou. 23. 26. *præbe fili mi cor tuum mihi: & oculi tui vias meas custodiant*. Nam, vt nihil de oculis amplius dicamus, quibus etiam intentio, sicut antea vidimus, significatur, cor in diuinis Scripturis accipi solet pro voluntate, maximè verò finis, quæ ipsa est intentio: sicut enim à corde vita procedit animalis, & quælibet eius vitalis operatio, ita ab intentione voluntatis vita moralis, & omnis electio, quæ tanto est honestior, quanto ab honestiori intentione, idest à voluntate finis altioris efficitur; tanto deterior, quanto maior defectus est finis, propter quem aliquis elegit, & aliquid operatur. Quare S. Ioann. Chrysost. expendens illa S. Pauli verba ad Corinthios;
1. Cor. 10. 31. Chrysost. hom. contra obseruantes nouilunia. *siue manducatis, siue bibitis. siue aliud quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite*, rem docet in hanc sententiam, quæ fidem humanam videretur excedere, nisi eam manifestis diuinæ Scripturæ testimonijs comprobaret: ipsam videlicet humani sanguinis effusionem, et homicidia, quibus nihil videri, et audiri potest horribiliùs, magis Deum placare posse apposita bona intentione, quam fusas ad Deum preces, et supplicationes, quibus nihil sanctius, nihil ad placandum numen accommodatius videtur posse inueniri, si bona intentione destituantur.
Num. 25. 5. Id autem ostendit exemplo Phinees nepotis Aaronis, qui sicut legimus in libro Numerorum, zelo Dei repletus arrepto pugione Zambri virum principem, cum Madianitide transfodit, et interfecit, eò quòd suo delicto Deum ad iracundiam prouocarent. Dixitq. Dominus ad Moysem,
Num. 25. 6. *Phinees filius Eleazari, filij Aaron sacerdotis auertit iram meam à filijs Israel, quia zelo meo commotus est contra eos, vt non ipse delerem filios Israel in zelo meo. Idcirco loquere ad eum: ecce do ei partem fœderis mei, & erit tam ipsi, quàm semini eius pa-*

ctum

ctum sacerdotij sempiternum : Vnde etiam in Psalmo dicitur: *& stetit Phinees, & placauit, & cessauit quassatio, & reputatum est ei in iustitiam in generationem, & generationem vsque in sempiternum.* Ex altera verò parte pacificus, et oraturus ad templum veniens Pharisæus, longa suorum bonorum operum enumeratione apud Deum, magis illum ad iracundiam lacessiuit. *Adeo est aliquid non propter Deum facere,* inquit S. Ioann. Chrysost. et addit : *sed quemadmodum Phinees cùm cædem fecisset gratiosus apud Deum fuit; sic & iste Pharisæus, non propter precationis naturam offendit, sed propter animi affectionem, qua cum precabatur prolapsus est, ita etiam si spirituale aliquid fuerit, si tamen propter Deum non fiat, inprimis illum lædit, qui facit :* hucusq. Chrysost. Et hæc satis de vana intentione.

Psal. 105.30.

Luce 18.11.

3 Secundam speciem minus rectæ intentionis appellauimus sensualem, quamuis enim sensualitas non videatur posse habere locum in huiusmodi exercitijs spiritualibus: quia tamen habent etiam ipsa suos gustus, & delicias, & quidem multò nobiliores, quam sint corporeæ voluptates: sicut, qui has corporis voluptates nimis auidè sectantur, & propter illas, tamquam propter intentum finem peruersè eligunt operari, neque sicut fieri deberet, delectationem quærunt, propter honestam operationem, sensuales appellantur: ita qui consolationes, & gustus spirituales per se quærunt & propter se ipsos, non propter finem vlteriorem, sensuales dici possunt; & quasi gulæ vitio in rebus spiritualibus laborantes. Hinc tria eos sequuntur grauia detrimenta: Primùm non tam quærere Deo placere, quàm sibi metipsis: si enim Deo magis, quàm sibi placere desiderarent, profectò intelligerent, se non minus, immo magis Deo placituros, cùm desolati, non verò consolati in oratione perseuerant. Nam sicut B. Climacus obseruauit, quemadmodum militis erga suum Imperatorem amor, & obedientia, non tam in otio, & tranquillitate, quàm in præliandi exercitio, & difficultate cognoscitur, ita charitas in Deum, & cum eius voluntate conformitas, in orante cum perseuerantia, etiam si desit consolatio dignoscitur: *& noli,* inquit Climacus, *cùm in oratione perduras, dicere nihil profeci, iam enim satis profecisti. Quid namque sublimius esse potest, quam Domino adhærere, atque in hac cum illo iugiter perseuerare.* Secundum detrimentum, quod ex huiusmodi non recta intentione consequitur est, siue absit, siue adsit spiritualis consolatio, parum oranti profuturam esse meditationem. Nam si absit consolatio, aberit etiam voluntas in ora-

Secunda species praue intentionis est quædam sensualitas, & gustus affectatus rerum spiritualium.

Clim. gr. 18.

tione perdurandi, sicut euenit infirmis quibusdam, qui palato ex ægritudine malè affecto, & gustu ciborum amisso, adduci non possunt, vt comedant: si verò aderit optata dulcedo, inde homo ad spiritualem quandam intemperantiam incitabitur: sicut qui gastrimargiæ spiritu agitantur, nequeunt in corporali refectione debitam seruare mensuram, & moderationem, & quamdiu prauam suam intentionem non correxerint, consilium sapientis

Prou. 25. 16. in Prouerbijs non admittent: *Mel inuenisti, comede, quod sufficit tibi, ne forte satiatus euomas illud*. Tertium adhuc ex huiusmodi sensuali intentione sequitur detrimentum, vt qui ea mente accedit ad orandum, se ipsum tandem quærat, non autem Deum: & cùm oratio esse debeat ascensus quidam nostræ mentis in Deum, hoc orare, re ipsa non erit, quamtumuis orare sibi aliquis videatur. Vnum tamen est hic, quod facile ab aliquo obijciatur: gustus nimirum, & consolationes spirituales piè, & meritoriè posse appeti: à Deo quoque conuenientissimè postulari; sunt enim ex se honestissimæ, ex virtutibus progenitæ, & à Deo puris mentibus infusæ, vt inde reddantur in bonis operibus promptiores, & in toto perfectionis itinere alacriores; Quod perfecto negari non potest, sed simul est affirmandum, eas non alia intentione quærendas, & recipiendas esse, quàm à Deo concedantur, nimirum, vt amoris non proprij, sed diuini fomenta, et virtutum, ac bonorum operum condimenta, ex quibus virtutum operibus etiamsi Deus omnem dulcedinem remoueret, non propterea nos ab earum vsu, et exercitatione subtrahere deberemus. Præsertim quia loquendo de fructu meditationis in specie, nihil nobis ex illo perit ob consolationis defectum, quando aliàs in eo defectu culpa aliqua nostra non inuoluatur. Vt enim rem totam breuiter demonstremus: quatuor

Quatuor fructus orationis, qui non tolluntur, sed magis augentur desolatione.

potissimum orationis fructus enumerantur: Primus est aliquid à Deo impetrare: Secundus apud Deum promereri: Tertius pro delictis Deo satisfacere: Quartus animum spiritualiter illa exercitatione reficere. Primum, quod attinet ad impetrationem non impediri ob insurgẽtes in oratione difficultates apertè declarant sacræ scripturæ verba, & exempla: vt cùm dicitur:

Matth. 11. 13. *violenti rapiunt; quærite & inuenietis; pulsate, & aperietur*;

Luca 11. 9. & per Ieremiam: *Exaudiam, si quæsieritis in toto corde vestro.*

Ierem. 29. 13. Iudith. 4. 12. & alibi: *Exaudiet, si in oratione permanseritis*: Quasi non simus quidquam à Deo impetraturi ex ijs, quæ petimus, nisi obijciatur nobis, quod animo constanti superemus Hoc ipsum docuit nos illa mulier Cananæa, quæ sæpius à Christo Domino re-

Matth. 15. 22.

puisam

pulsam passa, & durius accepta, quàm mereri eius sancta importunitas videbatur; tandem etiam, ipsi Christo Domino propter eximiam fiduciam, & in orando perseuerantiam admirationi fuit, vt ab eo, à quo ne verbum quidem consolationis antea potuit obtinere, mereretur audire: *O mulier magna est fides tua: fiat tibi, sicut vis*. De secundo orationis fructu, qui est mereri, quis dubitet operis difficultate nihil meritum diminui, sed potius augeri, & multiplicari? *Patientia enim*, teste S. Iacobo, *opus perfectum habet*. Eâdem ratione tertius orationis fructus, qui est satisfactio, non decrescit, sed multiplicatur, & accrescit. Immo grauium theologorum est recepta sententia, si opus quantumuis honestum absque vlla prorsus pœnalitate, siue difficultate ab homine quamuis iusto exerceretur, futurum quidem apud Deum certorum graduum beatitudinis meritorium, propriè tamen nihil satisfactorium. Quia sicut meritum proprietas est operis quatenus honesti, atque immediatè in ipsa honestate fundatur, ita satisfactio proprietas est boni operis, vt pœnalis, & ex eius pœnalitate immediate desumitur. Hinc est, quod preces, & aliæ honestissimæ actiones, & passiones Sanctorum modò cùm Christo regnantium, quamuis ex ea parte, qua fuerunt honestæ, omnes gradus gloriæ, nullo dempto, iuxta merita sortiantur; quia tamen vltra honestatem ad merendum, habuerunt quoque suam pœnalitatem ad satisfaciendum, qua satisfactione multi eorum amplius non indigebant, inde thesaurum indulgẽtiarum Ecclesiæ ditauerunt, alijs Christi fidelibus in compensationem debitæ ab ipsis pœnæ temporalis, legitimis de causis auctoritate ab ipso Christo concessa dispensandum. Quartus demum orationis fructus, de quo facilius posset aliquis dubitare, quædam est animæ refectio spiritualis: hæc tamen à suauitate, præsertim sensibili non est metienda. Sicut ægrotus non propterea, quia cibus ei non sapit, illum debet respuere, quasi nihil eo nutriatur, aliter enim se habet in stomacho, quàm in palato, & sæpe, quod gustui, præsertim non sano, magis placet, affert corpori non modicum nocumentum. Quod si res in nobis, qua parte constamus ex corpore, ita se habet, idem multò magis de nostra spirituali parte sentire debemus, quæ semper quasi naturali isto morbo laborat, vt ei diuina aliter sapiant, quàm in se sint: vt, postquam etiam est sanata per gratiam nauseare super hoc cæleste manna spiritualis refectionis non desinat. Adde quod superius dicebamus, non debere nos quærere in meditatione quomodo nobis placeamus, sed Deo. Si quis autem

Iacobi 1. 4.

præter

præter Dei beneplacitum proprium quoque dixerit honestè procurari, audiat quid hac de re moneat S.Ioannes Chrysostomus. *Si omnino dignus fueris agere, quæ Deo placeant, & aliam adhuc, præter hoc ipsum, quod placere Deo meruisti, mercedem requiris: vere ignoras quantum boni sit placere Deo. Si enim scires, numquam aliquid aliud extrinsecus mercedis, ac muneris expeteres*. Præterea tanta est inter nostrum, & Dei gustum differentia; quia *sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris*, dicit Dominus per Isaiam, vt ex hoc ipso, quod nobis tantopere satisfacimus, & placemus, timendum sit, ne Deo maximè displiceamus. Neque propterea spirituales delicias gustusque rerum diuinarum improbamus, de quarum commendatione agendum est alibi ex instituto, sed tantùm hoc loco esse cauendum significamus, ne optimi finis intentione posthabita, in medijs propter insitam suauitatem consistamus. Hoc enim esset reipsa non progredi: & cum in via Dei, & in itinere perfectionis consistere non concedatur, ab eo quod quærimus hac ratione regrediemur.

Chrys.l.2.de compunct.cordis.

Isa.55.9.

Tertia species prauæ intentionis, præsũptuosæ curiositatis periculosior.

4 Tertia iam superest prauæ intentionis species exponenda duarum præcedentium periculosior, quam curiosam, siue præsumptuosam intentionem appellauimus: & est quorumdam ea mente frequentantium sacra exercitia meditandi, vt in illis experiantur mirabiles aliquos effectus ecstasum, reuelationum, & visionum: vel saltem, vt ad gradum aliquem contemplationis sublimissimum, & extraordinarium, ad quem à Deo non vocantur, ascendant. Solet autem istis accidere, quod Alchimistis, qui magnas sibi diuitias illa arte polliciti, aureos etiã montes somniant, persuasi posse non solum viliora metalla, sed etiã glebas, & terræ pulueres in argentum, & aurum à se conuerti: atque ita sua, & interdum etiam aliena patrimonia decoquentes, ad turpem mendicitatem rediguntur. Hoc autem illis euenit, quia aliud est operari calore cælesti luminis solis, atque stellarum, aliud ignis huiusce nostratis impuri, concreti, & valde materialis, aliud in naturalibus terræ venis, atque visceribus, aliud in fornaculis manu, & arte constructis. Talia verò sunt corda curiosorum, & nimis in studio contemplationis præsumẽtium, non ad hoc diuinitus destinata, & vocata, sed à se ingenio proprio fabricata, talis ardor, vnde obscura ipsorum, & permixta fumo vanitatis accenduntur desideria, nõ à Dei lumine, neque de ipsius gloria, sed de inordinato amore proprio venientia. Præter hanc verò naturæ corruptelam, alia duo sunt,

vnde

vnde talibus graue imminet periculum in rebus spiritualibus: primum est ex malignitate Dæmonis, qui prauas naturæ nostræ inclinationes callidè obseruans, ex ea potissimum parte se insinuat, & inde parat insidias, vnde sperat facilius ruinam secuturam. Manifesta autem res est eos, qui extraordinarios huiusmodi fauores ambiunt, illosque sibi audent à Deo polliceri, vel etiam talibus dignos in corde se reputant, spiritu elationis, atque superbiæ laborare. Vnde mirum videri non debet, si tam facile à Dæmone decipiantur, & in errores grauissimos, cum scandalo quoque plurimorum aliquando pertrahantur, vt varijs exemplis eorum, quæ suo tempore contigerunt narrat in secunda sua collatione per plura capita Ioannes Cassianus. Sed est aliud, vnde augetur hoc periculum, scilicet diuina permissio: *Deus enim*, vt sanctus Iacobus ait, *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*; siue, vt est in prouerbijs Salomonis: *Ipse deludet illusores, & mansuetis dabit gratiam*. Deludit autem illusores, & resistit superbis Deus, nõ aliquam impartiendo malitiam, sed suam gratiam subtrahendo, & Dæmonem insidias tendentem non impediendo, vt ab eo iusto Dei iudicio decepti, & illusi discant humiliter quærere Dei gloriam, non superbè propriam excellentiam. Habemus huius rei exemplum in nostris primis parentibus omnibus notum, & manifestum, quibus cùm Deus prohibuisset de arbore scientiæ boni, & mali degustare, Dæmon contrarium astutè persuasit: partem enim primùm aggressus est debiliorem, nempe mulierem, deinde aditum explorauit erroris insinuandi per curiosam cupiditatem scientiæ altioris, & per inordinatum amorem propriæ excellentiæ: dicens. *Scit enim Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij, scientes bonum, & malum*. Vnde hoc ipsum viro exprobans Deus: *Ecce*, inquit, *Adam factus est sicut vnus ex nobis, sciens bonum, & malum*. *Et quando nam Dæmoni crederet mulier*, ait S. Augustinus, *à bona, atque vtili re se à bono Deo fuisse prohibitos, nisi iam inesset menti amor ille propriæ potestatis, & quadam de se superba præsumptio, quæ per illam tentationem fuerat conuincenda, & humilianda*. In libris verò de Ciuitate Dei, ab hac ipsa primorum Parentum prolapsione sic infert S. Augustinus, vniuersaliter de superbis: *Audeo dicere superbis esse vtile cadere in aliquod apertum, manifestumque peccatum, vnde sibi displiceant, qui iam sibi placendo ceciderant*: idemque confirmat illo psalmi Dauidici testimonio: *Imple facies eorum ignomina, & quarent*

Caß. coll. 2. c. 5. 6. 7. 8.
Iacobi 4. 6.
Prou. 3. 34.
Gen. 3. 5.
Gen. 3. 22.
S. Aug. l. 11. de gen. ad lit. cap. 30.
Psal. 82. 17.

quærent nomen tuum Domine. Sed hæc satis de praua intentione, qua quærit homo se ipsum, non Deum: nunc de recta est agendum, qua quæritur Deus.

CAPVT VNDECIMVM.

De triplici recta intentione, procuranda in oratione.

Tres gradus, siue species rectæ intentionis circa Dei gloriam.

1 NON ideo hanc triplicem rectam intentionem hic exponimus, & tribus distortis iam superius explicatis opponimus, quasi hæ rectæ omnes in qualibet meditatione sint procurandæ, sicut omnes distortæ, & prauæ sunt euitandæ, sed quòd earum aliquam semper obtinere debeamus, saltem primam, quæ satis bona est, sed melior secunda, optima verò est tertia: ad quam si peruenerimus, longissimè ab illis tribus distortis recedemus: quarum propterea primam esse malam ostensum est, peiorem secundam, maximè verò periculosam tertiam. Ab his autem longè recedentes, illud Apostoli adimplebimus documentum: *reformamini in nouitate sensus vestri, vt probetis, quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta*. Sunt igitur veluti tres gradus huius bonæ voluntatis, & sanctæ intentionis, quos antequam explicemus, oportet præsupponere, numquam futuram rectam nostram intentionem, & voluntatem, quamdiu à Dei voluntate, & intentione deflexerit, quæ regula est omnis rectitudinis, & æquitatis. Diuinæ autem voluntatis in ijs omnibus, quæ siue se solo, siue cùm creaturis suis operatur alius vltimus finis esse non potest, nisi ipsemet sibi. Vnde dicitur à Salomone in Prouerbijs: *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* Sed est præterea supponendum nihil propter seipsum operari vnquam Deum, quasi lucrum inde aliquod sit reportaturus, vt fiat ditior; vel commodum habiturus, vt fiat beatior: cùm enim ipse sit summum bonum in infinitum intra se in omni genere perfectionis exuberans, non habet ex qua parte in se capiat incrementũ. Solũ igitur quærit Deus extra se ipsum in creaturis, & à creaturis suis laudem, honorẽ, & gloriam: quæ, sicut dicunt sapientes, nihil ponunt in honorato, sed tantum in honorante signa

Ad Rom. 12. 2.

Prou. 16. 4.

signa quædam, & testificationes eius, qui honoratur virtutis, & excellentiæ. Quamuis autem huiusmodi signa, & argumenta diuinarum perfectionum sparsa in omnibus creaturis, & in eis diuersimodè relucentia, Deo non plus conferant, quàm gloriam, & honorem, nobis tamen plurimum afferunt commodi, & vtilitatis, immo in ijs consistit nostra salus, atque perfectio, vt in nobis ex omnibus, & per omnia honorificetur Deus. Et hoc est illud frænum pretiosissimum, & maxime salutare, de quo Deus per Isaiam pollicetur, dicens: *laude mea infrænabo te, ne intereas*. Adeoque coniunctæ Dei laudes, & magna eius gloria cum nostra vtilitate, commodo, & salute inueniuntur, vt propterea dum gloriam Deo in excelsis decantat Ecclesia, de hac ipsa, tanquam de collatis nobis beneficijs indistinctè referre gratias videatur illis verbis: *gratias agimus tibi, propter magnam gloriam tuam*. Hæc itaque diuina gloria, quatenus primum est honor ipsius Dei, cultus, & veneratio illius, deinde, vt est etiã nostra salus, nostra sanctificatio, atque perfectio, finis debet esse intentus in spiritualibus exercitijs, ad quem dirigi per gratiam intentionem nostrã in oratione præparatoria postulamus, cum à Deo petimus, vt vires, atque actiones nostræ omnes sincerè ad eius gloriam, & cultum tendant. Tripliciter autem considerari potest diuina gloria, nõ illa quæ intra ipsum Deũ est increata fœlicitas, & impermutabilis beatitudo, nihil opus habẽs creaturis, sed quæ extra ipsum est eius honorificentia. Primùm sparsa per omnes etiam irrationales creaturas. Secundò magis collecta, & eminens in solis rationalibus. Tertiò specialius, & illustrius in solis iustis, sanctis, atque perfectis. Isa.48.9.

2 Est igitur prima nostræ intentionis inter orandum rectitudo, quæ fertur in Dei gloriam, & honorem latissimè in omnibus creaturis consideratum, ad quem spectandum Diuinæ Scripturæ sæpius adhortantur, Christus Dominus præscribit, & recta nobis ratio persuadet. In primis enim huius nos esse mentis inter orandum, monet Diuina Scriptura, non tantum verbis, sed etiam exemplis quàm plurimis feruentissimè orantium, & diuina contemplantium. Hinc Isaias Cælum, & terram inuitat ad laudandũ Deum. *Laudate Cæli, & exulta terra, iubilate montes laudem*. Daniel verò, cum socijs intra fornacem babilonicam nullam prætermittit in hoc officio creaturam: *Benedicite*, inquit, *omnia opera Domini Domino, laudate, & superexaltate eum in sæcula*: tum incipiens in specie à principalibus creaturis, nempe Angelis, post hos appellat cælos, & stellas, & elementa, & quæ

Primus gradus rectæ intentionis fertur in Dei gloriam latè patentẽ per omnes creaturas.

Isa.49.13.

Dan.3.57.

& quæ in elementis apparent mixta perfecta, & imperfecta, omnia quæ mouentur in aquis, & vniuersa in terris germinantia, dies, & noctes, & quatuor anni tempora, omnia ad laudandum Deum adhortatur. Hoc idem à Dauide fieri in Psalmis legimus frequentissimè: quorum vnum, cuius est initium; *Laudate Dominum de Cælis*, exponens S. Augustinus; quia in eo similiter à summo Cælo per elementa, vsque ad terram, & profundum maris, omnia ad Creatori benedicendum excitantur, sic scribit: *Omnia laudant Deum; quare laudant Deum? quia cum ista videmus, & consideramus Creatorem, qui ista fecit, de illis nascitur in nobis laus Dei; & cum ipsorum consideratione laudatur Deus, omnia laudant Deum. Cœpit ergo Dauid de Cælo, & dicit: Laudate; quare cùm laudent omnia Deum, dicit laudate? quia delectatus est in eo, quod laudent, & placuit ei quasi adiungere hortationem suam. Quo modo si venias ad homines bonum aliquod cum gaudio operantes, siue in vinea, siue in messe, siue in aliqua agricultura, placet tibi, quod faciunt, & dicis: facite, agite: non vt tunc incipiant facere, quando dicis, sed quia placet tibi; quod facientes inueneris, adiungis gratulationem, & hortationem tuam.* Eandem quoque diuinæ gloriæ in vniuersum intentionem ad orationis initium excitandam, & quasi inter prima nostra vota, & petitiones à Deo postulandam, videtur in oratione Dominica Christus Dominus præscribere nobis voluisse, vbi post eleuatam ad Deum mentem per illa verba: *Pater noster, qui es in cælis*, & inde præconcepta de altissima, & præsentissima eius maiestate profunda reuerētia, vt proximè superius dicebamus, docuit nos pro prima petitione dicere: *Sanctificetur nomen tuum:* Non quasi Deus minus sit per se sanctus, aut in se sanctior reddi possit, cùm propterea ter sanctus; hoc est infinitè sanctus ab Angelicis spiritibus apud Isaiam voce magna proclametur: *& sanctum nomen eius*, dicat in suo cantico Angelorum Regina: sed quia per *Nomen*, honor, & gloria significatur, quæ dum crescit in creaturis illius, ipse Deus dicitur magis sanctificari. Atque hoc est quod optamus, & postulamus, cùm Christo Domino edocente, ante omnia sic oramus: *sanctificetur nomen tuum: Digna prorsus*, ait Chrysostomus in hæc verba, *eo qui Deum appellauit patrem, oratio, nihil omnino prius, quàm pro illius gloria supplicare, omnia verò reliqua secundo loco habere, infraque laudes eius numerare: sanctificetur quippe est, glorificetur. Qui quidem gloriam propriam maiestatis suæ semper plenam habet, & æqualem iugiter permanentem.*

Psal. 148. 1.
S. August. in Psal. 148.
Matth. 6. 9.
Isa. 6. 2.
Luca. 1. 49.
Chrysost. hom. 20. in cap. 6. Matth.

tem. Distinctius verò alibi idem sanctus explicans quomodo sit gloria Dei in creaturis, eam in illis tripliciter asserit inueniri: in opere, in actione, & locutione: de opere affert exemplum ex eo, quod in psalmo dicitur: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum*: de actione, idest humana, libera, & honesta, non merè naturali operatione dicebat Christus Dominus in Euangelio: *sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est*: de locutione verò in exemplum affert Chrysostomus Canticum Moysis: *Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est*. Siue igitur in operibus naturæ, siue in actionibus honestis rationalis creaturæ, siue in honorifica de laudibus diuinis locutione, gloria Dei consideretur; optare, intendere, precari, vt in omnibus, & per omnia glorificetur Deus, affectus est quocumque tempore, & cuicumque conuenientissimus; maximè autem accedenti ad orandum, & cùm Deo familiariter conuersandum.

Chrys. in psal. 148.

Psal. 18. 1.

Matth. 5. 16.

Exodi 15. 1.

3 Secunda species rectæ intentionis in oratione præparatoria concipiendæ ferri debet in diuinum honorem, & gloriam, non iam in tota latitudine creaturarum, consideratam, sed contractam ad solas creaturas intellectu, & ratione præditas: in quibus etiamsi restrictior, eminentior tamen, & expressior diuina magnificentia demonstratur. Atque ad hunc secundum sinceræ intentionis, quasi altiorem gradum, videtur nos Saluator in oratione dominica direxisse, cùm pro secunda illius orationis petitione docuit postulare: *adueniat regnum tuum*. Quid enim excellentius pro paterna gloria, & honore potest expetere filius amantissimus, quàm Paterni regni solium magis in dies stabiliri, eius dominium, & principatum latius semper ampliari, atque extendi? Quamuis autem regnum Dei naturale, quo nimirum res omnes naturales, ratione, vel etiam sensu carentes, ipse moderatur, ac regit, suam habeat stabilem amplitudinem, & firmitatem: nulla est enim, nisi libertate sit prædita creatura, quæ Diuinum vlla ex parte detrectet imperium, vel quæ ad nutum ei per omnia non obediat: vnde in psalmo dicitur: *ignis grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius*: illud tamen dominium, quod exercet Deus in creaturas libertate ab ipso donatas, admittit ex parte talium creaturarum iniquè renitentium defectus, & diminutiones. Quare habet hoc Dei regnum vsque ad sæculi consummationē incrementa suscipere, & est illud regnum, de quo per similitudinem dixit

Secundus gradus rectæ intentionis fertur in Dei gloriam relucentem in creaturis intellectualibus.

Matth. 6. 9.

Psal. 148. 8.

Luca.19.13. in Euangelio Christus Dominus quibusdã falso existimantibus statim esse perficiendum: *Homo quidam nobilis abijt in regionẽ longinquam accipere sibi regnum, & reuerti.* Quod bene de Re-
L.2.qq.Euãg. q.46. demptore nostro S. Augustinus interpretatur: *Ipse enim*, inquit, *Dominus noster Iesus Christus homo ille nobilis esse intelligitur; regio longinqua, Ecclesia gentium vsque ad fines terræ: reuerti se tamen dicit; abijt enim, vt plenitudo gentium intraret: reuertetur, vt omnis Israel saluus fiat*. Habet autem hoc regnum, quamdiu sub Imperatore suo Christo sancta militabit Ecclesia, quatuor illi aduersa, & iniquo fœdere inter se coniuncta tyrannica regna, Dæmonis, Mundi, Peccati, & Mortis. De regnó Dæ-
Iob.41.25. monis legimus apud Iob: *ipse est rex super vniuersos filios superbiæ*; totoque illo capite monstri huius miræ, ac tremendæ proprietates aptis similitudinibus describũtur: nempe ira cùm dicitur: *de naribus eius procedit fumus, sicut ollæ succensæ, atque feruentis*; furor, cùm subditur: *halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur*; fortitudo: *in collo eius morabitur fortitudo, & faciem eius præcedit egestas*; crudelitas: *cor eius indurabitur tamquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus*; obstinatio: *non fugabit eum vir sagittarius, in stipulam versi sunt ei lapides fundæ*; contemptus: *quasi stipulam æstimabit malleum, & deridet vibrantem hastam*; fastus: *sub ipso erunt radij solis, & sternet sibi aurum, quasi lutum*; denique intolerabilis potentia: *non est super terram potentia, quæ comparetur ei, qui factus est, vt nullum timeret*. Quis igitur pius, & Dei per gratiam filius inter prima sua vota, & intentiones non habeat, non vehementer optet, non ardenter oret contra talem Tyrannum aduenire quamprimum Dei regnum pacatissimum, iustissimum, et ex omni parte tandem aliquando plenissimum? Sed quoniam non solum habet Rex superbiæ Lucifer in suo regno subditos administros inuisibiles, aëreas potestates, & principes tenebrarum, verùm etiam corporeos, & visibiles, qui sunt homines reprobi, atque peruersi: ideo aliud regnum priori affine, & fœderatum aliqui distinguunt; quod sæpe in scripturis sa-
S. Ioannes ep. 1.c.2.15. cris nomine Mundi significatur. Ab huius nos amicitia S. Ioannes reuocat, atque deterret, cùm in prima sua epistola posteaquam eos laudauit, qui malignum dæmonem superarunt, addit de hac secunda Tyrannide, *Nolite diligere mundum, nec ea, quæ in mundo sunt: si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo: quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ: quæ non*

est à

est à Patre, sed ex mundo est: & mundus transit, & concupiscentia eius. Sunt itaque huius nequissimi regni tres illæ infames quasi prouinciæ, tria nimirum genera malarum concupiscentiarum: regia Ciuitas Babilonia, idest summa confusio; ciues, & incolæ filij perditionis: statuta, & leges, virtuti, æquitati, Deique legibus aduersantia. Quis igitur ex Dei filijs non vehementissimè cupiat, rempublicam adeo iniquam, & perniciosam adueniente quamprimum Dei regno debellari, & prorsus deficere? Sed est adhuc tertium regnum à duobus prædictis inseparabile: regnum scilicet peccati, de quo nos cautos reddit Apostolus cùm ait: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum concupiscentijs eius.* Sub quo, tanquam serui, & vilia mancipia sunt omnes, qui peccato mortali sunt obstricti, sicut aperte in Euangelio testatur Christus Dominus: *Amen amen dico vobis, quia omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati:* fœda seruitus, & planè miserabilis, tot aggrauata Dominis, ac Tyrannis, quot vitijs: tot funibus, & compedibus, quot iniquitatibus, & peccatis adstricta: à qua tamen nos liberare suo regno Saluator noster aduenit. Sed adhuc superest quartum regnum, quod mortis appellatur, regno Dei, quod est vitæ aduersarium, & à tribus superioribus deriuatum. Quoniam, sicut ait Salomon, *inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum,* & Apostolo teste: *per peccatum mors: & in vnius delicto mors regnauit.* Hæc itaque sunt quatuor hostilia regna sensim Christi regno pro diuina gloria vsque ad sæculi consummationem abolenda, sicut mysterioso verborum circuitu Apostolus complexus est, ad Corinthios ita scribens: *Deinde finis, cùm tradiderit* Christus *regnum Deo, & Patri, cùm euacuauerit omnem Principatum, & potestatem, & virtutem, Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius.* Quare eò ferri debet hæc secunda species, siue secundus gradus rectæ intentionis, cùm aduenire Dei regnum postulamus, vt maxima Dei gloria, quæ elucere potest in creaturis rationalibus cum nostra, & communi omnium salute coniuncta, in desiderio cordis, atque animi expectatione habeatur, vt dæmones coërceantur, boni suis præmijs donentur, mali debitis supplicijs afficiantur, omnibus denique potenter, sapienter, iustè, ac misericorditer prospiciatur, & prouideatur. In qua Dei prouidentia, sine dubio, maior Dei gloria manifestatur, quàm quæ possit circa creaturas irrationales apparere.

Ad Rom. 6. 12. *Ioann. 8. 34.* *Sap. 2. 24.* *Ad Rom. 5. 12.* *1. Cor. 15. 24.*

Tertius gradus rectæ intentionis respicit Dei gloriam in sanctis, atque perfectis.

4 Tertia species rectæ intentionis, siue tertius eius gradus,

excellentior, et sublimior, fertur in Dei gloriam elucentem in iustis, sanctis, atque perfectis, ad quam excitare nos Christus Dominus videtur voluisse in tertia dominicæ orationis petitione, qua dicimus: *Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra.* Quamuis enim Deus in omnibus operibus suis valde sit commendabilis, atque laudabilis, et maximè in rationalibus creaturis: specialiter tamen, vt Propheta testatur, est mirabilis in sanctis suis: *mirabilis plane*, ait S. Bernardus; *in sanctis suis, non modo in cælestibus, sed etiam in terrenis. Vtrobique sanctos habet, & in vtrisque mirabilis est: illos quidem beatificando, istos verò sanctificando.* Sed in sanctis adhuc in hac mortali vita peregrinantibus, et militantibus, eatenus Dei gloria, & mirabilia manifestantur, quatenus gratia ipsius semper illos adiuuante, imitantur eos, qui cum Christo triumphant in cælis: ideo petimus, vt sicut in cælo ita in terra voluntas eius perficiatur. Duabus vero potissimum de causis in sanctis siue militantis Ecclesiæ, siue triumphantis, Dei maior gloria, quàm in alijs declaratur. Primùm, quia ipsi sunt opera Dei præstantiora, & omnibus alijs eius operibus excellentiora. Quare sicut ars, & sapientia alicuius insignis opificis, statuarij, vel pictoris plus commendatur in aliquo valde excellenti opere, quàm in omnibus alijs vulgaribus simul: ita multo maior gloria in Deum redundat, ex vno aliquo viro sancto, & ad magnam perfectionem cumulatis eius gratiæ donis, infusisque in eminenti gradu virtutibus adducto, quàm ex omnibus alijs naturæ operibus simul. Legimus in sacra historia Iob, astitisse quadam die Satan coram Domino, cui ipse dixit: *vnde venis?* & respondens Satan, ait: *circuiui terram, & perambulaui eam:* neque propterea quæsiuit ab illo Deus: an considerasset fundamenta terræ, & tantæ molis amplitudinem, ac pulchritudinē, vel cælos circum expansos: sed dixit ad eum: *nunquid considerasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, homo simplex, rectus, ac timens Deum?* Qua in re habuit vnde etiam cum suo aduersario, & calumniatore iniquissimo gloriaretur, & sicut Tertullianus ait, *trophæum de illo statueret, ac lætus quodam modo triumpharet. Nam quale*, inquit, *in illo viro pheretrum Deus de diabolo extruxit? quale vexillum de inimico gloriæ suæ extulit?* Quod verò de vno huiusmodi viro sancto dicimus, idem etiam de alijs sanctis, & electis Dei seruis verè affirmare possumus, ac debemus. Omnes enim nomine Israelis spiritualiter intelliguntur, de quibus ait apud Isaiam Deus: *seruus meus es tu Israel, quia in te*

Matth.6.10. *Psal.67.36.* *S. Bern. ser. 1. in Dedicatione Ecclesiæ.* *Iob.1.6.* *Tert. l. de patient. c. 14.* *Isa. c. 49.5.*

in te gloriabor: omnes sunt vasa illa misericordiæ, quæ, teste Apostolo, præparauit Deus in gloriam, nostram quidem, sed prius suam; vt ostenderet in eis diuitias gloriæ suæ. Neque id mirum, cùm enim spirituales diuitiæ, cælestesque thesauri magis superent diuitias terrenas, quàm ab auro, & gemmis, terræ puluis, & lutum superatur: horum verò supernaturalium bonorum nulla creatura capax sit, nisi intellectualis, vt ad sanctificationem est ordinata; sequitur dari non posse capaciora, & aptiora vasa diuinæ gloriæ, quàm sint creaturæ intellectuales, quatenus ad sanctitatem, & ad varios in sanctitate perfectionis gradus adiuuante diuina gratia, perducuntur. Sed est alia secunda ratio, vnde in huiusmodi gratiæ operibus diuina gloria multum excrescit, & supra modum exaltatur: nam in operibus naturæ Deus, tantùm dixit, & facta sunt, mandauit, & creata sunt: opus verò nostræ redemptionis triginta trium annorum magnis laboribus perfecit, extremis doloribus, morte denique acerbissima, & ignominiosissima consummauit. *Multum,* inquit S. Bernardus *laborauit in eo Saluator, nec in mundi fabrica tantùm fatigationis auctor assumpsit. Illa enim, dixit, & facta sunt, mandauit, & creata sunt: At verò hoc, & in dictis suis sustinuit contradictores, & in factis obseruatores, & in tormentis illusores, & in morte exprobatores.* Atque hæc est illa honorifica portio paternæ hæreditatis, quam salutis nostræ auctor electis hominibus aperto sui capitis discrimine, sicut olim dilecto suo filio Ioseph, Patriarcha Iacob acquisiuit, de qua morti proximus pro testamēto dicebat: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorræi in gladio, & arcu meo.* Ad hunc igitur tertium perfectæ intentionis gradum mens orantis, quantùm fieri potest, in ipso exordio expedit eleuetur, vt sincero cordis affectu, & quasi omnibus animæ nostræ viribus illi maiori Dei gloriæ inhiemus, quæ non tam exprimitur à rebus insensatis, & creaturis irrationalibus, in quibus Dei perfectiones, vt in vestigijs obseruantur, quam in alijs ratione, siue intellectu insignitis: neque in ijs quomodocumque Dei aliquam imaginem, & qualemcumque similitudinem per naturæ dona referentibus, sed in viuis Dei templis, & imaginibus animarum electorum, quas increata sapientia Dei filius, pretio sui sanguinis, redimere, ditare, & exornare dignum, perhonorificum, & inter omnia diuina opera diuinissimum esse existimauit.

Ad Roman. 9. 23.

S. Bern. ser. 20. in cant.

Gen. 48. 22.

CAPVT DVODECIMVM.

Praxis expeditior Præparatoriæ Orationis per quatuor actus fidei, spei, charitatis, & contritionis.

Quatuor actus fidei. spei, charitatis, contritionis, ad rectificandã intentionem in oratione pręparatoria breuiter applicãdi.

1 QVONIAM hactenus satis multa dicta sunt de oratione præparatoria, quæ tamen, vt antea fuit traditum, breuis, & veluti eiaculatoria esse deberet: ne rerum, dictarum multitudo, & prolixitas absolutam illius impediat comprehensionem; nunc expeditam omnium summam, in alia quadam forma, per quatuor actus fidei, spei, charitatis, & contritionis subijciemus. Sed primùm de singulis actibus explicandum erit in quo propriè consistant: addentur etiam aliqua motiua ad eos feruenter eliciendos: ad extremum verò formatum, & integrum huius præparatoriæ orationis paradigma proponemus.

Actus fidei in quo consistat.

2 Quod igitur attinet ad primum actum, qui est virtutis theologalis nostræ fidei, qualis hic esse debeat ex Apostoli descriptione intelligemus, *Est autem*, inquit, *fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*. Quibus verbis tria de hac virtute nos docet Apostolus: Primùm, quæ sit eius materia: deinde, quid præstare debeat fides circa illam: Tertiò, qua id faciat ratione, vel modo. Materia, circa quam fides nostra versatur, dicitur esse rerum sperandarum, quæ nimirum inter omnia propriè, verè, & maximè sunt sperandæ, & quarum amissio præ omnibus est timenda. Non sunt autem huiusmodi hæc transitoria, fluxa, & caduca, circa quæ versantur cogitationes inanes mortalium, spes fallaces, vanæ fiduciæ, & ipsa vanitas: de qua Ecclesiastes: *Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus*: quæ proinde nec digna esse consideratione, dixit Apostolus: *non contemplantibus*, inquit, *nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur: quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna sunt*. Hæc igitur illa sunt, circa quæ suos actus nostra fides maximè exercet, inuisibilia, supernaturalia, & æterna, quorum lucra supra omnia excitare debent spem nostram, quorum detri-

ad Heb. 11. 1.

Eccl. 1. 14.

2. Cor. 4. 18.

detrimenta maximè omnium ſunt formidanda. *Quid enim prodeſt homini*, dicebat veritas Chriſtus Dominus, *ſi mundum vniuerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* Secundũ, quod prædicta fidei deſcriptione docemur eſt, quid ipſa præſtet circa materiam, in qua verſatur: nimirum vt ſit ſubſtantia rerum ſperandarum, ſiue illarum hypoſtaſis, ideſt firma in eis fidelis, & benè ſperantis animæ ſubſiſtentia, & conſiſtentia. Sicut manifeſtè in ſanctis martyribus declaratum eſt, qui per fidem vera bona, ideſt cæleſtia, & æterna; & vera mala, ideſt animæ ſpiritualia detrimenta, firmiter apprehendentes, inde nullis hominum minis, nullis Tyrannorum tormentis, nullis inferni machinis dimoueri potuerunt, etiamſi viderentur omnes dæmones ad eos frangendos conſpiraſſe, adiunctis ſibi Neronibus, Domitianis, Diocletianis, & ſimilibus ad perdendas cum corporibus animas potentiſſimis inſtrumentis. Quæcumque autem potuit mundus illis polliceri commoda, dignitates, delitias, aut voluptates, tanquam vile lutum, & ſordidum cœnum conſtantiſſimè deſpexerunt. Qua verò ratione tantam diuina fides in humano corde pariat firmitatem, tertia deſcriptionis particula nobis oſtendit, qua dicitur, fides argumentum eſſe non apparentium; ſine demonſtratione videlicet, & nihilominus firmiſſimè conuincendo. Non enim humanis nititur coniecturis, rationibus, aſſeuerationibus; & ne ipſi quidem prophetarum, vel etiam totius Eccleſiæ Chriſti auctoritati, niſi vt ſibi diuinitus reuelata proponenti: ſed auctoritati nititur ſummi Dei, hæc omnia, quæ credimus dicentis, & reuelantis, cuius non decipit bonitas, cuius non fallitur ſapientia, cuius mentiri non poteſt vlla ratione veracitas. Iam verò ſi motiua nobis fidem excitantia diligenter quærere voluerimus, tam multa eſſe inueniemus, vt ad ea exponenda vix liber ſufficere bene magnus poſſe videatur. Ex his duo tantum, quæ à S. Auguſtino in ſuis confeſſionibus proponuntur, attingam: cum enim, vt ipſe de ſe refert, ad catholicam Eccleſiam diuinis inſpirationibus vocaretur, & alta fidei noſtræ myſteria ſibi ad credendum propoſita animo, & cogitatione reuolueret, ob eorum ſiue ſublimitatem, ſiue etiam difficultatem, aſſenſum adhuc intra ſe cohibebat; *Timens*, inquit, *præcipitiũ, & ſuſpendio magis necabar, volebam enim eorum, quæ non viderem ita certus fieri, vt certus eſſem, quod ſeptem, & tria decem ſint*. Tantumq. poſtea in ea re Dei gratia profecit, vt alibi teſtetur, ſe facilius dubitare potuiſſe, an viueret, quàm vtrum

Matth. 16. 26.

Vnde nobis excitetur fides.

L. 6. confeſſ. c. 4. & 5.

lib. 7. confess. cap. 10. ea, quæ articulis fidei continentur, vera essent. Subijt autem primum mentem eius illa ratio, fieri nullo modo posse, vt inter homines sine aliqua fide viueretur. Hinc esse tam multa, quæ etiamsi nunquam viderimus, ea tamen certitudine solum propter aliorum dicta tenemus, ac si nostris oculis vidissemus. Quis enim extare Romam, Constantinopolim, & alias fama notissimas Ciuitates, etiam si eas nunquam viderit, nisi demens dubitabit. Quis Cæsarem, Pompeium, Alexandrum Magnum aliquando floruisse, & varia bella gessisse, vt plures narrant historiæ, credere recusabit? Quis nam de quibus parentibus ortus sit agnoscit? & tamen certissimè credit; non nisi quia ab alijs audiendo didicit. Quàm multa præterea Magistris, quam multa medicis, quam multa amicis, & alijs hominibus sine dubitatione credimus? quod nisi fieret, hanc vitam inter homines honestè traducere non possemus. Quanto ergo magis erit necessarium Deo credere, et in multis pro animæ nostræ salute eius infallibili auctoritate doceri, atque instrui? Altera deinde ratio adiungebatur: quia fieri nullo modo potest, vt quæ in diuinis Scripturis continentur, non sint illa, quæ Deo credere tanquam ad eius infallibilem auctoritatem, et certissimam fidem pertinentia, non debeamus. Nunquam enim eius altissima prouidentia permisisset, tantam sacras litteras per tot sæcula per orbem vniuersum supra omnes alias scripturas acquisiuisse auctoritatem, tot confirmari miraculis, tot præmuniri figuris, tot prophetijs illustrari, bona ex parte iam adimpletis, alia verò ex parte propediem adimplendis, tot denique millium, et ferè innumerabilium iustorum, sapientissimorum, innocentissimorum sanguine sanciri; nisi per illas audiri, ipsi credi, et quæri, atque à nobis inueniri Deus voluisset. *Eòque mihi illa scripturæ*, inquit, S. Augustinus, *venerabilior, & sacrosancta Fide dignior apparebat auctoritas, quò & omnibus ad legendum esset in promptu, & secreti sui dignitatem in intellectu profundiore seruaret, verbis apertissimis, & humillimo genere loquendi, se cunctis præbēs, & exercens intentionem eorum, qui non sunt leues corde.* Eandemq. materiā acutè, ac doctè pertractans alibi contra incredulos, et infideles: *Quisquis vero*, inquit, *adhuc prodigia, vt credat inquirit, magnum profectò est ipse prodigium, qui mundo credente non credit.* Tum sic eos conuincit, qui facta præteritis temporibus miracula pro mundi conuersione, in dubium reuocant. *Vnde ergo temporibus eruditis, & omne, quod fieri non potest respuentibus, sine vllis miraculis, nimium, mirabiliter incre-*

lib. 6. confess. cap. 5.

lib. 22. de ciu. Dei c. 8.

incredibilia credidit mundus? An fortaſſe credibilia fuiſſe, & & ideo ſine miraculis credita eſſe dicturi ſunt? cur ergo & ipſi non credunt? Breuis eſt itaque noſtra complexio: aut incredibili rei, quæ non videbatur, alia incredibilia, quæ fiebant, & videbantur, vt ſunt miracula, fecerunt fidem: aut certè res maxime credibilis, vt nullis, quibus perſuaderetur miraculis indigeret, iſtorum nimiam redarguit infidelitatem. Denique negari non poſſe multa facta eſſe miracula, quæ atteſtarentur illi grandi,et ſalubri miraculo humanæ redẽptionis, et fieri noſtris temporibus, ipſo etiam teſte oculato, oſtendit S. Eccleſiæ doctor in confirmationem certiſſimæ noſtræ fidei. Cæterum quomodo hæc diuina fides ad actum particularem, pro inſtituto præparatoriæ orationis reuocetur, exemplo in paradigmate poſito conſtabit inferius: prius enim alij actus in vniuerſum ſunt explicãdi.

3 Secundus iam ſequitur actus virtutis theologalis ſpei: circa quem ſimiliter quid ſit, & quid ad illum feruenter eliciendum poſſit nos excitare perſtringemus. Primùm itaque hæc, de qua nunc agitur ſpes, in quo conſiſtat, ex prædicta fidei deſcriptione deducitur. Sicut enim fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, ita ſpes dici poſſet, eorum, quæ per fidem credimus à Deo eſſe promiſſa, firmiſſima noſtri cordis expectatio. Quam amplius declarat in eadem epiſtola ad Hebræos S. Paulus; dum ad fiduciam in Deo habendam fideles illis verbis adhortatur: *fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam.* Nam quemadmodum anchora profundo firmiter affixa, nauem detinet, quamuis fluctibus agitatam, ne per procelloſum mare perdatur; ita ſpes, qua diuinæ bonitati, ac miſericordiæ nitimur, præſtat animæ tentationibus vexatæ, ne amiſſa confidentia, vndis miſeriarum ſæculi ſuperuenientibus obruatur, atque mergatur. Et ſicut anchora ex parte litoris, & arenæ, cui inhæret obtinet ſuam quandam immobilitatem, ex parte tamen ipſius nauis agitationes admittit: ita ſpes noſtra pro ea parte, qua Deum reſpicit, eiuſque pollicitationes, quamuis firma ſit, atque immobilis; aliquam tamen inquietudinem pati poteſt, ex altera parte, qua noſtram reſpicit fragilitatem, ac deficientiam circa implendas conditiones: vt quod à Deo nobis ſub conditione promittitur, abſolute conſequamur. Sed eſt aliqua tamen inter hæc differentia, nam anchora quidem iacitur in profundum, ſpes verò in cælum eleuatur, vſque ad Dei ſolium, & tribunal diuinæ miſericordiæ. Atque hinc alterum quod

Actus ſpei in quo conſiſtat.

Ad Hebr. 6. 18.

lib. 7. confess. cap. 10. ea, quæ articulis fidei continentur, vera essent. Subijt autem primum mentem eius illa ratio, fieri nullo modo posse, vt inter homines sine aliqua fide viueretur. Hinc esse tam multa, quæ etiamsi nunquam viderimus, ea tamen certitudine solum propter aliorum dicta tenemus, ac si nostris oculis vidissemus. Quis enim extare Romam, Constantinopolim, & alias fama notissimas Ciuitates, etiam si eas nunquam viderit, nisi demens dubitabit. Quis Cæsarem, Pompeium, Alexandrum Magnum aliquando floruisse, & varia bella gessisse, vt plures narrant historiæ, credere recusabit? Quis nam de quibus parentibus ortus sit agnoscit? & tamen certissimè credit; non nisi quia ab alijs audiendo didicit. Quàm multa præterea Magistris, quam multa medicis, quam multa amicis, & alijs hominibus sine dubitatione credimus? quod nisi fieret, hanc vitam inter homines honestè traducere non possemus. Quanto ergo magis erit necessarium Deo credere, et in multis pro animæ nostræ salute eius infallibili auctoritate doceri, atque instrui? Altera deinde ratio adiungebatur: quia fieri nullo modo potest, vt quæ in diuinis Scripturis continentur, non sint illa, quæ Deo credere tanquam ad eius infallibilem auctoritatem, et certissimam fidem pertinentia, non debeamus. Nunquam enim eius altissima prouidentia permisisset, tantam sacras litteras per tot sæcula per orbem vniuersum supra omnes alias scripturas acquisiuisse auctoritatem, tot confirmari miraculis, tot præmuniri figuris, tot prophetijs illustrari, bona ex parte iam adimpletis, alia verò ex parte propediem adimplendis, tot denique millium, et ferè innumerabilium iustorum, sapientissimorum, innocentissimorum sanguine sanciri; nisi per illas audiri, ipsi credi, et quæri, atque à nobis inueniri Deus voluisset. *Eòque mihi illa scripturæ*, inquit,

lib. 6. confess. cap. 5. S. Augustinus, *venerabilior, & sacrosancta Fide dignior apparebat auctoritas, quò & omnibus ad legendum esset in promptu, & secreti sui dignitatem in intellectu profundiore seruaret, verbis apertissimis, & humillimo genere loquendi, se cunctis præbēs, & exercens intentionem eorum, qui non sunt leues corde.* Eandemq. materiã acutè, ac doctè pertractans alibi contra incredulos, et infideles: *Quisquis vero*, inquit, *adhuc prodigia, vt cre-*

lib. 22. de ciu. Dei c. 8. *dat inquirit, magnum profectò est ipse prodigium, qui mundo credente non credit*. Tum sic eos conuincit, qui facta præteritis temporibus miracula pro mundi conuersione, in dubium reuocant. *Vnde ergo temporibus eruditis, & omne, quod fieri non potest respuentibus, sine vllis miraculis, nimium, mirabiliter incre-*

incredibilia credidit mundus? An fortasse credibilia fuisse, & & ideo sine miraculis credita esse dicturi sunt? cur ergo & ipsi non credunt? Breuis est itaque nostra complexio: aut incredibili rei, quæ non videbatur, alia incredibilia, quæ fiebant, & videbantur, vt sunt miracula, fecerunt fidem: aut certè res maxime credibilis, vt nullis, quibus persuaderetur miraculis indigeret, istorum nimiam redarguit infidelitatem. Denique negari non posse multa facta esse miracula, quæ attestarentur illi grandi, et salubri miraculo humanæ redēptionis, et fieri nostris temporibus, ipso etiam teste oculato, ostendit S. Ecclesiæ doctor in confirmationem certissimæ nostræ fidei. Cæterum quomodo hæc diuina fides ad actum particularem, pro instituto præparatoriæ orationis reuocetur, exemplo in paradigmate posito constabit inferius: prius enim alij actus in vniuersum sunt explicādi.

3 Secundus iam sequitur actus virtutis theologalis spei: circa quem similiter quid sit, & quid ad illum feruenter eliciendum possit nos excitare perstringemus. Primùm itaque hæc, de qua nunc agitur spes, in quo consistat, ex prædicta fidei descriptione deducitur. Sicut enim fides est sperandarum substantia rerum, ita spes dici posset, eorum, quæ per fidem credimus à Deo esse promissa, firmissima nostri cordis expectatio. Quam amplius declarat in eadem epistola ad Hebræos S. Paulus; dum ad fiduciam in Deo habendam fideles illis verbis adhortatur: *fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam, ac firmam.* Nam quemadmodum anchora profundo firmiter affixa, nauem detinet, quamuis fluctibus agitatam, ne per procellosum mare perdatur; ita spes, qua diuinæ bonitati, ac misericordiæ nitimur, præstat animæ tentationibus vexatæ, ne amissa confidentia, vndis miseriarum sæculi superuenientibus obruatur, atque mergatur. Et sicut anchora ex parte litoris, & arenæ, cui inhæret obtinet suam quandam immobilitatem, ex parte tamen ipsius nauis agitationes admittit: ita spes nostra pro ea parte, qua Deum respicit, eiusque pollicitationes, quamuis firma sit, atque immobilis; aliquam tamen inquietudinem pati potest, ex altera parte, qua nostram respicit fragilitatem, ac deficientiam circa implendas conditiones: vt quod à Deo nobis sub conditione promittitur, absolute consequamur. Sed est aliqua tamen inter hæc differentia, nam anchora quidem iacitur in profundum, spes verò in cælum eleuatur, vsque ad Dei solium, & tribunal diuinæ misericordiæ. Atque hinc alterum

quod

Actus spei in quo consistat.

Ad Hebr. 6. 18.

quod circa spei virtutem proposuimus, intelligemus: nempe quàm efficacia motiua habeamus, maximè tempore orationis pro actibus huius virtutis feruenter eliciendis. Cùm enim Deus iustissimus sit, in suis dictis veracissimus, & in suis promissis fidelissimus, toties autem in scripturis sanctis polliceatur, se nemini defuturum, se non permissurum quemquam tentari supra id, quod potest, se bene laborantibus dignam mercedem, legitimè pugnantibus iustam coronam, quam etiam propterea vocat Apostolus, coronam iustitiæ, liberalissimè redditurū, quis, vt est in libro Sapientiæ, non sentiat de Domino in bonitate, & quærat illum in cordis sui simplicitate. Præsertim, quia quæcumque Dei promissio cuicumque magno æquiualet iuramento. Nihil enim aliud est iuramentum, nisi diuinæ auctoritatis in alicuius dicti testificationem interpositio; quæ diuina auctoritas, ac testificatio in qualibet eius quantumuis simplici promissione, ac dicto necesse est inueniri; forma verò ipsa expressa iuramenti propterea in diuinis promissionibus additur aliquando, vt eius, quod dicitur immobilitas clarius nobis aperiatur. Vnde finem controuersiarum, ait S. Paulus solere esse iuramentum, quod homines faciunt per maiorem sui, Deum autem maiorem, per quem iuret, non habere, ideo si quando iuret, non iurare, nisi per se metipsum: *in quo*, inquit, *abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum: vt per duas res immobiles*, idest promissionem, & expressum iuramentum, *quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem*. Secundum spei nostræ motiuum efficacissimum desumitur ex parte diuinæ misericordiæ, cuius tanta est magnitudo, vt non recusauerit benignissimus Deus, etiam sanguine pretiosissimo Vnigeniti Filij sui, morbis nostris spiritualibus conficere medicinam. Atque ob hanc causam cum humana carne, ipsum quoque sanguinem hypostatica vnione voluit assumere; vt illum totum in pretium nostræ redemptionis effunderet: cuius tamen vel minima gutta ob infinitam personæ diuinæ dignitatem ad mille mundos redimendos abundè sufficere potuisset. *Quid ergo dicemus ad hæc?* ait sanctus Paulus *Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui etiam filio suo proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Validum sanè firmandæ spei nostræ argumentum: si quod longe maius est donauit liberalissimus Deus, quomodo, quæ minora sunt non donabit? si

Vnde excitetur in nobis actus spei.

2. Ad Tim. 4. 8.

Sap. 1. 1.

Ad Hebr. 6. 17.

Ad Roman. 8. 31.

tantum

tantum obtulit pro impijs, & inimicis, quid non dabit sanctificatis, & amicis! dedit non postulantibus, non sperantibus, neque cogitantibus, in mortem vnigenitum suum, quanto ergo facilius concedet orantibus participationem vitæ, & fructus resurrectionis filii sui? *Plus enim est*, inquit sanctus Augustinus, *quod iam Deus pro te fecit, quam quod promisit. Quid fecit? mortuus est pro te: quid promisit? vt viuas cum illo: incredibilius est, quod mortuus est æternus, quam vt in æternum viuat mortalis. Iam, quod incredibilius est, tenemus, si propter hominem mortuus est Deus, non est victurus homo cum Deo? non est victurus mortalis in æternum, propter quem mortuus est, qui viuit in æternum?* Tertium, quod nos debet excitare ad spem in oratione concipienda, est oratio ipsa, quæ licet varijs virtutum affectibus, & exercitijs internis perficiatur, maximè tamen actibus spei, & confidentiæ constet necesse est; quæ propterea sæpe sub nomine fidei orantibus, in sacra Scriptura commendatur. *Si quis vestrum*, ait sanctus Iacobus, *indiget Sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei; postulet autem in fide nihil hæsitans.* Et ipse Saluator miracula à se facta, & gratias multis concessas eorum, qui postulabant fiduciæ sæpe tribuebat. *O mulier*, dixit vni, *magna est fides tua, fiat tibi, sicut vis:* & alteri: *Confide filia, fides tua te saluam fecit:* & cum aliquando infructuosam ficulneam solo verbo aridam reddidisset, Apostolis factum admirantibus, dixit: *Amen dico vobis, si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, non solum de ficulnea facietis, sed etiamsi monti huic dixeritis, tolle, & iacta te in mare, fiet: & omnia quæcumque petieritis in oratione credentes accipietis.* Sed aliquis fortasse hoc loco interrogabit, tanta ne sit virtutis spei necessitas in orando, vt si hæc absit nihil nobis ad impetrandum oratio sit profutura: & rursus, tanta ne sit huius fiduciæ vtilitas, atque præstantia, vt si adsit infallibiliter oratio, quod petit, sit impetratura. Ad hæc explicanda, primùm statuere oportet satis ex prædictis, & alijs similibus scripturæ testimonijs indicari, quamdam esse fiduciam, ab aliquibus fidem miraculorum specialiter appellatam, & inter gratias, quas vocant gratis datas enumeratam, quæ si adsit oranti, effectus quantumuis miraculosos à Deo infallibiliter ipse obtinebit. Huius verò fiduciæ perfectionem non consistere in intensione, vel certa graduum multitudine, Christus Dominus illis verbis significauit: *si habueritis fidem, sicut granum sinapis.* Erit igitur eius substantialis,

In Psal. 148.

Iacobi 1.5.

Matth. 15.28.
Matth. 9. 22.
Matth. 21.20.

1. Cor. 12.9.

Lucæ. 17.6.

lis, & quaſi ſpecifica perfectio in eo conſtituta, vt ſit motio quædam, & inſtinctus ſancti Spiritus de re abſolutè futura, ſiue per deſiderium, & expectationem voluntatis in nullo hæſitantis, ſiue etiam in intellectu, per aliquam reuelationem de re omnino, & infallibiliter ſecutura: quæ quia fallere non poſſunt, effectus in oratione poſtulatus, obtineatur neceſſe eſt. Quare ſignum exauditæ orationis à Ioanne Caſſiano inter alia ponitur, exauditionis ſine hæſitatione fiducia. Pro altera verò dubitationis parte, quia ſæpe oranti fiducia non adeſt tantæ perfectionis, vt omnem excludat dubitationem, cum diſtinctione videtur reſpondendum. Vel enim agitur de effectu aliquo miraculoſo à Deo impetrando, vel de aliqua alia gratia obtinenda. Si de miraculis agatur, probabile eſt, quod aliqui dicunt, non contingere de lege ordinaria ſine firma fiducia, vel certa fide, quã vocant miraculorum: atque inde fieri, vt cum Deus huiuſmodi miracula eſt facturus, excitet homines ad certam illorum expectationem. Id apparet in Lazari ſuſcitatione à S. Ioanne relata, in qua non ſatis fuit Chriſto Domino fidem vniuerſalis reſurrectionis à Sanctis Sororibus elicuiſſe, cùm Marthæ dixit: *reſurget frater tuus*; illa verò reſpondit: *Scio, quia reſurget in reſurrectione in nouiſſimo die*; ſed etiam voluit, vt fratris mox futuram reſurrectionem ſine dubitatione ſperarent. Quare narrat ſanctus Marcus veniſſe aliquando Chriſtum Dominum in patriam ſuam Nazareth, & admiratum fuiſſe propter eorum incredulitatem, quomodo non poſſet ibi virtutem vllam facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curare; eandemque rationem, cur ibi multa miracula non feciſſet, clarius reddidit S. Euangeliſta Matthæus dicens: *& non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum*. Sed cùm de alijs gratijs, & beneficijs ordinarijs cum Deo agimus, aliqua hæſitatio ex parte noſtri, dum ambigimus, ne propter noſtram indignitatem, vel quia fortè Deus aliter iudicat, non obtineamus, non videtur fructum impetrationis debere impedire, niſi tanta fuerit hæſitatio, vt omnem ſpem tollat, & culpam deſperationis inducat. Quare actus aliquis ſpei, & in Deum confidentiæ nunquam deberet in oratione prætermitti.

Caſſ. coll. 9. c. 32.

Indicat. s. Th. 2. 2. q. 178. a. 2. ſequitur. Abul. in cap. 17. Matth. q. 165.

Ioan. 11. 23.

Mar. 6. 5.

Matth. 13. 58.

Actus amoris Dei ſuper omnia in quo cõſiſtat.

4 Tertius maximè etiam faciens ad rem noſtram virtutis theologalis actus, eſt amoris Dei ſuper omnia; de quo ſimiliter eſt videndum in quo conſiſtat, & quid ad illum nos debeat excitare. Amor itaque Dei, de quo nunc agimus, infinitam eius reſpicit bonitatem, non quatenus in nos redundans per dona ſiue

ſiue naturæ, ſiue etiam gratiæ, vel vt eſt futura noſtra beatitudo; ſic enim noſtra erga Deum dilectio non ad amorem amicitiæ pertinet, ſed concupiſcentiæ, licet honeſtiſſimæ, ſupernaturalis, & quæ communiter procedit ex habitu ſpei virtutis theologalis; ſed fertur in Deum, vt eſt in ſe bonus, & ſummum bonum bonitate abſoluta, quamuis explicari à nobis non poſſit, niſi cùm duplici reſpectu; primùm, vt eſt principium rerum, & bonorum omnium naturalium; quod tamen nõ ſufficit, ſic enim amor circa Deum, vt auctorem naturæ ſupra naturam non attollitur; ſed debet in eum ferri, vt auctorem etiam bonorum ſupernaturalium. Et talis amor in diuinis Scripturis, & ſacris auctoribus nomine charitatis ſolet ſignificari: quæ vt ſuam obtineat perfectionem, non ſatis eſt, ſi in quadam ſimplici complacentia diuinarum perfectionum conſiſtat, quibus velimus, nolimus, carere in ſe Deus nulla ratione poteſt: ſed debet eſſe charitas efficax, & amicitiæ cuiuſdam operatiuæ, animam diſponentis ad omnia diuina præcepta adimplenda, & multa pro tali amico agenda, & ſuſtinenda. Nam hoc eſt, quod toties Apoſtolis ſuis Chriſtus Dominus repetebat: *Si diligitis me, manda-* Ioann. 14. 15.
ta mea ſeruate. Qui habet mandata mea, & ſeruat ea, ille eſt, qui 21. 23.
diligit me. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit: Vos Ioan. 15. 13.
amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis. Et vt perfectionem talis dilectionis non minus doceret exemplo, quam verbo, hoſtibus in nocte paſſionis ad eum capiendum appropinquantibus obuiam vltro proceſſit, dicens: *vt cognoſcat mundus,* Ioann. 14. 31.
quia diligo patrem, & ſicut mandatũ dedit mihi Pater, ſic facio: ſurgite eamus hinc. Debet præterea hæc amoris vis, & efficacia eſſe ſuper omnia, & pluſquam omnia, ſi non intenſiuè, quod tamen aliqui auctores non mali voluerunt, ſaltem, vt reliqui theologi communiter ſentiunt, appretiatiuè. Itaque ſi honorem, famam, dignitatem, diuitias, ſalutem, vitam denique ipſam ex vna parte; Deum verò, eiuſque amicitiam ex altera conſtituamus, & horum alterutrum compellamur amittere, priùs alia omnia, quàm Deum, Deique dilectionem, & amicitiam perdere oportebit. In quam ſententiam exponens S. Auguſtinus illa S. Aug. tract.
Chriſti verba: *Qui odit animam ſuam perdet eam,* ſic ait: *Cum* 52. in Io. c. 12.
ergo cauſæ articulus venerit, vt hæc conditio proponatur, aut faciendum eſſe contra Dei præceptum, aut ex hac vita migrandum, quorum duorum homo cogatur alterũ eligere, comminante mortem perſecutore: ibi eligat Deo dilecto emori, quàm offenſo viuere. Immo verò non hanc tantùm mortalem vitam feruentiores

Dei

Dei amatores propter eius dilectionem contempserunt, verùm etiam ab ipsa vita æterna separari, & ad sempiterna inferni supplicia deturbari, potius quàm à Christi charitate seiungi voluissent. Sic enim illa Apostoli verba S. Ioan. Chrysost. est interpretatus: *Certus sum, quia neque mors, neque vita poterit nos separare à charitate Dei: Neque enim*, inquit, *si quis mihi mortem illam perpetuam, atque nullo vnquam fine desituram minitaretur, vt à Christo separarer: neque si promitteret fore, vt vitam nullo fine terminandam producerem, ne hanc quidem conditionem admitterem:* tum infra concludit. *Quanti ergo existimandi ipsi fuerimus, cùm ille ne ea quidem, quæ in cælis sunt præ Christi amore admiretur, nobis verò, quæ in cœno, & luto sita sunt, ea Christo antiquiora sint? & ille quidem ob Christi amorem, vel in gehennam decidere libens admittit, paratusq. est, vel à cælorum regno excidere, si vtrumque hoc proponatur; nos verò ne præsentem quidem miserabilem vitam despicimus.* Sed motiua, quæ diuinam hanc dilectionem deberent in nobis excitare, quis pro dignitate exponat, vel solum breuiter percurrendo recenseat? Quot sunt mundi huius tum visibiles, tum inuisibiles creaturæ, tot deberent esse ad hunc amorem nobis excitandum fauillæ, & faces: nulla siquidem est, quæ bona non sit, vt à bono Deo facta est: *Vidit* enim *Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*. Quale igitur erit illud bonum, à quo omnia bona sunt? *Pudeat*, inquit, S. Augustinus, *cùm alia non amentur, nisi quia bona sunt, eis inhærendo, non amare bonum ipsum, vnde bona sunt*. Non enim à se habent, quod bona sint, sed ab illo summo, & interminato bono, à quo alia tanquam guttæ ab oceano, riuuli à fonte, radij à sole, & tanquam fauillæ ab immenso igne, atque incendio infinitæ charitatis emittuntur. Vt meritò in quadam homilia exclamet S. Chrysostom. etiam si supplicia, & incendia inferorum essent duplicata, & triplicata, immo decies millies grauiora, non esse quamobrem iustè conquerentur, si illis arsuri sunt, qui Dei amore non accenduntur; nec eum super omnia diligunt, à quò tam multa accipiunt beneficia, tam varia, tam magna, tanto cum amore, nos indigni, qui ab ipso amemur, ipse dignus, qui amore etiã, si fieri posset à nobis infinito diligeretur, quamuis nullum contulisset beneficium, nec præceptum dilectionis imposuisset, nec præmium, aut supplicium ob id proposuisset. *Nam si hæc*, inquit Chrysostomus, *& his similia reputauerimus, poterimus hũc, quem dico amorem incendere. Si enim, qui sic quidem amat vi-*

Chrysost. hom. 15. in ep. ad Rom. c. 8.

Gen. 1. 31.

Hom. 5. ad Rom. in digress. mor.

lis

lis quispiam, qui autem sic adamatur Rex esset: nonne ob amoris magnitudinem erubesceret? erubesceret quidem admodum, nisi fallor. Nunc verò vbi prorsus è contrario res se habet, atque eius, qui nos amat tanta tamque excellens pulchritudo, gloria, opulentia: nostra autem tenuitas, vilitasq. tam ingens; nonne infinitis supplicijs digni sumus, vtpote qui sic tenues, & abiecti à tanto, tam magno, tamque admirabili suprà omnem eum adamemur modum, alias delicias captantes, illius erga nos amori sic illudamus? huc vsque Chrysostomus. Ipsa præterea in se virtutis charitatis, & amoris diuini singularis excellentia, summa iucunditas, vtilitas inæstimabilis, dignè considerata neminem non deberet vehementer accendere, & in sui prosecutionem excitare. De singulari excellentia charitatis, sic loquitur S. Augustinus: *Nullum est isto Dei dono excellentius, solum est quod diuidit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ. Dantur & alia per Spiritum sanctum munera, sed sine charitate nihil prosunt. Nisi ergo tantum impertiatur vnicuique Spiritus sanctus, vt eum faciat Dei, & proximi amatorem, à sinistra non transfertur ad dextram.* De summa eius iucunditate hoc breuiter dici potest: Nihil aliud esse iucundari, quam rei amabilis delectatione orta ex rei amabilis dilectione frui. Vnde alius delectatur aspectu rerum venustarum, alius dulci cantu, alius sono, alius alia, cuius amore captus est, trahitur voluptate. *Si ergo ista,* inquit S. Augustinus; *quæ inter delicias, & voluptates terrenas reuelantur amantibus, trahunt, quoniam verum est, trahit sua quemque voluptas, non trahet reuelatus Christus à Patre? An verò habent corporis sensus voluptates suas, & animus deseritur à voluptatibus suis? si animus non habet voluptates suas, vnde dicitur: filij autem hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt: inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis deliciarum tuarum potabis eos: quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen? Da amantē, & sentit, quod dico, da desiderantem, da esurientem, da in ista solitudine peregrinantem, atque sitientem, & fontem æternæ patriæ suspirantem, da talem, & scit, quid dicam; si autem frigido loquor, nescit quid loquor.* Vtilitas porrò inæstimabilis huius virtutis ex S. Paulo cognosci potest, qui sine charitate planè nihil alia dona, & virtutes nobis prodesse affirmauit, non angelicam eloquentiam, non omnium mysteriorum scientiam, non fidem montes transferentem, non largissimas omnium facultatum eleemosynas, non ipsum denique martyrium:

S. Aug. l. 15. de Trin. c. 18.

Tract. 26. in Ioann.

Virg. egl. 2.

Psal. 35. 9.

1. Cor. 13. 1.

cum

cùm charitate verò nihil posse nobis obesse, nihil deesse. Quoniam charitas patiens est, benigna est, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, ac veluti omnium Regina virtutum, cæteras quasque secum ducit, atque in animam, quam sibi Regiam destinauit, inducit: nec virtutes modo, sed etiam ipsum virtutum, & bonorum omnium auctorem Deum. Nam propterea dicebat Christus Dominus: *qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Nemo itaque à Deo se amari diffidat*, ait S. Bernardus, *qui eum iam amat: libenter Dei amorem nostrum, quem præuenit, subsequitur. Nam quomodo redamare pigebit, quos amauit etiam nondum amantes?* & addit in quodam sermone super Cãtica, hoc affectu sanctam animam Dei Verbo maritari, castiq. connubij non solum esse contractum, sed etiam complexum. Vnde theologorum est probata doctrina, hominem etiam in peccato mortifero existentem, vel vnico actu perfectæ dilectionis Dei super omnia posse à peccato iustificari, de quo propter obliuionem, aut ignorantiam non posset aliter pœnitere; nam si poterit recordari dolor de culpa erit necessarius, atque contritio, de qua superest aliquid hoc loco pro instituto nostro dicamus.

Ioann. 14. 23. *S. Bern. ep. 107* *In Cant. ser. 83.* *S. Thom. 3. p. q. 87. art. 1. Sot. in 4. d. 15. q. 1. art. 2. & alij.*

Actus contritionis in quo consistat.

5 Quartus igitur actus debet adiungi contritionis, qui præsuppositis actibus fidei, spei, & dilectionis Dei super omnia, in peccati absoluta detestatione consistit super omnia detestabilia. Itaque actus huiusmodi contritionis etiamsi quoad suam essentiam vnica piæ voluntatis operatione perfici posse videatur, semper tamen alios mentis actus, piosque affectus sibi præuios, aut comites requirit. Atque in primis actum aliquem fidei; *quia fides est*, vt ait sacra synodus Tridentina, *humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium peruenire.* Est autem huius tantæ necessitatis fidei pro actu contritionis etiam illa ratio, quia nunquam mouetur affectus nostræ voluntatis, quæ ferri non potest in incognitum, nisi congrua præcedat cognitio illustrans obiectum in intellectu. Cùm igitur actus perfectæ contritionis sit affectus quidam supernaturalis à Spiritu sancto in nostra voluntate excitatus; necessariò hunc actum aliqua cognitio supernaturalis, quæ lumen est fidei, in intellectu debuit præcessisse. Actus verò spei propterea requiritur, quia sicut rectè nos docuit in primo libro de Pœnitentia S. Ambrosius; *Nemo dignam potest agere pœnitentiam, nisi qui*

Trid. sess. 6. cap. 8.

Dei

Dei sperauerit indulgentiam. In cuius rei confirmationẽ eadem Tridentina synodus declarauit, perfectam contritionem cum sacramento confessionis in voto, imperfectam verò, quam attritionem vocant, cum eòdem sacramento in re tunc demum parare nobis viam, & disponere ad iustificationem, cùm habent adiunctam spem veniæ, & fiduciam diuinæ misericordiæ. De actu verò formalis dilectionis Dei super omnia, vtrum ad perfectam contritionem requiratur, aliqui theologorum dubitarunt, vel etiam negarunt, existimantes satis fore dolorem, & peccati detestationem super omnia detestabilia. Sed attente rem consideranti sicut in praxi securius, ita in speculatione probabilius, & verius apparebit, omnino oportere detestationi culpæ, illique mentali peccati fugæ, actum prosecutionis, & formalis Dei dilectionis adiungi: vt sit perfecta, omnibusque numeris absoluta contritio, & ad Deum inueniendum, eiusque gratiam statim recuperandam plena conuersio. Atque hoc est, quod aliquando Moyses populo Israelis in Dei nomine asseuerabat. *Cùm quæsieris Dominum Deum tuum, inuenies eum; si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ*. Non igitur ad amissam Dei gratiam ante sacramenti pœnitentiæ susceptionem inueniendam, sola culpæ sufficit detestatio, & dolor de commisso peccato, per animæ tribulationẽ à Moyse significatus; sed etiã est addenda formalis Dei dilectio super omnia, qua Deus toto corde quæritur, vt actu perfectæ prosecutionis inueniatur, iuxta primum, & maximum in lege mandatum: *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*. Et sanè cùm conuersio Dei ad peccatorem eius amicitiæ per gratiam restituendum, fit per actum formalis dilectionis Dei, cuius terminus est gratia ipsius nos sanctificans infusa per modum habitus animæ iustificatæ, cur nostra quoque ad ipsum plena conuersio, & ad iustificationem vltima dispositio, per actum similiter nostræ erga ipsum dilectionis compleri non oportebit? Præsertim quia nullus noster actus, quantumuis honestus, & supernaturalis, æquare vnquam poterit in bonitate, vnius mortiferæ culpæ malignitatem, qua vilissima creatura suo se quodammodo præferre voluit creatori. Saltem igitur, præter culpæ detestationem, hunc actum ex genere suo honestissimum supra omnes alios virtutum actus, Dei super omnia dilectionis, pro vltima ad recuperandam eius gratiam dispositione, auxilio eiusdem gratiæ excitati, & adiuti, nequaquam prætermittemus. Atque ita quod Tridentinum Concilium docuit: contritionem, vt remittat peccatum ante sa-

S. Ambr. l. 1. de pœnit. c. 3. Trid. sess. 14. cap. 4.

Deutor. 4. 29.

Trid. sess. 14. cap. 4.

cramenti susceptionem, charitate debere esse perfectam, non de habitu sequente remissionem peccati, sicut aliqui exponunt, sed de actu ad eam remissionem proximè disponente dictum multò verosimilius accipiemus. Huic Dei super omnia dilectioni dolor, displicentia, seu detestatio de lethali culpa commissa super omnia, sicut dicebamus, detestabilia, meritò est adiungenda. Est enim quæcumque huiusmodi culpa grauissima iniuria Dei summè amabilis, & dignissimi qui à nobis (si fieri posset) infinito honore, & reuerentia coleretur, atque obserueretur: est amissio summi boni, cui comparata omnia alia creata bona, omnes mundi fauores, & honores, omnes diuitiæ, ac deliciæ longè minoris æstimationis, etiam si omnes simul sumantur, esse inueniuntur: est pernicies, & malum, cui collata omnia mundi mala, infortunia, pœnæ, atque tormenta multò esse minora à iusto quouis iudice iudicabuntur. Quamuis autem hæc peccati perfecta displicentia efficax respectu præteriti esse non possit, quasi peccatum aliquando commissum possit facere nunquam fuisse commissum; tamen respectu futuri suam potest, & debet habere efficaciam, & nostrum animum ita disponere, vt neque amore vllius boni, neque formidine vllius mali, separari amplius à charitate Christi per mortale peccatum firma voluntate statuamus: cum serio proposito adimplendi quæcumque ad Dei gratiam recuperandam, & conseruandam, necessaria esse intelligemus. Iam verò quæ nos debent multum excitare ad hos actus pro oratione præparatoria eliciendos, duo potissimum sunt: primum eorum maxima vtilitas, & præsentissima efficacia: tanta siquidem est vnius actus perfectæ contritionis virtus, vt hominem gratia Dei ob quodcumque peccatum destitutum, statim possit Deo reconciliare, & in pristinam amicitiam restituere. Vnde etiam si orans tanquam prodigus filius dissipata gratiæ substantia nudus, & famelicus inueniretur, in huiusmodi ad orationem, tanquam ad paternam domum, per viam contritionis accessu, Cælestis Parentis occursus, atque amplexus sit obtenturus, & primam sanctitatis stolam, virtutes infusas, & dona sancti Spiritus per peccatum amissa recuperaturus. Atque hinc aliud commodum consequetur, vt quod maximè oranti necessarium est, animus à vanis timoribus, conscientiæ scrupulis, & anxietatibus liber quiescat: possitq. cum Propheta ex corde psallere: *Dominns illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo? Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Et*

Psal. 26. 1.

vnam

vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini, vt videam voluptatem Domini, & visitem templum eius. Sed iam, quod postremo loco superest faciendum, aliquod huius præparatoriç orationis exemplar, aut paradigma proponamus, per quatuor fidei, spei, charitatis, & cōtritionis actus iam explicatos. Illud prius animaduertendo, huiusmodi orationis efficaciā, non tam in verborum subiectorum qualicumque pronunciatione consistere, quàm in affectibus, qui verbis indicantur interius magno cordis sensu exprimendis. Posset itaque forma huius orationis hæc esse.

6 Domine Deus omnipotēs, veritas prima, veritas summa, veritas infallibilis, sapientia incomprehensibilis, bonitas inenarrabilis, potentia incomparabilis, prouidentia imperscrutabilis; valde magna, & admirabilia sunt opera tua Domine Deus virtutum; præsertim quæ de mysterijs gratiæ reuelare dignatus es Ecclesiæ sanctæ Sponsæ tuæ, Matri nostræ, & per illā etiam mihi minimo filio ipsius, indignissimo seruo tuo. Credo illa omnia firmo corde, sincero animo, pura mente; paratus etiam pro illis, si opus esset, adiuuante gratia tua, mori; testimonia enim tua credibilia facta sunt nimis. Et ex hac fide, quæ rerū sperandarū est subsistētia, in viuam assurgo spem, firmamq concipio fiduciā, propter immensa filij tui Iesu Christi Redemptoris nostri merita, te fore propitium inter electos, etiam mihi. Vitam æternam, quā pretiosissimo sanguine Vnigeniti Filij tui nobis comparasti, & toties bene operantibus promisisti, te pro me quòque, licet indigno, habere paratam; omniaq. auxilia gratiæ, subsidia mentis, & corporis, præsidia interna, & externa ad eam beatitudinem, pro qua me creasti, consequandam necessaria, misericorditer concessurū. Vnde propterea te bonorum omnium fontem, ex toto corde meo diligo: sed multo magis inde te amo, quia es, qui es; supra omnia amande, ante omnia colende, ab omnibus adorāde. Adorent te Angeli, Archangeli, Virtutes Cælorum: colant te Potestates, Principatus, & Dominationes: ament, ac reuereātur Throni, Cherubin, atque Seraphin: & ego te cum illis, atque vtinam sicut illi. Saltem ob illorum tam excellentem, quam amo erga te dilectionem, ob ardentissimum Reginæ Angelorum, aliorumq. Sanctorum in te amorem; ob eminentissimam animç Redēptoris mei charitatem, precor Domine adauge tuam in me fidem, confirma spem, accēde charitatem; propter quàm mori millies maluissem, quam te, vel semel, præsertim vlla culpa lethali, grauiter offendisse. Quare statuo ex hac hora vitam velle potius, quam

Forma orationis præparatoriæ per quatuor actus fidei, spei, charitatis, & cōtritionis, addita rectitudine intentionis expressa.

Actus fidei.

Actus spei.

Actus charitatis.

Actus contritionis.

 amplius

Actus contritionis. Recta intentio ad Deum, & in Deum.

amplius te offendēdo gratiam tuā perdere Domine Deus meus, Arbiter conſcientiæ meæ;coram te cor meum,oratio,cogitatio, & omnis actio,atque operatio mea,quæ (cupio, & peto) ad tuā ſemper maiorem gloriam, & cultum ſinceriſſimè tēdat. Amen.

CAPVT TERTIVMDECIMVM.

De primo præludio, quod eſt hiſtoriam meditandam breuiter recenſere.

1 EXPLETA oratione præparatoria, ad primum præludium deuenitur,circa quod quatuor offerunt ſe nobis potiſſimum explicanda Primū in genere, quid hoc nomine præludij circa orandi, & meditandi exercitium intelligere debeamus. Secundò in ſpecie de hoc primo præludio, quid illud ſit, quáue ratione exerceatur. Tertiò cur alijs omnibus præludijs præmittatur. Quartò an expediat, vt meditationi cuilibet, ſine exceptione, adhibeatur. Atque vt ab ipſo præludij nomine incipiamus:credere poſſumus ab Auctore libri ſpiritualium exercitiorum primum in hac materia hoc nomen vſurpatum, neque enim apud alium,niſi fortè ab ipſo mutuatum facilè inuenietur, ad rem de qua agimus ſignificandam. Hic enim ſicut methodum,& rationes harum ſpiritualium exercitationum diſtinctius expoſuit, ita etiam ſuis vnamquamque rem proprijs nominibus inſigniuit. Erit autem aliquis fortaſſe, qui admiretur, vbi de re agitur tam ſeria, ſicut eſt oratio, & cū ſummo Deo conuerſatio, luſionis, aut præluſionis fieri mentionem. Sed ſi bene attendamus, hoc ipſum, quam ſeria res ſit, & quanti facienda meditatio nobis declarabit: illi ſiquidem comparatæ tot diſpoſitiones, tot animi præparationes, quot partim vidimus,partim in ſequētibus oſtendemus, nōniſi præludia quædam ad bene meditandi, & contemplandi propriā actionem eſſe exiſtimantur. Poſſumus autem hoc exemplis quibuſdam melius declarare, vt cantus, harmoniæ muſicorum inſtrumentorum, & bellicæ exercitationis.Niſi enim cātores diſtributis in cātu partibus aliquantulum antea præcinendo experiātur, quam omnes voces inter ſe apte conueniāt, vix aliquid poſtea eximiū in muſica poterit expectari. Idē & eàdem ratione vſu venit in harmonia

Quid nomine preludij ſit intelligendum.

nia musicorum instrumentorum; quæ non solum simul omnia, verum etiam per se singula, quàm benè respondeant, pertentanda sunt, vt præludendo, sicubi discordant, ad sonoram concordiam redigantur. Idem maiori ratione contingit in arte bellica, dum pugnaturi milites prius in vmbra, citra sanguinem, & sine vulneribus, inter se imaginarijs quibusdam conflictibus exerceri solent, & sicut ille ait, belli simulachra ciere, seriò postea vsque ad sanguinem cum hostibus decertaturi. Sic itaque nos cùm ad orandum, & agendum cum Deo accedentes aduersarios nostros Dæmones ad spiritualem pugnam modo quodam alibi explicato prouocemus; mirum videri non debet, si tam seriæ exercitationi accommodata quædã præludia, pro successu meliori antea præmittantur. Quia verò tripliciter in hac parte nos Dæmones aggrediuntur, facultate, quam naturaliter obtinent, Deo permittente, in corpora, & in partem nostrã non spiritualem; triplicemque de vicino solent meditantibus inferre molestiam: vel impediendo expeditum vsum memoriæ sensitiuæ, vel phantasiam perturbando, vel tædium affectus aliqua ex parte procurando: ideo quasi pro antidoto, & remedijs, præseruatiuis, tria hæc nostra præludia sunt præmittenda. Horum primum ad expeditiorem memoriæ vsum, secũdum ad phantasiam per loci compositionem adiuuandam, tertium ad obtinendos per petitionem à Deo varios bonos affectus, vnicuique meditationi conuenientes adhibentur. Nunc igitur de hoc primo ad firmandam in meditatione memoriam præludio in particulari; de alijs verò præludijs duobus, in sequentibus duobus capitibus agendum est.

2 Quid autem primum hoc præludium sit, & qua ratione debeat exerceri, Auctor libelli spiritualium exercitiorum paucis verbis ita definiuit. *Primum præludium est proferre in medium contemplandæ rei historiam.* Quomodo autem in medium historia contemplanda proferatur, explicans in sequentibus, ait tunc fieri, cùm historia meditanda per suas partes, & certa puncta recensetur. Vnde colligimus tres oportere esse primæ huius prælusionis conditiones: nimirum, vt sit ordinata rerum meditandarum in memoriam reuocatio, sit expedita, sit breuis, siue compendiosa. Sit in primis ordinata: ordo enim, & congrua rerum series, cùm vna trahitur conuenienter ex alia, magnum est nostræ memoriæ adiumentum; propterea dixit in libro de memoria Aristoteles: memoriam esse rerum sub ordine positionem. Deinde esse debet expedita, vt non solum tota sacræ historiæ

Quid sit hoc primum præludium.

Lib. exercit. in contempl. de Incarnat. & in cõtempl. de Natiuit.

Arist. l. de mem. & remin. cap. 3.

Massut. de cælesti conuersat. L 3 summa

summa per suas partes, & puncta sine hæsitatione teneatur, verum etiam quantum fieri poterit ipsa quoque sacra verba mente retineantur, & in promptu habeantur; nam & inde multum ali poterit meditatio, vt suo loco inferius ostendemus. Debet denique esse breuis, & compendiosa, neque enim propriè ipsa est meditatio, sed ad meditationem dispositio, atque prælusio. Nam vt ad similitudinem musicorum instrumentorum superius allatam redeamus, qui cithara, lyra, vel Psalterio fidibus instructo multiplicibus, edunt harmonicos sonos, primùm omnes chordas vno quasi tractu promiscue experiuntur, quam aptè sibi inuicem consentiant: nè si qua remissior, aut fortè intensior inueniatur, pereat symphonia, & tota suauitas expectati concentus intercidat.

Cur hoc præludium ante alia prẹmittatur.

3 Atque hinc tertium, quod proposuimus, facile ostendi potest, cur hoc præludium ante alia sit præmittendum: nempe, quia nihil est aliud coram Deo meditando, & orando cor effundere, quàm veluti Psalterium, lyram, aut citharam mystica quadam ratione, & arte contingere, vnde ad aures vsque diuinas spiritualis harmonia resultet. Et propterea dicitur in Apocalypsi de viginti quatuor senioribus ante thronũ Dei, & Agni constitutis, visos eos à S. Ioanne in genua procumbere, tenentes citharas, & phyalas aureas, *quæ sunt*, vt ibi dicitur; *orationes sanctorum*. Est autem inter huiusmodi tria musica instrumenta tale discrimen, sicut sancti Basilius, & Augustinus scribentes in Psalmos cõmentaria docuerunt, quia Psalterium à parte superiori tangitur, cithara verò, & lyra à parte inferiori: & lyra quidẽ in ea parte deorsum non digitis modo, sed etiã arcu pulsatur. Quibus tres meditationum nostrarũ differentiæ significãtur: prima est altior de rebus diuinis, & sublimioribus contemplatio: secunda de rebus magis sensibilibus, vt ad Christi Domini humanitatẽ, & mysteria vitæ, mortis, ac passionis ipsius pertinentibus, veluti demissior meditatio: tertia internorum nostrorum sensuum, circa hæc magis sensibilia mysteria consideranda, & pluribus animæ facultatibus, quasi propius attingenda intenta applicatio, quam postea suo loco pluribus explicabimus. Neque verò cælestis hæc orantium, & meditantium harmonia tantummodo coram Deo exhibetur, eiusq. solum diuinas aures circumsonat, quod vnum sanè ad quamuis cordis præparatiónem, & animi intentionem excitare nos maximè deberet, verum etiam simul exercetur cum musicis excellentissimis, & nostris, sic enim appellare licet, præcẽtoribus Angelicis spiritibus. Nam

Apocal. 5. 8.

ad id

ad id verba illa Psalmi mellifluus Ecclesiæ doctor sanctus Bernardus interpretatur: *Præuenerunt principes coniuncti psallentibus, in medio iuuencularum tympanistriarum,* idest Angelici spiritus, animabus pijs inter orandum permixti. Vnde etiam in alio Psalmo dicitur: *In conspectu Angelorum psallam tibi. Proinde doleo,* inquit, S. Bernardus, *aliquos vestrum graui in sacris vigilijs deprimi somno, nec cæli Ciues reuereri, sed in præsentia talium Principium tanquam mortuos apparere, cum vestra ipsi alacritate permoti, vestris interesse solemnijs delectentur. Vereor ne vestram desidiam quandoque abominantes cum indignatione recedant, & incipiat vnusquisque vestrum serò cum gemitu dicere: longè fecisti notos meos à me: posuerunt me abominationem sibi.* Sed erit non nemo fortasse, qui nos hoc loco interroget, ac dicat: ad quid vnius memoriæ tot præparationes, & excitamenta? siquidem materiam circa quam versari debet meditatio, præsupponimus antecedenti die fuisse animo destinatã, vesperi bene recognitam, & memoriæ commendatam: itaque videri hoc primum præludium ad historiam iterum pro initio meditationis recensendam omnino superuacaneum. Ad quæ respondeo iuxta veram Aristotelis in libro de memoria, & reminiscentia doctrinam, aliud esse memoriam habere, aliud memorari, & aliud reminisci. Nam habere memoriam, nihil est aliud, nisi ipsa potentia memoratiua speciebus, & imaginibus variarum rerum memorabilium instructa, easq. bene conseruante esse præditum: memorari autem, seu recordari est, eandẽ potentiam, adiumento dictarum specierum circa ea, quæ visa, audita, vel lecta prius fuerunt ad actũ proprium reuocare: at verò reminisci est, ex memoratis alia quæ latebant eruere, & per syllogisticam rationem adiuuante etiam intellectu deducere, vnde quoad hoc tertium, memoria in brutis, eodem philosopho teste, minimè reperitur. Ex his itaque tribus, prima illa memoriæ acceptio, & informatio suum habet tempus vespertinum, diei meditationem antecedentis, cùm materia sequenti die meditanda seligitur, & ordinatè per sua puncta disponitur: secundum in præsenti, de quo nunc agimus præludio recolendæ breuiter sacræ historiæ destinato, fieri debet: tertium in reliquo meditationis decursu proprium suum habet locum.

Bern. ser 7. in cant. Psal. 67. 26.
Psal. 137. 2.
Psal. 87. 9.
Arist. lib. de mem. & remi. c. 3. & 4.
Arist. l. de mem. c. 4.

4 Quartum iam superest, quod initio proposuimus explicandum: an cuicumque meditationi primum hoc præludium sit præmittendum. Qua in re Auctoris libelli spiritualium exercitiorum in primis stabo sententiæ. Is enim cùm huiusmodi exer-

An cuicumque meditationi conueniat hoc præludium.

citationum mentalium pias materias meditandas, in quatuor classes, quas hebdomadas appellauit, disposuisset, primæ hebdomadæ primum hoc præludium, nempè historiæ recensendæ, non apposuit, sed tantum duo sequentia præludia, vnum compositionis loci, aliud petitionis: bene tamen omnia tria præscripsit singulis tribus hebdomadis subsequentibus. Id, vt arbitror, ea ratione, factum est, quia in prima hebdomada nulla occurrit, ex sacro textu scripturarum certa historia meditanda: sed tantum fundamentum bonæ vitæ, & christianæ perfectionis, finis vltimus, ad quem creati sumus, peccata, quæ nos ab hoc vltimo fine nostro auerterunt, nouissima, nēpe mors, iudicium, infernus, & æterna beatitudo: ex quorum attenta consideratione à peccato auertimur, & ad Deū firma voluntate numquā amplius eum offendendi conuertimur. At in alijs tribus sequentibus hebdomadibus, quia de vitæ, mortis, & resurrectionis dominicæ sacris mysterijs, iuxta euangelicam historiam meditationes instituuntur, omnibus hoc præludium, ante alia duo proponi solet. Cuius rei alia quoque occurrit ratio: quia sacra Euangeliorum historia ita meditanda est, vt non solum ex rebus, quæ narrantur, spiritualis fructus eliciatur, sed ex sententijs quoque singulis, & verbis, immo etiam apicibus quantum fieri potest, dicente ipso Christo Domino: *Iota vnum, aut vnus apex non præterebit à lege: & cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*. Quare expedit, vt tota sacra historia meditanda quoad fieri poterit, etiam cum verbis ipsis, in thesauro memoriæ asseruata primùm, & recondita, postea hoc præludio quasi reserata, & exposita in promptu ad initium meditationis habeatur. Sed & illa vniuersalis ratio addi potest, quia tum natura, tum etiam gratia reformans, & perficiens naturam, ab imperfectioribus solet incipere, & quò forma inducenda præstantior est, eò plures, præstantioresque requirit dispositiones, quod ex diuersa organizatione corporis brutorum, atque hominum potest agnosci. Cùm igitur meditāda post primam hebdomadam digniora sint, & contemplationem exigant altiorem, mirum non est si animus ad illa pluribus dispositionibus debeat præparari. Vnde intra ipsam quoque primam hebdomadam, quia fundamentum traditur primo loco, sicut in corporalibus ædificijs rude, & impolitum, solidum tamen, & valde profundū; ideo sine vllis apparet dispositionibus, vel præludijs, nec meditatio, aut contemplatio nominatur, sed fundamentum tantum exercitiorum inscribitur.

Matth. 5. 18.
Matth. 24 35

CA-

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

De secundo Prælludio, quod loci compositio appellatur.

1 HVIVS quoque præludij forma, & appellatio videtur eiusdem Auctoris libelli sacrorum exercitiorum adinuentio fuisse. Is enim, vt norunt, qui historiam sanctissimæ vitæ ipsius aliquando legerunt, cùm ad mysteria fidei nostræ, & præcipuè redemptionis humanæ melius contemplanda Hierosolymā vsque duce Deo se contulisset: ibi sacra illa loca, vbi natus Saluator mundi, vbi passus, quā crucem gestauit ad montem caluarium, quis situs illius montis, & Oliueti, vnde in cælum ascendit, quæ forma, & substructio sancti sepulchi, omnia diligentissimè inspexit, & obseruauit. Atque inde sine dubio consecutus est, vt quoties in posterum etiamsi absens, sacra illa mysteria meditanda oculis mentis subiecisset; quia corporeis oculis, & visui externo, ea sibi loca obijciere non poterat, interno saltem imaginationis sensu viuacissimè apprehenderet. Ex huiusmodi verò in eo sensu firmata compositione locorum, meditationem mirificè adiuuari in se ipso expertus, alios docuit idem illis prò meliori successu meditationis esse faciendum. Eius nos breuissima documenta, vt fusius exponamus, quatuor declarabimus. Primum cur fieri debeat hæc loci compositio, nempè quæ illius sit siue vtilitas, siue etiam necessitas. Secundò qua nam ratione fieri debeat. Tertiò, quid ad eam præcipuæ conferat. Quartò, quid cauere circa illam oportebit. Compositio loci pro meditatione vnde adinuenta sit.

2 In primis itaque cur hoc præludium, quod loci compositio dicitur meditationi præmittatur, non est vna ratio, sed triplex, siue enim imaginationis nostræ naturam spectemus, siue modum humanæ mentis in intelligendo cooperante phantasmate, siue appetitus tum rationalis, tum sensitiui motus, vtilem, atque etiam quodammodo necessariam præuiam hanc imaginationis dispositionem ad quietius meditādum esse inueniemus. Nam quod attinet ad vim, & facultatem nostram imaginatiuā, ipsa in nobis inquietissima potentia est supra aliam quamcum- Cur fiat compositio loci.

que,

que, siue internam, siue etiam externam : vt cani similis videatur, qui à catena tunc primùm solutus, supra, infra, ab atrio ad aulam, per cubicula, & omnes officinas domus velox, & quietis impatiens diuagatur. Cùm enim ante originale peccatum nostra hæc imaginandi virtus veluti catena, & fræno iustitiæ, ac sanctitatis in officio contineretur, eo per peccatum in Adam, & filios Adæ fræno disrupto, sic agitari præter libertatem cœpit, vt inde magis interdùm, quàm externo visu, vel auditu, interna mentis nostræ negotiatio perturbetur. Etenim visus vbi nihil lucet, & auditus vbi nihil sonat exterius planè nihil operantur : at imaginatio nihil minus ; quin etiam sæpe magis viget in tenebris, in silentio, in somno, & quiete. Nam vbi nulla aliunde obuersantur obiecta, ea miris, ac varijs modis sibi confingit, atque intellectui importunè proponit. Et quidem oculus obiecta sibi proposita superinductis palpebris poterit non videre : at ijs, quæ imaginamur, sicut quæ apertis oculis ante nos intuemur vix possumus non attendere. Quare firmanda est nostra vaga imaginatio hac loci compositione, & ad constitutam partem alligatione, vt velut canis in aliqua certa domus parte ligatus detineatur, aut quasi proiecto ad rodendum osse in suo angulo occupetur. Secundò est etiam loci compositio facienda propter intellectum, qui quantum ex se, si Aristoteli credimus, veluti in tenebris, in hac vita versatur, vt propterea ipse aciem nostræ mentis ad ea, quæ natura sua sunt manifestiora oculis vespertilionum assimilauerit. Vnde fit, vt nihil nisi phantasmate, quasi face præeunte operetur, & propterea phantasma, & phantasia secundum eumdem philosophum, ab illustratione dicta est. Quare sicut qui incedit prælata face per tenebras, & vnam potius, quàm aliam viæ, aut habitationis partem illuminatam ante se intuetur, de ijs potissimum cogitabit, quæ in ea parte geruntur, non verò in alia, quæ tenebris est obducta : sic intellectus noster ea potissimum speculabitur, quæ præuio phantasmate, imaginationis lumine fuerint illustrata. Experientia quoque quotidiana satis docere vnumquemque potest, dum se esse in templo aliquis imaginatur, facile, & quasi sua spontè subire animum cogitationes de sacris ceremonijs, de Diuinis officijs, Missa, vel concione : imaginanti autem se esse in foro succedunt cogitationes de nundinis, mercimonijs, & huiusmodi forensibus negotijs. Tertiò valet non parum hæc loci compositio ad varios voluntatis motus, & affectus animi congruos adducendos, dum res magis practicè, & viuacius cum pluribus circum-

Arist. l. 2. metaph. tex. 1.

Arist. l. 2. de an. tex. 162.

cumstantijs apprehenditur. Atque hæc etiam est ratio cur ab excellenti pictura humani affectus non parum soleant permoueri: cum tamen nihil adeò bene suis coloribus depingatur, & suo proprio loco affingatur, sicut per imaginationem. Neque huic dissimilem reddit Angelicus Doctor rationem, cur exempla non solum visa, sed etiam audita magis moueant, & facilius memoria teneantur, quam alia documenta. Quia nimirum efficiunt, vt quod narratur, pluribus circumstantijs innotescat, & conditionibus sensibilioribus alligetur. Occurrit autem hoc loco de quorumdam prældijs hæc dubitatio: quidam enim de aliqua virtute, vel sacra historia meditaturi, pro huiusmodi præludio aliam æquiualentem sibi proponunt breuiter recolendam, vt meditaturi de religiosa paupertate, proponunt sibi vno intuitu Christum Dominum in præsepio: vel de patientia, eundem subito imaginantur Crucem gestantem, aut de Cruce pendentem. Quæ quidem in meditationis decursu poterunt esse peropportuna, sed agendo de præuijs dispositionibus iuxta doctrinam libri exercitiorum de præludijs, re vera nec ad primum recensendi breuiter historiam meditandam pertinet, nec ad secundum, quod modo explicamus compositionis loci, multò minus ad tertium præludium, quod petitione continetur, vt sequenti capite declarabitur. Quare perinde hi videntur facere, atque si quis vsurus proprio musico instrumento, antea præludat aliquantulum in cithara aliena, sic enim manum quidem exercet propriam, sed in organo, siue in materia aliena.

S. Thom. 1. p. q. 84. art. 7.

3 Visa huius præludij vtilitate, sequitur secundo loco exponamus, qua ratione commodius exerceatur. Contingit autē, iuxta duplicem materiam in genere loquendo meditationi conuenientem, exerceri posse dupliciter; vel enim de re corporea, & subiecta sensibus meditatio instituitur. Vel de incorporea, & spirituali: si de corporea, vt de Christi Redemptoris nostri, aliorumque sanctorum gestis, & sensibilibus operationibus meditandum sit, effigendus erit per imaginationem locus illis actionibus accommodatus, vbi nimirum constat exercitas fuisse aliquando, aut exerceri potuisse, vt spelunca templum, aut mons, spelunca videlicet pro meditatione Dominicæ natiuitatis; cuius esset formæ, longitudinis, ac latitudinis: templum Salomonis in meditatione de ascensu Domini in templum, vel de eiectione vendentium, & ementium in templo: mons Caluarius pro crucifixione, vel oliuarum pro Ascensione. Sin autem meditationi subest res incorporea, sicut esset in consideratione peccatorum,

con-

constructio loci, qualis ad institutum conferens poterit excogitari, per imaginationem formabitur, non tam peccatum respiciens, quàm ipsum peccatorem tot malis obnoxium, tot miserijs circumdatum, in hac valle lachrymarum inter bruta animalia exulantem, *qui cùm in honore esset non intellexit, ideo, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*. Erit autem locus interdum efformandus amplissimus, & sublimissimus: vt pro meditatione gloriæ cælestis, qualis à S. Ioanne visus esse describitur illis verbis Apocalypsis: *Et sustulit me in spiritu in montem magnum, & altum, & ostendit mihi Ciuitatem sanctam Hierusalem discendentē de cælo à Deo habentem claritatem Dei: & lumen eius simile lapidi pretioso, tamquam lapidi iaspidis, sicut christallum, &c.* Aliquando locus erit imaginandus obscurissimus, & profundissimus, vt in meditatione de inferno carcere damnatorum in centro orbis terræ, vastis, horrendisque cauernis. Aliquando terræ ambitus vniuersæ: vt in meditatione de mysterio incarnationis Verbi Diuini, & consilio, Dei ac decreto redimendi perditos ab origine mortales passim per omnes orbis regiones ad inferna ruentes. Aliquando sufficit imaginari certum mundi tractum, aut particularem locum iuxta particulares propositas meditationes.

Psal. 48. 13. *Apoc. 21. 10.*

Quæ iuuēt ad loci compositione bene formandam.

5 Iam verò, quæ ad huiusmodi locorum imaginationes formandas iuuare nos poterunt, quod tertio loco posuimus explicandum, hæc sunt. Primùm illa ipsa loca adijsse aliquando, vidisse, & diligenter obseruasse: nam eo consilio Hierosolymam, & alia loca sancta inuisisse plures Dei seruos longissimis susceptis peregrinationibus credere debemus, non vana curiositate ductos, neque, vt ea tantùm semel venerarentur, sed vt per oculos ad internos sensus transmissa sibi in corde, & in animo depicta, ad pietatis, & deuotionis fomentum diutius conseruarentur. Vnde etiam ipsorum aliqui ad similem aliorum vtilitatem ea omnia descripta, & literis commendata posteritati tradiderunt. Vt S. Hieronymus, qui sicut de illo testatur S. Augustinus; non contentus, vitam vsque ad ætatem decrepitam ob id in locis illis sanctis traduxisse; librum quoque de locis hebraicis scripsit eruditissimum, Eusebium Phamphili ea in re imitatus, aut etiam interpretatus: idemque prestitit venerabilis Beda, librum similiter scribens de situ Hierusalem, & de locis sanctis. Nec est dubitandum speciali Dei prouidentia factum esse, & perpetuo quasi miraculo fieri, vt loca illa sacra, & nostræ salutis adoranda vestigia in regionibus infidelium inter tot violentias, & sacrilegia,

S. Aug. lib. 1. in Iulianum cap. 2. *S. Hier. tom. 1. l. de locis hebraicis.* *Beda to. 3. l. de situ Hierusal.*

crilegia barbarorum, inuiolata, & ferè integra, nisi quatenus vetustate consumpta, sed inde venerabiliora, atque etiam ipsis Mahumetanis sacrosancta conseruentur. Vt quemadmodum à perfidis Iudæis oracula prophetarum, & veteris testamenti diuinas Scripturas conseruari nobis Diuina prouidentia disposuerat; ita quoque voluit, vt à similibus Christiani nominis inimicis Mahumetanis, pressa illa vestigia mysteriorum nostræ Redemptionis, atque Religionis, vsque ad hanc diem asseruentur: vt in æquissima causa Fidei Catholicæ, pro nobis contra omnē perfidiam, ipsi inimici nostri sint iudices. Sed adhuc longè maiori miraculo Sacra Lauretana domus à Prouincia Galilææ ex Ciuitate Nazareth sublata Angelicis manibus à fundamentis, atque ita in altum librata, longo terrarum tractu vsque in Dalmatiam primum, deinde super Adriaticum mare in Picenum, vbi hodie visitur, est perlata. Certè non ob aliud, nisi vt incarnationis Verbi, & infantiæ Saluatoris nostri non solum mysteria, sed etiam mysteriorum loca, vestigia, signa etiam nostris sensibus, vt possumus, exploremus, & sensuum adiutorio magis proficiat intellectus, accendatur affectus, atque inde pietas, & deuotio augeatur. Quia tamen multi sunt, quibus sacra huiusmodi loca adire, & videre non conceditur; superest secundum pro huiusmodi loci compositione formanda imaginationis subsidium: vt videlicet ab ijs, qui illa viderunt, & libros ea de re scripserunt intelligatur. Sed est etiam tertium adiumentum pictura, qua potissimum rudioribus in hac parte consulitur: *Nam quod legentibus scriptura*, inquit S. Gregorius; *hoc præstat idiotis pictura*. Nec solum idiotis, ac simplicibus, sed etiam alijs accommodatæ ad id imagines, ac descriptiones vsui esse poterunt. Vnde extant quædam eo consilio typis expressæ, vt singulas Euāgelij historias, parabolas, mysteria meditanda repræsentent; quales auctore P. Hieronymo Natali tomo integro, & iterum aliæ auctore P. Bartholomæo Riccio, ante aliquot annos prodierunt.

S. Greg. l. 9. regis. ep. 9.

5 Superest quartum de aliqua in hoc præludio cautione seruanda: quæ in eo consistit, vt duo circa illud extrema inter se maximè contraria declinemus, primùm est paruifacentium, vel etiam spernentium, quasi superstitiosam, aut nimiam hanc imaginatione locorum diligentiam: propterea quod in ea propriè non sit, sicut non est re vera, sita meditatio; cum præparatio tantùm quædam sit, & inferioris animæ nostræ partis, ad exercitium superioris in Deum, & diuina ascendentis conueniens dispositio. Poterit etiam aliquis suæ negligentiæ illam excusa-

Quid cauendum in formāda per imaginationē compositione loci.

excusationem obtendere, quod minimè sit imaginatiuus, nec plus virtutis in hac animæ facultate à Deo sibi fuerit concessum. Sed non minus, vel etiam magis periculosum est aliud quorumdam extremum, nimiam sibi vim in hoc præludio inferentium, vel multum in eo temporis absumentium, quod vtilius in reliqua meditatione collocari debuisset. Ex hoc autem triplex oriri posset nocumentum, primum nimiæ curiositatis: vt si quis Ciuitatem Ierusalem, vel templum Salomonis cum omnibus mensuris, proportionibus, ornamentis, minutissimè vellet imaginatione sibi depingere: vnde præter inutilem iacturam temporis, in meras distractiones pia meditatio euanesceret. Secundum grauius nocumentum posset esse, lædendi nimia violentia organum imaginationis, ita vt ex immoderato conatu, quo quis alienas expellit imagines, & proprias intus nititur retinere, vel dolor succedat capitis, vel etiam meditandi quædam diuturnior ineptitudo, aut illa, quæ solum imaginariè interius representantur, extra re ipsa geri falsò sibi aliquis persuadeat. Sicut de quo-
Gal. l. de diff. symptom. c. 3. dam Theophilo refert in re simili Galenus, qui propter læsam phantasiā semper imaginabatur in angulo suæ domus se audire tybicines, quos propterea sæpe à domesticis postulabat prohiberi, & expelli. Et ego ipse hominem noui melancholico humore adeo laborantem, & sic læsæ imaginationis, vt inter alia deliria, sibi aliquando persuaserit omnino se vidisse paulo ante in via publica gemmam pretiosissimam notabilis magnitudinis; quem cùm interrogarem, cur statim illam sibi non accepisset, suam accusabat dementiam: nec potui ab illo impetrare, nè subitò eàdem via ad illam quærendam non regrederetur. Hoc autem aliunde non proueniebat, nisi quia perturbato capitis temperamento, & cerebro atris humoribus occupato falsæ imagines incidebant, vnde intellectus bene fungi suo officio non permittebatur. Huic non dissimilem alium non solum noui, sed etiam meæ curæ commissum in hoc meditandi exercitio aliquamdiu exercui; de quo, vt pote ab huius vitæ miserijs pia morte iam exempto, possum ad exemplum aliorum ista referre: hic itaque vbi primùm in genua deuolutus dabat se contemplationi, clausis etiam ad maiorem animi collectionem sui cubiculi fenestris, ei videbatur in angulo parietum è loco superiori micare clarum quoddam lumen triplici radio distinctum, mysteriū enim Trinitatis ita vigilans somniabat. Qua propter cau-
Eccl. 34. 1. tos nos reddit Spiritus sanctus in Ecclesiastico, sic ea de re loquens: *Vana spes, & mendacium viro insensato: & somnia extollunt*

tollunt imprudentem. Quaſi qui apprehendit vmbram, & perſequitur ventum, ſic & qui attendit ad viſa mendacia. Et ſicut parturientis cor tuum phantaſias patitur: niſi ab Altiſſimo fuerit emiſſa viſitatio, ne dederis cor tuum illi. Quòd ſi tantùm in ſimplici natura poteſt eſſe deceptionis, quid erit, ſi addantur dæmonum inſidiæ, qui ſupra ſubſtantias, & qualitates corporeas miris artificijs ad noſtram ſeductionem operantur, Deo id iuſtè permittente in pœnam alicuius noſtræ vanitatis, atque ſuperbiæ; quod eſt tertium alijs duobus ſuperioribus grauius in hoc extremo detrimentum. Media itaque incedendum eſt via: vt neque nimis multum ex hac præuia imaginationis diſpoſitione velimus exprimere, neque ſi quid inde commodi ad melius meditandum poſſumus obtinere, ſicut multi ſuauiter procedendo experiuntur, faſtidioſè negligamus. *Eccl. 34.6.*

CAPVT QVINTVMDECIMVM.

De tertio, & vltimo præludio, quod eſt petitio.

1 QVISQVIS animo ſecum reputabit, quot diſpoſitiones ſoleat pictor, dum egregium aliquod opus efficere meditatur colorandæ telæ ſuperinducere; quot ſubſternat antea liquores, qualia formet lineamenta, priuſquam vltimi, pretioſiq. colores adhibeantur; is profectò non mirabitur, ſi dum enitimur primæuam illam animæ noſtræ infuſam in ſtatu innocentiæ Dei ſimilitudinem, per peccatum magna ex parte obliteratam virtutum coloribus reformare (hoc enim pictoris exemplo vſus eſt Magnus Baſilius in re noſtra) nos ante ipſam propriè dictam meditationem, tam multas eſſe præmittendas animi diſpoſitiones, & præluſiones oſtendimus, quibus poſtremò hic adiungimus petitionẽ. Etenim conſtituto nobis in oratione præparatoria ſublimiſſimo, & generali fine omnium noſtrarum actionum, maiori ſcilicet Dei gloria; excitata deinde per primum præludium memoria ad ſacram hiſtoriam expeditè percurrendam, ordinata per ſecundum præludium imaginatione, vt mens aliò non ita facilè diuagetur: tertium iam ſequitur, in quo ſtatuemus, quis eſſe debeat

Cur tot præludia meditationi præmittenda.

S. Baſil. l. conſtit. monaſt. cap. 2.

beat proprius, & specialis scopus nostræ, quam inchoamus meditationis: quem scopum vt auxilio diuinæ gratiæ affectu ardentiori attingamus, postulare à Deo per petitionem oportebit. De hac ergo primùm exponetur, quæ sit eius materia, siue quid per illam à Deo petere debeamus. Secundò cur talis petitio alijs duobus præludijs hoc loco adiungatur. Tertiò, quæ iuuare nos possint, vt effectum illa suum efficaciter sortiatur.

Propria huius petitionis materia, qualis.

2 Huius petitionis, quæ vltimo præludio continetur propria materia per quatuor hebdomadas, siue per quatuor mansiones in libello spiritualium exercitiorum disposita inuenitur, primùm enim in prima hebdomada, siue mãsione admonemur, vt pro huiusmodi præludio id à Deo postulemus, quod iuxta propositæ meditationis argumentum consequi desideramus. Et magis ad specialia descendendo, quia prima exercitia proponuntur de peccatis, & de hominum nouissimis, monetur is, qui meditationem instituit de peccatis, vt postulet pudorem, de commissis culpis dolorem, atque abundantem fletum: pro meditatione verò nouissimorum, exempli gratia, Inferni, vt à Deo postulet intimam pœnarum, quas damnati luunt apprehensionem, vt si quando me cœperit diuini amoris obliuio, saltem à peccatis supplicij timor coërceat. In secunda verò hebdomada, siue mansione, vbi mysteria Incarnationis, Natiuitatis Christi, & reliqua sanctissimæ eius vitę, ac cælestis doctrinæ meditãda proponuntur, petitio erit gratiæ postulatio, vt intimè cognoscam, quo pacto Dei filius mei causa sit homo factus, & cum hominibus per annos trigintatres magna faciens, & mira patiens, conuersatus: vt ardentius ipsum amem, & ab hinc imiter studiosius: ipsòq. ad sua non solum præcepta, sed etiam consilia perfectionis sequenda me vocante, non obsurdescam. In tertia deinde hebdomada, vbi meditanda proponitur passio Saluatoris, pro optatæ rei petitione postulare à Deo oportebit intimum doloris sensum, indignationem, confusionem: eò quòd ob peccata mea summus omnium Dominus tantis se tormentis obijciat: necnon mœrorem planctum, anxietatem, & id genus interiores pœnas, vt Christo patienti pro me, compatiar. In quarta demum hebdomada vbi proponitur Dominica Resurrectio, gratia postulabitur ad immensum Christi gaudium percipiendum, atque etiam participandum, iuxta id, quod suadet Apostolus esse faciendum: *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus: id ipsum inuicem sentientes*. Quos piæ mentis affectus, & Christianæ charitatis officia, si nostris quibuscumque proximis

In prima heb. exerc. 1. & 2.

In hebd. 2. exerc. 1. & 2.

In hebd. 3. exerc. 1. & 2.

In 4. hebd. exerc. 1.

Ad Rom. 12. 15.

conuenit

conuenit exhibere, quantò magis nostro benignissimo Redemptori, & communi totius humani generis Saluatori? cuius omnis actio, passio, operatio fuit nostra sanctificatio, nostra viuendi regula, & absolutissimæ perfectionis norma, & exemplar. Semper itaque in exordio meditationis optandus nobis erit, atque à Deo postulādus aliquis affectus peculiaris, siue charitatis in Deum, quē redamare tantopere debemus, siue gratitudinis, siue cōpassionis, siue contritionis: qui omnes singillatim postea tribus libris explicabuntur, iuxta tres vias incipientiū, proficientiū in spiritu, & perfectorū. Illud interim oportet obseruare, ad animi motum oranti conuenientiorem inueniendum, & à Deo per huius præludij petitionem procurandum, non solum debere nos materiam meditandā attendere, vtrum sit amoris, an timoris; lætitiæ, an tristitiæ; verùm etiam propriam nostram necessitatem: fieri enim potest, vt circa eandem materiam vnus affectus magis vni sit vtilis, quàm alius. Vt si de peccatis fuerit meditandum; circa quam materiam non solum affectus contritionis poterit esse vtilis, sed etiam ex dolore sensibili copia lachrymarum, spes veniæ obtinendæ, lætitia propter spem talis veniæ, gratitudo de acceptis à diuina misericordia beneficijs; aduerto autem in hoc genere cōsiderationis me lachrymis potissimum adiuuari, tunc petendæ erunt à Deo lachrymæ contritionis, & abundans fletus. Quòd si contra obseruassem, fletum mihi potius obesse, quam prodesse, vel ex nimia cordis afflictione animum deijci, & in quandam veluti desperationem adduci; tunc petenda magis esset spes, & confidentia in diuinam misericordiam, lætitia, grati animi virtus ob accepta, vel promissa, & parata Dei auxilia, constantia in proposito Deum amplius nō offendendi, alacritas, & promptitudo in eius gratia magis quotidie proficiendi. Harum, iuxta huiusmodi vicissitudines, sanctarum animi affectionum, pleni sunt Psalmi Dauidici: nam vt inde aliqua exempla promamus, semel testatus est Dauid se talem, ac tantam pro commissis culpis compunctionem à Deo obtinuisse, vt ab oculis, veluti fontes fluerent lachrymarum: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt* *Psal.118.136.* *legem tuam:* & alibi: *laboraui*, inquit, *in gemitu meo, lauabo per* *Psal.6.7.* *singulas noctes lectum meum: lachrymis meis stratum meum rigabo*. Sed hoc alio tempore illi visum est nimis, ideo temperamentum à Deo postulauit, cum ait: *Redde mihi lætitiam sa-* *Psal.50.14.* *lutaris tui, & spiritu principali confirma me*. Idque se à Deo impetrasse in alio Psalmo cum grati animi significatione profi-

Massut. de cælesti conuersat. M tetur:

Psal.29.12. tetur: *conuenisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia: vt cantet tibi* Psal.118.120. *gloria mea, & non compungar*. Petierat alibi: *Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui*: Sed aliâs excluso ti- Psal.26.1. more canit: *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum; si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo*. Hæc est igitur materia varia petitionis pro meditationum varietate, & orantis diuersa spirituali necessitate.

Cur hoc vltimum preludiũ adiungatur.

3 Iam verò, quæ sit ratio cur duobus alijs præludijs hoc tertium petitionis certi pij affectus adiungatur, non immeritò aliquis dubitabit; satis enim videri posset diuinum auxiliũ ad meditandum in oratione præparatoria fuisse postulatum, vbi nostram inscitiam, & infirmitatem in hoc exercitio coram Deo profitentes petieramus, vt eius gratia nos excitante, & adiuuante, vires omnes, atque actiones nostræ sincerè ad eius gloriam, & cultum dirigerentur. Sed hìc oportet meminisse, quod sæpè antea dictum est, ad hoc mysticum orationis sacrificium non sufficere, vt ligna, idest materia meditanda selecta, & per suas partes, idest per sua puncta dissecta, in ara cordis ordinatè con- 3.Reg.18.36. stituatur, sed ignis è cælo cum Elia propheta feruenti petitione est euocandus. Id autem non vno semper, eodemq. modo erit faciendum, sicut fieri debere in oratione præparatoria superius dicebamus; in ea enim omnium nostrarum virium ad Dei gloriam directionem per quandam vniuersalem intentionem, & vniuersale desiderium petebatur: tum memoriam per primum præludium diximus adiuuandam; intellectum verò per secundum: reliquum erat, vt per hoc tertium varijs prouideretur affectibus voluntatis. Et quemadmodum sacra historia, quæ pro primo præludio ad memoriæ subsidium breuiter recensetur, debet esse aliqua particularis tunc meditanda; loci etiam compositio, pro secundo præludio nonnisi propria, & illi materiæ ad meditandum propositæ accommodata: ita etiã affectus voluntatis pro hoc vltimo præludio debet esse aliquis specialis; vnum semper aliquem inter alios præcipuè sectando, quem magis ad institutum eo tempore, Deo inspirante, facere iudicauerimus; illum nobis pro fine meditationis intrinseco, & particulari coram Deo constituentes. Nam quamuis finis vltimus, & generalis diuinæ gloriæ, de quo multa iam dicta sunt, vbi de intentione dirigenda pro oratione præparatoria superius

ageba-

agebamus, omnium altissimus sit, neque satis possit pro dignitate commendari; inde tamen veluti à remotiori non ita permoueri solemus, sicut à fine aliquo particulari, & nobis viciniori. Non moti autem, neque poterimus ad nostra specialia vota, & desideria Deum permouere; cuius moueri, nihil aliud est, quàm immobilem in se ipso, alia omnia à se per suos proprios, & propinquiores fines ad remotiores sublimioresque suaui dispositione perducere. Mouemus igitur in nos Deum, cùm aliquid ab illo petimus, & obtinemus: obtinemus in nobis, cùm ab ipso excitamur ad id, quod petimus, toto cordis affectu in oratione prosequendum.

4 Tertium iam superest, quod postremo loco reliquimus explicandum: vndè iuuari possit hæc nostra petitio, vt effectum suum efficaciter sortiatur. Occurrunt autem potissimum tria: primum est, magnum concipere desiderium illius affectus, quem optamus in progressu nostræ meditationis experiri: hoc enim ipsum cordis desiderium, quædam est illius, quod desideratur apud Deum, inchoata postulatio: vnde in Psalmo dicitur: *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorũ audiuit auris tua*. Immo hic est ille gemitus inenarrabilis, de quo ait Apostolus: *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*; idest postulare nos facit, immisso quodam in profundo nostri cordis occulto desiderio, ex quo, sicut exponebat Seraphica Virgo Catherina Senensis, siccis manentibus oculis externis, interius stillæ quædam ignitæ cælestis cupidinis orantis animam ineffabili modo perfundunt. Est præterea huiusmodi accensum desiderium eius doni, quod petitur, impetrandi non obscura significatio: nam hoc ipso, quod in animam immittit Deus efficacem aliquid ab eo petendi voluntatem, cùm neque decipere nos velit, neque sibimetipsi possit esse contrarius, argumento est, illa quæ fuerint à nobis ipso inspirante petita, facili negotio se esse concessurum. Notauit hoc S. Augustinus exponens illa Psalmi verba: *Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam à me: Cum ergo*, inquit, *videris non amotam à te deprecationem tuam, securus esto, neque amouendam à te misericordiam suam*. Neque solùm est impetrandæ rei, quæ desideratur, & postulatur, signum, & argumentum; sed etiam illius, quod optamus, adeptio quædam, & inchoata consecutio: nihil enim aliud est alicuius boni affectus consequendi flagrare desiderio, quàm illum ipsum affectum in corde, quasi in vite palmitem folia, flores, &

Vnde iuuetur petitio pro vltimo præludio.

Psal. 9. 17.

Ad Rom. 8. 26.

In dialogis tract. 3. c. 91.

S. Aug. enarr. in Psal. 65. 20

M 2 fructus

fructus emittentem obtinere. Secundum, ex quo iuuari solet ad impetrandos tales gratiæ motus nostra petitio, est, propriæ virtuti, & viribus naturæ nostræ diffidere, & spem in Deo po-
Iob.36.32. tissimum collocare, qui sicut testatur S.Iob, *In manibus abscondit lucem, & præcipit ei, vt rursus adueniat.* Et quamuis sola gratia habitualis, qua homo Christo Domino tanquam suo capiti coniungitur, & inter illius viua membra computatur, sufficere videatur ad ius æternæ beatitudinis, cùm habitibus infusis, & bene operandi principijs in anima obtinendis; nisi tamen habituali actualis gratia coniungatur per varias illustrationes mentis, motusq. voluntatis supra naturam, nũquam sicut oportet orabimus, nec dignè cælestia meditabimur. Hi verò gratiæ cælestis influxus, quoniã vniformes nõ sunt, nec certi tẽporis, sed iuxta Dei beneplacitum gratis conceduntur, & propterea maximè proprio vocabulo gratiæ nominantur, ab ipso debent sperari, & expectari, à nobis quoque, ipso adiuuante desiderari, & cum pia in eum fiducia postulari. Tertiò, vt ad thronum diuinæ gratiæ cum hac fiducia, sicut nos hortatur Apostolus, adea-
Ad Rom. 4. mus, interponenda erunt merita nostri Redemptoris, & eius
16.31. eximiæ in omni genere, & gradu sublimissimo virtutes, quibus opposita vitia excludere à nobis orando, & meditando desideramus. Vt si quis iracundiæ motus in se reprimere, & patientiæ virtutem meditatur adipisci; offerat æterno Patri ad id impetrandum mansuetudinem, & patientiã Christi: cupit expellere à suo corde superbiam; id poscat ab eodẽ æterno Patre per profundissimam Vnigeniti Filij sui Redemptoris nostri humilitatẽ: obedientiæ studet; poscat illam eius meritis interpositis, qui factus est obediens vsque ad mortem. Atque hoc nobis consilium videtur insinuare S. Paulus voluisse, cùm de Saluatore nostro ad
30. Corinthios ita scribit: *Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio:* non quasi diuinæ, vel humanæ illiusmet Sapientiæ, Iustitiæ, & Sanctitatis redditi simus ita participes, vt alia propria cuique iusto sanctitas, & virtutum charismata nõ infundantur; hic enim error est recentiorum Hæreticorum; neque etiam quasi causa ipse sit in nobis harum virtutum tantummodo exemplaris; qui fuit error antiquorum Pelagianorum: sed quia est etiam gratiarum omnium causa efficiens, & meritoria; neque enim vlla, nisi eius interuenientibus meritis, & diuina virtute obtinetur. Hac itaque contestatione per Christi merita, & virtutes, quia nullam inueniri posse efficaciorem,

idem

idem Apoſtolus intellexit, Timotheum hortabatur, vt curaret ante omnia fieri obſecrationes, tum orationes, deinde poſtulationes, & gratiarum actiones; ſignificans per obſecrationes, vt bene quidam interpretantur, eas, quas diximus interpoſitis Chriſti meritis, conteſtationes; per orationes verò, mentis in Deum eleuationes, in quibus propriè ſita eſt meditatio; per poſtulationes, eorum, quibus indigemus petitiones; tum gratiarum pro acceptis beneficijs actiones. Nam quamuis cùm aliquid à Deo poſtulamus, cùm obſecramus, cùm gratias illi ob accepta beneficia peragimus, hæc omnia communi vocabulo oratio dici poſſint, huiuſmodi tamen actiones potius antecedẽtes ſunt diſpoſitiones, aut effectus conſequentes, quàm ipſa propriè ſumpta meditatio, vel contemplatio. Quare in his, non erit adeo commorandum, vt præcipuam horæ partem contemplationi deſtinatam eis tribuamus, niſi valde peculiaris animi motus in ea petitione, Deo dante, ſentiretur: tunc enim in illa diutius perdurare, non tam erit petere, quàm accipere, & mentem cæleſti viſitatione reficere. Vnde vtile quòque interdũ erit in ipſo meditationis decurſu, ſimiles reuocare petitionis affectus, qui non tam vocibus, quàm interno cordis deſiderio exprimantur: idque duobus potiſſimum temporibus, vel quando meditatione voluntas excitata virtutis alicuius cupiditate flagraret, vel contra torperet ad propoſitum bonum, & languida nihil moueretur. Tunc enim ad eum ſupplicare deberemus, qui venit ignem mittere in terram, & ſemper voluit vehementer accendi. Atque hac ſanctarum operationum viciſſitudine petitio diſponet ad meditationem, & meditatio inſtruet ad petitionem.

1. Ad Tim. 2. 1.

Gloſa, & S. Th. in Paulũ & 2. 2. q. 83. art. 17.

*

DE CAELESTI CONVERSATIONE, PER INTERNAM ORATIONEM, ET EXERCITIA SPIRITVS.

Liber Tertius.

DE IPSA MEDITATIONE, ET VARIIS eius formis.

CAPVT PRIMVM.

Consistat ne Meditatio in operationibus intellectus, an voluntatis.

Meditationē non esse operationem sensus, sed vel volūtatis, vel intellectus, extra cōtrouersiam est.

1 QVONIAM hactenus de ijs egimus, quæ meditationi propriæ dictæ visa sunt præmittenda, tamquam ad illam præparationes, & propriæ dispositiones, sequitur iam vt naturam ipsam, siue essentiam meditationis explicemus: & primū in quanam operatione sita sit, intellectus ne, an potius voluntatis. Neque enim in dubium vocare debemus, an operatio alicuius sensus meditatio propriè dici possit: si enim de externis sensibus sermo sit, horum vsus in meditatione potius, ne eam impediat, est cohibendus. Quod verò in Psalmo dicitur: *Os iusti meditabitur sapientiam,* & iterum in alio Psalmo: *lingua mea meditabitur iustitiam tuam, tota die laudem tuam*; ad vocalem orationem, & consideratam locutionem propter animi attentionem, figuratè, non propriè dictum, est referendum. Si verò agatur de sensibus internis, hi fere tamquam famuli per præludia, sicut supra vidimus, meditationem ipsam antecedunt,

Psal. 36.30.
Psal. 34.32.

vel per

vel per applicationem sensuum inferius explicandam comitantur, vel certè per quosdam sensitiuæ deuotionis effectus subsequuntur, qui redundare solent ad partem animæ inferiorem, à superiore, medijs spiritualibus operationibus voluntatis, & intellectus. In alterutra igitur ex his spiritualibus operationibus meditatio consistat necesse est, idque modo nobis est examinandum. Non enim defuerunt quidam mystici theologi appellati, quos etiam hodie aliqui sequuntur, qui perfectam meditationem, siue contemplationem voluntati, & affectui tribuunt, non cogitationi mentis, vel intellectui. Immo addunt fieri posse, & aliquando contingere, vt affectus in oratione excitetur à se sine vlla præuia, vel comite operatione intellectus, & in continuatione illius affectus erga Deum, & diuina propriè consistere perfectæ contemplationis exercitium. Posset autem reddi horum doctrina quodammodo verisimilis, tum ex Diuina Scriptura, tum ex Patrum de hac materia loquentium testimonijs, tum ex ductis ab apparenti ratione argumentis. In primis enim Dauidici Psalmi, in quibus formam perfectæ orationis maximè licet obseruare, sæpè meditandi exercitium adscribunt cordi, & desiderijs: per cor autem, & desideria, voluntas, & affectus, non verò operatio intellectus significantur. Itaque in quodam Psalmo dicitur: *& meditatus sum nocte cum corde meo*: in alio, *& meditatio cordis mei in conspectu tuo semper*, & iterum alibi: *tibi dixit cor meum, exquisiuit tè facies mea*, & alibi, *desiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua*. Quod verò attinet ad auctoritates Patrum, ab Areopagita potissimum videtur hi Auctores opinionis suæ sumpsisse occasionem. Hic enim in libro de mystica Theologia multis Timotheum adhortatur, vt si cupit ad gradum perfectæ cōtemplationis peruenire, subsidia sensuum inter orandum derelinquat; neque hoc solum, sed etiam adminicula ratiocinationum, & omnium inuolucra cogitationum, solòq. gradiens affectu intret ad Dei conspectum per ignorationis caliginem: sic enim quasi alter Moyses familiarius cum Deo aget, eiq. per intimam conuersationem arctius coniungetur. Præterea posset aliquis pro hac sententia sic ratiocinari: orare iuxta communem Theologorum doctrinam, atque adeo ipsum meditari, & contemplari actus est proprius virtutis religionis: sed hæc virtus voluntatis est, in voluntate sedem habens, non verò in intellectu; pertinet igitur propriè ad voluntatem, & affectum, non ad cognitionem, & intellectum. Ex altera verò parte plures,

Gers. lib. de myst. Theol. sæpe tribuitur S. Bern. in l. de myst. Theol. qui non est ipsius liber, & in Itenerar. mētis in Deū. sed contrariū indicat. in lib. de 7. itineribus æternitatis, itinere 4. d. 1.

Mystici theologi contemplationem constituunt in operatione voluntatis nō intellectus.

Psal. 67. 7.
Psal. 18. 15.
Psal. 26. 8.
Psal. 9. 18.
Dion. lib. de myst. Theol. cap. 1.

Alij docent orare esse actũ intellectus,nõ voluntatis.

S. Thom.2.2. q.83.art.1.

Quem plerique sequũtur.

Psal.118.34.

Psal.76.6.

Psal.138.14.

Psal.118.148.

Psal.120.1.

Psal.24.15.

grauioresq. Theologi de oratione, & contẽplatione ex instituto differentes eam in operatione intellectus esse sitam, non minus firmis adducti rationibus docuerunt: nec eis minus,sed etiã magis fauere videntur verba sacrarum Scripturarum,sanctorum Patrum testimonia, & rationes. Nam in Psalmis oratio, & meditatio sæpius adscribitur cogitationi, intellectui,& oculo mentis, qui est ipse intellectus. Vt cum dicitur. *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam. Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis. Præuenerunt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua. Leuaui oculos meos in montes*, & denique alibi ait Dauid: *Oculi mei, semper ad Domiuum.* Si verò Patrum hac de re testimonia consideremus, cum orationem ipsi definiant esse cum Deo colloquium, sermocinationem,boni alicuius à Deo petitionem, quæ omnia propriè verbo mentis interius exprimuntur,ad intellectum potius,quàm ad voluntatem retulisse orationem videri possunt. *Oratio tua*, inquit S.Augustinus, *locutio est ad Deum;quando legis Deus tibi loquitur,quando oras cum Deo loqueris.* Et similiter S.Hieronymus scribens ad Virginem quandam: *Oras*,inquit, *loqueris ad sponsum,legis,ille tibi loquitur*. Idque sanctus Ioannes Chrysostomus colligit ex Dauide, sic dicente de oratione: *iucundum sit illi eloquium meum*; vel vt ipse legit: *iucundum sit illi colloquium meum*, *Oratio enim*, ait Chrysostomus, *colloquium est cum Deo*; & Nyssenus, *Oratio est conuersatio sermocinatioq. cum Deo.* Immo verò ipsum nomen orationis teste S.Cypriano,quasi oris rationem appellamus; non oris externi tantùm, sed etiam, & multo magis interni,mentis videlicet, atque intelligentiæ. Verbum præterea meditandi, & contemplandi iuxta sapientum, & aliorum communem acceptionem, non est ad affectum significandum; sed notat actionem mentis, & intellectus.

S. August. in Psal.85.

S. Hier.ep.22.

S. Chrys.hom. 30.in Genes.

Nyss. de or. dom.

S.Cypr.ep.139

Ostenditur non dari actũ voluntatis sine actu intellectus.

2 Vt hæc dissentio ad aliquam concordiam pro instituta ad rem nostram breuitate, & perspicuitate reuocetur, tres erũt in hac materia statuendæ veritates. Prima sit: nulli vmquam contigisse, nec posse contingere fictum illum contemplationis gradum, in quo affectus tantum, & voluntas operatur nulla præuia operatione intellectus. Quis enim vmquam id sibi, vel alteri verè affirmare poterit contigisse? si eius operationis, quæ fingitur in voluntate, & à voluntate extitisse, nullam cùm extaret notitiam habuit, atque adeo neque memoriæ mandare tunc potuit,neque postea habere illius aliquam reminiscentiam.

Quare

Quare non immerito S. Augustinus in lib. 8. de Trinit. scripsit, ita non sperari, quod non creditur, sicut non amatur bonum, quod ignoratur, & in lib. 3. de libero arbitrio: *Nullus*, inquit, *aliquid velle potest, nisi quod per sensus corporis, aut occultis modis in mentem venerit*. Idemq. argumentum multis pertractans in decimo libro suarum confessionum: *Rem*, inquit, *prorsus ignotam amare omnino nullus potest*; & subdit inferius: *Certè amari aliquid, nisi notum non potest*. Quod cum varijs exemplis ostendisset, ad extremum ita concludit: *Omnino quod nihil amatur incognitum, arbitror me persuasisse*. Quare ipsimet S. Bonauenturæ, qui pro contraria opinione refertur, videtur id fuisse tandem persuasum; nam in libro de septem itineribus æternitatis etiamsi doceat celeriori gradu ad Deum currere voluntatem, quàm intellectum, & plus Deum à nobis in hac vita posse diligi, quàm cognosci: quia vt bene ipse ait, dilectio supereminet scientiæ, & maior est, quàm intelligentia, intimior Deo, & magis ad secretiora pertingens: *Tamen nota*, inquit, *quòd quia affectio charitatiua tamquam posterior perficit contemplationem, ideo debet immediatè sequi contemplationem, tamquam excellentior, & perfectior, & perficiens intellectum contemplatiuum*. Quibus verbis satis apertè cõtemplationis actum tribuit intellectui, & illum distinguit ab affectu, etiam perfectissimæ charitatis, & testimonium adiungit S. Augustini dicentis: incognita amari omnino non posse. Et sanè si loquendo de creato intellectu, & voluntate, hoc nondum est alicui persuasum, quod scimus etiam à poëtis decantatum: *ignoti nulla cupido*, sed hanc esse voluntatis nostræ prærogatiuam existimet, vt etiam nulla præsupposita cognitione intellectus, possit voluntas si velit, actionẽ suam exercere; idem maiori ratione de voluntate Diuina, tamquam infinitæ perfectionis cogetur admittere: vnde in arcano sanctissimæ Trinitatis mysterio Diuinarum processionum ordine perturbato, nihil necesse videbitur à nobis intelligi Deum prius se cognoscentem, & Verbum intra se producentem, quàm volentem, & Spiritum sanctum simul cum Vnigenito suo Verbo spirantem. Quare nec reddi à nobis ratio poterit, cur Verbum secunda sit in Trinitate persona, & cur non à prima solùm, sed etiam à secunda procedat tertia, & non potius à tertia secunda, quæ alibi subtilius examinanda, & magis vrgenda relinquimus: illud pro certò nunc habentes, ita fieri non posse, vt affectus feratur in aliquod ignotum, & intellectu non apprehensum bonum, sicut quod intueatur oculus carentem omni colore, atque

S. Aug. lib. 8. de trin. c. 4.
Lib. 3. de lib. arb. c. 25.
Lib. 10. confess. cap. 1.
S. Bon. lib. de 7. itin. æter. itin. 4. d. 2.

atque omni lumine substantiam, ac proinde rem videat inuisibilem.

Intellectus potest operari sine voluntatis affectu.

3 Secunda veritas in hac materia statuenda est: quamuis fieri non possit, vt sine aliqua præuia cognitione intellectus, voluntas nostra operetur, sæpe tamen fieri, vt operetur intellectus, & meditetur aliquid, vel speculetur sine vllo voluntatis motu, vel affectu. Est enim intellectus animæ nostræ potētia sublimior, prior natura sua, & à voluntate quodammodo independens, mobilior quoque ad intelligendum verum, quum voluntas ad volendum bonum. Deinde satis vnumquemque propria docere potest experientia non solum in siccis, & sterilibus humanarũ scientiarum speculationibus, verum etiam in contemplationibus circa diuina fungi suis interdum operationibus intellectum, nulla existente in appetitu motione, vel affectu. Idque non solum imperfecti dum orant sæpe experiuntur, sed etiam aliquando viri perfecti, qualis erat, qui fortè propterea Deo dicebat: *Expandi manus meas ad te, anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Nam quemadmodum terra ex se arida, & nullis imbribus irrigata vim amittit germinandi, caret omni ornatu viriditatis, nec potest suam in partibus retinere consistentiam: sic anima coram Deo per exercitium orationis constituta, dum sine vllo affectu, & sicca tantummodo speculatione meditari diuina consueuit, perdit quasi arefacta bene operandi vigorem, & efficaciam, amittit egregiarum actionum suum quemdam decorem, ac viriditatem, & facile tamquam puluis, quolibet vento distractionum dissipatur, atque dispergitur.

Psal.142.6.

Oratio perfecta requirit vtramque operationem intellectus, & voluntatis.

S. Ber. ser. 49. in cant.

4 Tertia demum veritas ex alijs duabus per necessariam ducta consequentiam, & præsentem resoluens quæstionem, hæc est: omnino oportere contemplationem, vt sit qualis esse debet ex actibus constare tum intellectus, tum affectus. Et hoc tandem conuincunt adductæ superius pro vtraque parte auctoritates, & rationes: nec aliter, iuxta S. Bernardum, in cellam contemplationis vinariam anima introducitur ad ordinatam charitatem obtinendam. *Cùm enim* inquit ipse, *duo sint beatæ contemplationis excessus, in intellectu vnus, alter in affectu: vnus in lumine, alter in feruore: vnus in agnitione, alter in deuotione: pius sanè affectus, & pectus amore calens, & sanctæ deuotionis infusio, etiam & vehementis spiritus repletus zelo, non planè aliunde, quàm à cella vinaria reportantur: & cuicumque cum horum copia surgere ab oratione donatur, potest in veritate loqui: quia introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.*

tem. Quid ergo mirum toties Dauidem in Psalmis profiteri se toto cordis affectu, & ardenti desiderio voluntatis consueuisse cælestia meditari, neque aliter noctu, vel interdiu Dei vultum contemplando exquisiuisse? Ad quem etiam quærendum expeditius, & facilius inueniendum Magnus Dionysius Timotheum suum adhortabatur, vt contemplando diuinas perfectiones, desereret quantum posset adminicula phantasmatum, adiumenta sensuum, ambages cogitationum, & inuolucra ratiocinationum: non quasi Deum sine vlla notione mentis liceat contemplari, sed ne limitatos conceptus rerum creatarum, & nostris sensibus subiectarum, Deo tamque proprios adscribamus; de quo verius, propter summam in omni genere perfectionis eminentiam, hæc, & similia negamus, & non esse tale aliquid, vel non esse quidquã huiusmodi melius dicimus, quam esse affirmamus. Atque hanc sublimiorem de Deo per negationes scientiam, ignorationis caliginem S. Dionysius appellauit: qua de re alibi cum à nobis de contemplatione agendum erit, dicenda sunt plura. Quod autem superius obijciebatur, orationem iuxta communem sententiam actum esse religionis, ac propterea ad voluntatem, in qua virtus religionis est posita, pertinere, id non ita est accipiendum, quasi oratio à virtute religionis eliciatur, sed quia ab ipsa soleat in Dei cultum referri, atque imperari. Pro parte verò contraria dum sancti Patres, orare, meditari, contemplari, tribuunt intellectui, non ad excludendum affectum id faciunt, sed vt indicent præire intellectum oportere, & quasi facem præferre voluntati: cuius tamen operationem esse huic exercitio per necessariam apta similitudine ambulationis, volatus, & amplexus explicarunt, præsertim SS. Augustinus, & Bernardus. Sicut enim ambulatio vno pede non perficitur, & multo minus volatus vna ala, atque vnica tantum manu complexus; ita nec solus in orando sufficit intellectus, nec sola sine intellectu mouere se vllatenus voluntas potest. Aptissimè verò ambulationem, in qua plus est laboris, comparant incipientium orationi, volatum proficientium meditationi, amplexum autem iucundæ contemplationi perfectorum; sicut fusè à nobis declarabitur in sequentibus.

Lib. 7. c. 6.

S. Aug. in lib. scala par. S. Ber. ser. 4. in illud Isai. 6. vidi Dominum, & ser. 79. in cant. ad illa verba: Tenui eum.

CA-

CAPVT SECVNDVM.

Vtrum in quacumque meditatione, & in qualibet parte meditationis affectum exercere magis debeamus, an intellectum.

Triplex dubitatio dissoluenda.

1 TRIA in hoc capite, vt distinctius procedamus, valde opportunè dubia proponimus explicanda. Primum, quia iam antea dictum est oportere meditationem, vt ipsa sit qualis esse debet, ex actibus constare tum intellectus tum etiam voluntatis, vtranam ex his duabus rationalibus animæ potentiis in meditatione magis sit exercenda, voluntas ne, an intellectus. Quòd si voluntas, sicut infra ostendemus, an id vniuersaliter pro quacumque meditatione sit accipiendum. Tertiò siue pro quacumque, siue cum exceptione, pro aliqua debeat intelligi, sit ne eadem ratio de qualibet parte vnius eiusdemque meditationis.

Præstare affectum, quam intellectum in meditatione exercere.

2 In primis itaque communis est doctrina sanctorum Patrum, omniumque de hac materia salutaria documenta tradentium, multo melius esse, & ad finē, quem deberet orans sibi proponere conducibilius, affectum in contemplatione potius exercere, quàm intellectum. Nam etiamsi, quod aliqui voluerunt, à contemplatione, siue meditatione perfectissima excludi operationes intellectus, id nequaquā posse fieri dictum sit, sicut non potest fieri, vt vno pede ambuletur, vel vna tantum ala voletur; tamen quemadmodum in brachijs, & pedibus dextrum natura sua inuenitur, atque sinistrum; dextrum videlicet, quod solet esse principium motus viuacius, & expeditius: ita in hoc exercitio spiritus communiter primæ partes affectui tribuuntur. Id autem quantum ad efficaciam, & fructum orationis est intelligendum, nam quoad ordinem operandi omnino præcedere intellectum, sequi verò voluntatem, & affectum, vt iam diximus, necesse est. Cæterum potiores partes affectui esse deferendas, ex tribus capitibus ostendi potest. Primùm ex intrinseco bonæ cuiusque meditationis fine, secundo ex medijs ad eum finem intra ipsam meditationem obtinendum, tertio ex modo vtriusque spiritualis potentiæ in hoc exercitio procedendi. Nam in primis

primis recta intentio, & proprius finis nostrarum meditationum nõ consistit in habendis pulchris, vel subtilibus speculationibus, in exquisitis conceptibus eruendis, vel denique in intellectu tantum perficiendo, sed in reddendo homine probo, & quotidie meliori, sanctiori, Deòque coniunctiori. Non redditur autem homo probus, & sanctus à naturali, vel acquisita perfectione intellectus; hac enim ratione, meliores, & sanctiores essent Dæmones, quàm fuerint in hac vita, & modò sint homines aliqui sanctissimi, sed simplicissimi, atque adeo scientia spiritibus illis multo inferiores, in quibus primùm inditæ species, & scientia naturalis naturaliter perseuerant. Immo verò altam sine bono affectu scientiam appetijsse originalis culpæ fuit occasio, & ruina totius humani generis, Dæmone primis parentibus propter inuidiam suggerente: *eritis sicut Dij scientes bo-* *Gen. 3. 5.*
num, & malum. Sed & ipse Princeps apostatantium Angelorum, qui ex primo ordine cælestiũ spirituum, idest Seraphinorum cecidisse communiter existimatur; tamen ab Ezechiele non Seraphin, sed Cherubin appellatur: *Tu*, inquit, *Cherub* *Ezech. c. 28. 14.*
extentus, & protegens, & posui te in monte sancto Dei in medio lapidum ignitorum ambulasti, & à claritate Lucifer ab Isaia *Isai. 14. 12.*
nominatur: *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris*. Quia sicut Angelicus doctor interpretatur, ea non sunt *S. Thom. 1. p. q. 63. art. 7.*
Angelicæ naturæ nomina, sed qualitatum: & nomen hoc Seraphin ab ardore affectus, & incendio charitatis; nomen verò Cherubin à scientiæ plenitudine deducuntur. Cum ergo Lucifer in charitate non steterit, atque in pio erga Deum submissionis, & reuerentiæ affectu, non in scientia defecerit, Cherubin potius, qua Seraphin à Prophetis appellatur. Secundò si media considerauerimus, quibus ad prædictum meditationis finem peruenire, magis quotidie in spiritu proficiendo debemus; inueniemus pleraque non tam ad illustrationes intellectus, quam ad pias voluntatis motiones & affectus pertinere. Ea enim media nihil aliud sunt, nisi quædam internæ exercitationes virtutum intellectualium, moralium, theologalium, septem donorum, & duodecim fructus sancti Spiritus: hæc autem si computentur, maiore ex parte sedem habent in potentia voluntatis, & ab illa tamquam à proprio principio eliciuntur, atque in actum reducuntur. Nam quæ ad intellectum pertinent virtutes ferè non sunt nisi fides, prudentia infusa, donum sapientiæ, consilij, scientiæ, & intellectus; quæ omnia singillatim erunt inferius explicanda, & qua ratione iuuent, & exerceantur in meditatio-

ne, ibi

ne, ibi erit declarandum. Cæterum dona, virtutesque voluntatis adeo superant in numero, vt nimis longum sit, eas in præsentia recensere; nec in numero solum, sed etiam in qualitate, & perfectione: quòd facta comparatione præcipuæ virtutis intellectus, cum virtute præcipua voluntatis, nempe fidei cum charitate, facile intelligetur. Fides enim quamuis infallibilem habeat certitudinem, non parum tamen obtinet obscuritatis: vnde per eam efficimur quodammodo à nostra cælesti patria peregrini:
2.Cor.5.6. *Quoniam dum sumus in corpore*, ait Apostolus, *peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus*. Ideo hac nostra peregrinatione absoluta, fides tum quoad actum, tum quoad habitũ auferetur; & eius loco beata mens clarissimo lumine gloriæ perfundetur; sicut fulgentissimo exoriente sole lucerna subducitur, hoc enim exemplo vtitur in hac materia S. Petrus cum ait: *Ha-*
2.Petr. 1.19. *bemus firmiorem propheticum sermonem: cui benefacitis attendentes, tamquam lucernæ ardenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris*. At verò chari-
1.Cor.13.8. tas quoad vtrumque in patria permanebit, dicente S. Paulo: *charitas numquam excidit, siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur*. Tertiò demum ex modo vtriusque spiritualis nostræ potentiæ in exercitio contemplationis procedendi, ostendi potest actus voluntatis præstare actibus intellectus: ea est enim in intelligendo natura intellectus, vt quæ percipit ad se quodammodo trahat, & sibi accommodet; vnde fit vt infima intelligendo eleuet, deprimat verò sublimia. Cùm enim, exempli gratia, percipit anima nostra spiritualis potentia, actu suo intelligendi similiter spirituali res sensibiles, materiales, atque corporeas infra se positas, eas non propterea per intellectionem sensibiliter apprehendit, neque modo materiali, vel corporeo, sed planè spirituali, mediante forma, seu specie immateriali, actùque incorporeo. Et propter hanc rationem, vt obseruauit S. Augustinus, quia quidquid factum est longe infra Deum esse necessarium est, loquens de his omnibus quatenus in Dei sapientia, & arte spiritualiter inue-
Ioann.1.4. niuntur, dixit Euangelista Ioannes, quod factum est in ipso vita
S.Aug.trac.1. in Ioann. erat: *Sicut*, inquit S. Augustinus, *Arca in opere, non est vita, arca in arte vita est: quia viuit anima artificis, vbi sunt ista omnia antequam proferantur: potest illa, quæ in opere est, arca putrescere, & iterum ex illa, quæ in arte est, nempe in mente, & idea viuentis artificis alia fabricari.* Sed si loquamur de illis, quæ supra se habet anima rationalis, vt sunt Deus, & spirituales sub-

stantiæ,

stantiæ, ab omni corporis concretione seiunctæ, spiritualiter quidem ab humano intellectu percipiuntur, at non adeo perfectè, sicut sunt in se ipsis: fieri enim non potest, quin modo perfectiori in se ipsis, quàm in natura inferiori, & imperfectiori esse inueniantur. Atque hæc est ratio intellectus nostri in intelligendo; sed voluntatis plane diuersa in volendo: non enim ad se trahit, quæ appetit, & vult, sicut intellectus quæ apprehendit, & intelligit; sed potius ab illis ipsa pertrahitur, illis se accommodat, atque conformat, & in illa quodammodo se transformat. Ideo dixit Oseas: *Et facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt*. Hinc rectè inferunt sapientes, ea quæ infra nos sunt, cognoscere melius esse, quàm diligere, quæ vero supra nos sunt melius esse diligere, quàm intelligere. Cum itaque per meditationem communiter mentem ad ea, quæ supra nos sunt eleuemus, sequitur in genere loquendo, præstare affectum in ea exercere potius, quàm intellectum.

Osee.9.10.
S. Thom. 1.2. q. 66. art. 6. ad 1.

3 Sed hæc in vniuersum dicta cum sint verissima, superest examinandum secundo loco, an ea pro qualibet meditatione sine vlla exceptione sint accipienda. Quod vt planius fiat in tres celebres differentias pios meditantium affectus distinguere oportebit. Primi ordinis sunt, qui ad viam purgatiuam, & incipientium faciunt, vt sunt timoris, compunctionis, contritionis, atque doloris. Secundi generis ad viam pertinent illuminatiuam proficientium; quales sunt fiduciæ, lætitiæ, gratitudinis, imitationis. Tertij verò generis sunt viæ vnitiuæ perfectorum, vt admirationis, iubili, zeli, perfectæ delectationis, seraphicæ charitatis, & similes; qui omnes, & per se singuli erunt à nobis inferius exponendi. Hac igitur in affectibus præsupposita diuersitate, qui in via spirituali adhuc incipientes sunt, si posthabitis affectibus viæ purgatiuæ, toti velint esse in affectibus viæ vnitiuæ perfectorum, non parum à recto itinere declinabunt. Sicut etiam vice versa, non debent qui viam ingressi sunt proficientium, & perfectorum perpetuò agitari timoribus; aut semper animo reuoluere commissa peccata, nec aliud inter meditandum cogitatione versare, nisi triste, lachrymabile, atque dolendum. Illud tamen negari non potest, huiusmodi tres in vita spirituali gradientium vias, aut potius vnius eiusdemque viæ tres gradus, non ita esse impermistos, quin in vno eorũ persistentibus interdum de affectibus alterius participare concedatur. Immo inter incipientes, proficientes, atque perfectos erunt, qui à suo statu non longè recedentes, Deo gratiam suam naturæ

An in quacũque meditatione affectum exercere quécumque melius sit, quam intellectum.

vnius-

vniuscuiusque benignissimè contemperante, abundent aliquando affectibus status, & viæ superioris, aut inferioris. Sed quod dicimus est communiter suas obseruandas esse in hoc exercitio, vt statuum, ita etiam operationum differentias. Quod totum in suis aliquot super Cantica sermonibus, non minus grauiter, quàm dulciter S. Bernardus exposuit sub mystica triplicis osculi pedum, manuum, & oris interpretatione. *Non temere*, inquit, *anima assurgat ad os serenissimi sponsi, sed ad pedes seuerissimi Domini mecũ pauida iaceat, & cum publicano terram tremens, non cælum aspiciat: ne confusa luminaribus cæli facies assueta tenebris opprimatur à gloria, atque insolitis reuerberata splendoribus maiestatis, densioris rursus cœcitate caliginis obuoluatur. Non tibi ò quæcumque es talis anima, ille locus vilis, & despiciabilis videatur, vbi sancta peccatrix peccata deposuit, induit sanctitatem.* Hæc pro incipientibus, & in via purgatiua consistentibus S. Bernardus; pro alijs verò proficientibus, & viam illuminatium ingressis, hæc adiungit: *Sumpto itaque ad pedes primo osculo, nec sic quidem præsumas statim ad osculum oris assurgere, sed erit tibi gradus ad ipsum, medium quoddam osculum manus. Quid enim recenti adhuc respersus puluere ora sacra contingas? Heri de luto tractus, hodie vultui gloriæ præsentaris? per manum tibi transitus sit. Illa prius te tergat, illa te erigat. Quomodo erigat? dando vnde præsumas. Quid istud? decor continentiæ, & digni pænitentiæ fructus, sane accipiendo donum osculare manum, hoc est non tibi, sed nomini eius da gloriam. Da semel, & da iterum, tum pro donatis criminibus, tum pro collatis virtutibus.* Postremo de tertio viæ vnitiuæ perfectorum gradu ista S. Bernardus subiungit. *Iam tandem in osculis duobus geminum habens diuinæ dignationis experimentum, forsan non confunderis præsumere sanctiora: quantum quippe crescis in gratia, tantùm in fiducia dilataris. Hic igitur ordo: primo ad pedes procidamus, & ploremus coram Domino, qui fecit nos, ea, quæ fecimus nos. Secundo manum quærimus subleuantis, roborantis genua dissoluta. Postremo cum ista multis precibus, & lacbrymis obtinemus, tùm demum audemus forsitan ad ipsum os gloriæ caput attollere, pauens, & tremens dico, non solum speculandum, sed etiam osculandum; quia spiritus ante faciem nostram Christus Dominus, cui adhærentes in osculo sancto vnus spiritus ipsius dignatione efficimur. Tibi Domine Iesu, tibi merito dixit cor meum, exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Nempe auditam mihi fecisti mane misericordiam tuam,*

S.Bern. ser.3. in cant.

tuam, cum iacenti primum in puluere, tuaque deosculanti reuerenda vestigia, quod malè vixeram remisisti. Porrò in progressu diei lætificasti animam serui tui, cum deinde in osculo manus etiam bene viuendi gratiam indulsisti. Et nunc quid restat ò bone Domine, nisi vt iam in plenitudine lucis in feruore spiritus ad oris quoque osculum dignanter admittens, impleas me lætitia cum vultu tuo? Indica mihi ò suauissimè, ò serenissime, vbi pascas, vbi cubes in meridie. Possumus quòque hanc eandem S. Bernardi doctrinam apta nauigationis similitudine confirmare: nec immerito alta rerum diuinarum contemplatio nauigationi per aquas lati, & profundi maris comparatur; de quibus aquis illud etiam, quod in Genesi dicitur aliqua ratione posset intelligi: *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas*. Sed non vno modo nauigatio perficitur, aliquando enim remis tantummodo, vt fieri solet in nauiculis non longè à littoribus recedentibus; aliquando remis simul, & velis, quod onerariæ requirunt, nauesq. grandiores; & solis etiam velis, vt ingentia per oceanum nauigia. Illi solis remis quasi per mare nauigant, qui laboriosis affectibus timoris, angoris, contritionis, & firmi propositi non peccandi amplius, in meditatione exercentur. Hi si paruæ suæ nauiculæ applicare, & expandere vela nimiæ confidentiæ, gaudij, admirationis, & similium affectuum perfectorum velint, ac spiritu vehementi per oceanum, atque alta maria diuinarum perfectionum prouehantur; fieri facilè poterit, vt in aliquas syrtes, vel scopulos periculosè allidantur. Contra verò, qui ad altiorem contemplationis gradum sæpè vocati, laboriosis tantùm ratiocinationum discursibus, quasi remis semper insistunt, nec sinum cordis in affectus præstantiores tentant expandere, neque multum progredi, neque ad quod vocantur vmquam poterunt peruenire.

Genes. 1. 2.

4 Quæ cum ita sint illud vnum, quod tertio loco proposueramus iam superest explicandum: an in qualibet parte meditationis pro statu, & conditione meditantium affectus sui ordinis magis expediat exercere, quam discursus varios intellectus. Ad hoc primum in genere possumus respondere accommodata supradictæ nauigationis similitudine, ita vt discursus remigationi, affectus velificationi comparemus. Nam quemadmodum vbi nauis ventorum impetu, ac flatibus destituitur, remigatione debet quantum fieri poterit promoueri; ita cum animus inter meditandum nullis pijs affectibus, quasi nauis nullo secundo vẽto propellitur, expedit eo tempore maiori adhibito conatu remigio

An in qualibet parte meditationis affectus præstet exercere, quã operationes intellectus.

migio ratiocinationũ, atque discursuum intellectus exerceatur. Iam verò, vt magis in particulari propositæ dubitationi satisfiat, ita statuendũ est: in qualibet meditatione, circa eius initiũ, & per aliquem illius etiã progressum præstare, vt mens orantis aliquot discursibus occupetur; nam hoc est propriè meditari; in vlteriori autem progressu, & maximè circa finẽ, quoad poterit, vacet, & abundet affectibus. Nam vt id etiã alia similitudine declaremus, qui cupit à silice ignem extrahere, prius oportet ictibus aliquoties repetitis lapidem illum excutiat, donec erumpant hinc inde scintillæ: neque eo fine scintillæ sic eliciuntur, vt modico fulgore tantum lucem aliquã emittãt, sed vt inde fomes accendatur, & exardescat ignis. Ita dum piam aliquã materiã meditandã suscipimus, non ideo varios circa illã mentis discursus facimus, & cõceptus formamus, vt sola in nobis crescat notitia veritatis; sed potius, vt voluntas circa bonũ efficaciter incalescat, affectus accendatur, & sicut ait propheta, in meditatione nostra exardescat
Psal. 38. 3. ignis. Et ob hanc ipsam rationẽ quandocumque circa eamdem semel, aut iterum meditatã materiam præscribitur eiusdẽ meditationis facienda repetitio, quia in prima supponitur satis egisse suas partes intellectus, docemur procurare, vt potius exerceãtur affectus Possumus ex eãdem silicis similitudine alia quoque nobis eruere pro hac re documenta. Nam tripliciter solet euenire, vt ex silice, quãuis aliquoties excusso, ignis nullatenus accẽdatur. Primùm quia nulla inde scintilla extrahitur: idem videtur meditanti contingere, cũ ex materia, quæ ad meditandum suscepta fuit, nulli conceptus eliciuntur, nulli formari discursus possunt, vnde aliqua noua consideratio veritatis illucescat. Propriũ huius rei remediũ illud est, vt silex circumuoluatur, ictusq. alia ex parte congeminentur: idest pro re nostra, vt ad aliud caput, siue punctum illius materiæ, quam nobis meditandã accepimus, discursus mentis, & consideratio referatur. Secundò, euenit aliquando non paucas à silice repercusso, hinc, atque inde prodire scintillas; sed nullam in fomitem rectã incidere, omnes aliò ferri, & statim extingui: simile aliquid illi in oratione experiuntur, qui plures quidem, & pios formant in oratione conceptus, sed alienis auribus dandos potius, quã cordi proprio dirigendos, & concioni magis, quam meditationi accommodatos. Tertiò, fieri etiam solet, vt recta ferantur, & in fomitẽ incidant excussæ scintillæ; sed humido aëre ambiente, vel non satis exsiccata materia ibidem subito extinguãtur. Hoc autẽ in re nostra nihil est aliud, quam meditata sibi quidem applicare, pios affectus sibi excita-

re, bona proposita formare, sed quia vel nimis sunt languida, vel quamuis feruida voluntas pro tempore orationis videatur, vltra tamen non fertur, sed in seipsa sensim deficit, renitentia viuidæ sensualitatis, & non satis domitarum aduersantium affectionum. Atque hæc in genere de motibus intellectus, & affectus hoc loco fuerant dicenda; nunc de quibusdam speciebus, & differentijs internæ orationis est agendum.

CAPVT TERTIVM.

De quatuor primarijs speciebus orationis, quas nobis commendat S. Paulus.

1 VISO genere orationis mentalis, sequitur eius primariæ species explicandæ; genus diximus esse pias intellectus, & affectus nostri motiones circa Deum, & res diuinas iuxta S. Damasceni definitionem alibi à nobis expositam: *Oratio est ascensus mentis, siue nostri spiritus in Deum*, & S. Augustini: *Oratio est ascensus animæ à terrestribus ad cælestia, & inquisitio supernorum, & inuisibilium desideriorũ.* Vnde visum est aliquibus, ipsum nomen meditationis rei, de qua agimus, veluti concisam esse definitionem, & dictam meditationem quasi mentis ad Deum itionem, vel si licet dicere, propter frequentiã actus, itationẽ: cuius itineris passus sunt notitia, & affectus; pedes, voluntas, & intellectus, sicut hactenus est explicatum. Iam verò de speciebus orationis magis in particulari loquendo, Abbas Isaac apud Cassianũ censuit esse propemodum innumerabiles, & sola reuelatione sancti Spiritus posse cognosci. Aliter enim, vt ipse ait, tristis orare consueuit, aliter lætus, & alacer, vel qui alia ratione sit affectus; aliter qui istam, & non illam rem diuersam à Deo postulat. Sed huiusmodi orationum differentiæ non tam specificæ, & essentiales esse videntur quàm accidentales, & indiuiduales: specificas verò ad quatuor primarias species commodè reuocabimus. Eas valde, nec vno tantùm in loco nobis commendauit Apostolus: in primis enim scribens suam priorem Epistolam ad Timotheum, mandat *primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones.* Et vt intelligeremus non fuisse ca-

Genus orationis internæ est pia motio intellectus, & affectus.

S. Dam. lib. 1. fid. cap. 14.

Caſſ. coll. 9. cap. 7.

Species accidẽtalibus orationis sine numero.

1. Ad Tim. 2. 1.

N 2 su,

ſu, vel ſine cauſa tot differentias orationis non plures, vel pauciores enumeratas, iterum eaſdem repetit ſcribens ad Philippenſes: *in omni*, inquit, *oratione, & obſecratione, cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum*. Quæ quidem verba licet varias habeant interpretationes, in ſenſu tamen rei noſtræ maximè accommodato cum Caſſiano ſupra, & S. Hilario interpretabimur.

Ad Philip. 4. 6.

Caſſ. coll. 9. c. 8. & 9.

S. Hilar. in Pſal. 140.

Quatuor fines proximi orationis internæ quatuor conſtituūt ſpecies meditationis.

2 Eſt igitur obſeruandum mentalem orationem vtpotè internam, & ſpiritualem actionem ab interno, & immediato fine ſpecificari, qui ſcopus eſt, & obiectum, ac ferè materia circa quam talis operatio verſatur. Huiuſmodi autem fines quatuor potiſſimum eſſe poſſunt: primus animæ purgatio à vitijs, & peccatis, à prauis inclinationibus, & indomitis paſſionibus: ſecundus eſt illuminatio mentis, acquiſitioq. virtutum: tertius earundem virtutum firmitas, & conſiſtentia in ſtatu quodam heroico, & quantum fieri pro hac vita poteſt, impermutabili: quartus vnio ſumma cum Deo, qualis homini mortali fas eſt cum diuina gratia nunc adipiſci. Ad hos quatuor fines obtinendos, media, & viæ ſunt quatuor prædictæ ſpecies orationis, & exercitiorum ſpiritus ordine ab Apoſtolo præſcripto, & à nobis ſupra iam recenſito: videlicet pro primo, obſecratio, pro ſecundo poſtulatio, pro tertio oratio, pro quarto actio gratiarum. Ne autem hæc ad præſens inſtitutum longè nimis accerſita eſſe videantur, exponemus de ſingulis alia quatuor: primum qui actus intellectus in qualibet ex his quatuor ſpeciebus orationis ſint exercendi: ſecundò, quinam actus voluntatis: tertiò, inde facilè conſtabit, cur eam orationis ſpeciem tali nomine ſanctus Paulus appellauerit: quartò, ex re, & nomine ſic explicato, quia nomina ſolent eſſe quædam inchoatæ rerū definitiones, ad completam illius ſpeciei definitionem perueniemus. Ex his præterea quædam alia ſcitu valde digna facile deducemus, nempe quàm conuenienti ordine ac methodo materia ſpiritualium exercitiotum vniuerſa in quatuor fuerit diſtributa claſſes, quas hebdomadas Auctor ſpiritualium exercitiorum appellauit, & nos aliquando manſiones. Itavt primæ, in qua de peccatis agitur, & de hominum nouiſſimis, prima ſpecies orandi reſpondeat, quam obſecrationem Apoſtolus nominauit: Secundæ verò hebdomadæ, in qua agitur de Chriſti Domini, et Sanctorum imitatione, reſpondeat ſecunda ſpecies orationis: Tertiæ autem hebdomadæ tertia, & quartæ denique reſpondeat quarta.

3 Vt igitur à prima orandi specie incipiamus, primum omniũ ait Apostolus fieri debere obsecrationes, vel vt sancti Ambrosius, & Augustinus legunt, deprecationes, idest demississimæ precationes, & supplicationes affectuosissimæ, quales esse solent mendicorum, & infimæ sortis hominum extrema egestate laborantium, hæc enim vis est in voce δεήσεις, qua vtebatur Apostolus, & pro qua vulgatus interpres reddidit *obsecrationes:* has diximus respondere primæ hebdomadæ exercitiorum. In hac ergo primi nostri spiritus mansione, siue hebdomada internorum exercitiorũ requirũtur primùm ex parte intellectus claræ, certæ, firmæ notiones turpitudinis, malitiæ, & fœditatis peccati, & qua ratione nihil sit in mundo, quod tam propriè, atque simpliciter dici debeat, & reuera sit malum, sicut est peccatum; à quo alia omnia, quæ denominantur mala, tãquàm à fonte proprio ducunt originem infernus, dæmon mors animæ, & corporis, quæcumque ægritudines, totius naturæ corruptio, quidquid formidabile, quidquid luctuosum, & miserabile, quidquid denique aliqua ratione siue dolendum, siue timendum accidit, aut accidere potest in mundo vniuerso. Hinc secundo sequitur, ex parte voluntatis requiri actus maximi cuiusdam odij, detestationis, atque abominationis peccati supra omne detestabile, & abominabile: eò quòd vna tantùm mortifera culpa sit malum omnibus alijs mundi malis etiam simul sumptis, atque in altera stateræ lance collocatis, sua quodammodo infinita grauitate præponderans. Hinc etiam constare potest tertium, quàm conuenienter primam hanc orandi speciem deprecationem, siue obsecrationem Apostolus nominauerit: quia nimirum tota versatur in agnoscenda, detestanda, & humillimis supplicationibus auertenda summa peccati miseria, & bonorum spiritualium extrema necessitate, atque egestate. Huius generis erant, quæ S. Augustinus initio suæ ad Deum conuersionis meditabatur, tales humillimi cordis instituebat coram Deo supplicationes, vt ipse de se refert in suis confessionibus: *Vbi enim* inquit, *à fundo arcano alta consideratio contraxit, & congessit totam miseriam meam in conspectu cordis mei oborta est procella ingens ferens ingentem imbrem lacbrymarum, & dimisi habenas lacbrymis, & proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile sacrificium tuum, & in hanc sententiam multa dixi tibi: & tu Domine vsquequo? vsquequo Domine irasceris in finem? ne memor fueris iniquitatum nostrarum antiquarum. Sentiebã enim me ab eis teneri, & iactabam voces miserabiles, quare non*

Prima species orationis respondens primæ hebdomadæ exercitiorum.

S. Aug. lib. 8. conf. cap. 12.

modo, quare non hac hora finis turpitudinis meæ? Quæ cum ita ſint, mirari non debemus orationis exercitium ita fuiſſe à S. Gregorio alicubi definitum: *Veraciter orare eſt amaros ex compunctione gemitus, non compoſita verba reſonare*; nempe quia, non orationem in genere, neque ſpeciem eius quamcumque; ſed hanc primam voluit circumſcribere: & hoc erat quartum, quod pro hac ſpecie orationis debuimus explicare.

S. Greg. l. 14. mor. c. 27.

Secunda ſpecies orationis reſpondens ſecundæ hebdomadæ exercitiorum.

4 Secundam ſpeciem meditationis abſolutè orationis nomine S. Paulus appellauit, hanc dicebamus ad materiam ſecundæ hebdomadæ eſſe referendam. Quare habere primùm debebit ex parte intellectus conceptus de doctrina, & exemplis vitæ noſtri Saluatoris ſublimiſſimos: neque enim eſt quicumque Magiſter, ſed ipſa increata ſummi Dei ſapientia, æternum æterni Patris Verbum, cathedram in cælo habens; quod vt à terrigenis mortalibus perciperetur, *caro factum eſt, & habitauit in nobis:* & à ſuo æterno Patre in excelſo monte voce de cælo veniente, noſter ſupremus doctor eſt declaratus: quam vocem articulato ſono, & clariſſima luce, cum alijs duobus Iacobo, & Ioanne teſtibus locupletiſſimis ſe percepiſſe Princeps Apoſtolorum in ſua Epiſtola profitetur: *Non enim doctas fabulas ſecuti*, inquit, *notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem, & præſentiam, ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim à Deo patre honorem, & gloriam, voce delapſa ad eum huiuſcemodi à magnifica gloria: hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipſum audite.* Secundò hinc efficitur oportere in voluntate digni affectus excitentur erga hunc cæleſtem Magiſtrum, eiuſque altiſſimam doctrinam, & ſanctiſſimam diſciplinam. *Quod ſi Apollonius ille potius Magus, quam Philoſophus, naturalis tamen ſcientiæ cupidiſſimus,* vt ſcribit in epiſtola ad Paulinum S. Hieronymus, *intrauit Perſas, pertranſiuit Caucaſum, Albanos, Scythas, Maſſagetas opulentiſſima Indiæ Regna penetrauit: & ad extremum latiſſimo Phyſon amne tranſmiſſo peruenit ad Brachmanas, vt Hiarcam in Throno ſedentē aureo, & de Tantali fonte potantem inter paucos diſcipulos, de natura de motibus ſiderum, ac dierum curſu audirēt docentem:* Plato vſque in Aegyptum, Pythagoras ad Menphiticos Vates longas, & periculoſas peregrinationes ſuſceperunt auiditate diſcendi: quo nos tandem ardore animi, quo incendio deſiderij, qua mentis eſtaſi? aures noſtri cordis cæleſti doctrinæ præbere deberemus, quàm altiſſimus Deus, non iam per Prophetas, non per Angelos tradidit, ſed ore filij ſui vnigeniti,

Ioann. 1. 14. Matt. 17. 1. 2. Pet. c. 1. 17.

S. Hier. in ep. ad Paul.

niti, coæterni, coæqualis, & consubstantialis sibi, ad nos in substantia nostræ mortalitatis benignissima dignatione missi, qui nihil doceret verbo, quod opere non comprobaret, miraculo non confirmaret, & vitæ suæ omnium virtutum exemplo absolutissimo ad imitandum non minus, quàm ad meditandum proponeret. Atque hinc licet deducere tertium, cur videlicet hoc genus meditationis sub communi, & generico nomine orationis ab Apostolo fuerit significatum: nempe quia nō vnius, aut alterius tantum virtutis, sed prorsus omnium honestissima desideria, pia & sancta proposita, votaque complectitur. Vt proinde, quod quarto loco nobis erat deducendum, non immerito Ioannes Climachus, omnium sanctarum virtutum matrem orationem esse definiuerit, & ante ipsum S. Ioannes Chrysostomus: *Nequaquam* inquit, *aberrabit à vero, si quis affirmauerit orationem esse causam omnis iustitiæ, & virtutis.* Possumus etiam id quod de obedientiæ virtute S. Gregorius affirmauit, huic speciei orationis, mutato solùm nomine obedientiæ applicare, ac dicere: *Oratio sola virtus est, quæ virtutes cæteras, menti inserit, insertasq. custodit.*

Ioann. Clim. gr. 28.
S. Chrys. lib. 2. de orādo Deū.
S. Greg. l. 35. mor. c. 10.

5 Tertio loco mandat Apostolus fieri postulationes, quæ ad materiam tertiæ hebdomadæ, vbi de mysterijs Dominicæ Passionis agitur, apte referuntur. Debebit igitur circa illam primū in intellectu actus concipi viuacissimæ, & firmissimæ fidei, non esse hominem tantummodo illum, qui talia patitur, sed ipsum altissimi filium, splendorem paternæ gloriæ, & lucis æternæ candorem. Hanc viuam fidem profitebatur Apostolus, cum diceret: *in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me:* eamq. certissimam veritatem adeo non timuerunt sacri omnes Euangelistæ aliqua ex parte obscurare funesta historia eius ignominiosissimæ, & acerbissimæ passionis; vt cum alia permulta breuiter ab ipsis referantur, alia ex parte, vel ex toto prætermissa ab alijs suppleantur, nihil tamen fusius, nihil accuratius mysterio Crucis ab omnibus simul quatuor Euangelistis expositum habeatur. Hinc secundo loco deducemus, quales in hac materia, & genere meditandi actus ex parte voluntatis esse debeāt. Nam sicut virtutes, quas in sua sacratissima Passione Saluator exercuit, omnes in gradu heroico, & sublimissimo extiterunt, ita etiam affectus illam meditantium ardentissimi esse deberent: quales erant illius, qui dicebat: *Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* eamdemq. salutiferæ Cru-

Tertia species orationis respōdens tertiæ hebdomadæ exercitiorum.
Ad Hebr. 1. 3.
Sap. 7. 26.
Ad Gal. 2. 20
Ad Roman. 8. 35.

cis doctrinam altè imbiberat Sanctissimus Martyr Ignatius, qui propterea illud identidem repetebat: *amor meus crucifixus est*, & ad reciproci huius amoris experimẽtum in seipso, omnia huius vitæ tormenta subire voluisset; vt propterea sic scripserit in sua quadam Epistola ad Romanos: *Ignis, Crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum diuisio, & totius corporis contritio, & omnia tormenta Diaboli in me veniant; tantum Christo fruar: & nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his, quæ videntur desiderans, vt Iesum Christum inueniam.* Hoc genus orationis conuenienter intelligi potest sub nomine postulationis fuisse ab Apostolo significatum; constat enim ardentissimis votis, & petitionibus efficacissimis. Neque verò is, qui Dominicam Passionẽ ita meditatur, solum ad postulãdum, & impetrandũ verum etiam ad imitandas Christi Domini sublimissimas virtutes in illis mysterijs, excellentiori quodam modo relucentes, excitari debet, & ad omnem perfectionẽ stimulis quibusdam vehemẽtioribus perurgeri. Quapropter Seraphica Virgo Catherina Senensis contemplationem Passionis nostri Redemptoris Inferno quadam ratione assimilabat: nam sicut in Canticis dicitur: *fortis est vt mors dilectio, dura sicut Infernus æmulatio, & lampades eius lampades ignis, atque flammarum.* Siue enim frigeat, vel tepida sit anima in studio perfectionis, & acquisitione virtutum; siue ferueat in diuina dilectione, dummodo per seriam considerationem, Dominicæ Passionis mysteria bene ingrediatur, fieri vix potest vt inter tot vibratas in nos amoris Diuini flammas non incendatur, exuratur, & quodammodo absumatur.

S. Ign. in ep. ad Roman & apud S. Hier. de scrip. eccl.

Cant. 8. 6.

6 Quarta species orationis actio gratiarum ab Apostolo est appellata: hãc diximus hebdomadæ quartæ meditationibus respondere, cuius propria materia est Christi Domini gloriosa resurrectio, apparitiones variæ per dies quadraginta, vsque ad triumphum eius in cælum ascensionis, cælestis gloria Sanctorũ, status beatorũ in alia vita, & fœlicitatis æternæ. Quare supponit hæc species contemplationis, primùm ex parte intellectus valde eleuatas de rebus æternis, & supernaturalibus illuminatæ mentis apprehensiones, altum de Diuinis perfectionibus, & attributis iudiciũ, de gloria cælesti, de felicitate Sanctorum, de diuinis non tam naturæ, quam gratiæ beneficijs viuam memoriã, intentas cogitationes: vt possit, qui in hac meditationum classe versatur dicere cum Apostolo: *nostra conuersatio in cælis est.* Secundò supponit ex parte voluntatis, affectus purgatissimos, qui non facile, nisi per alios, & post alios trium superiorum hebdomada-

Quarta species orationis respõdẽs quartæ hebdomadæ exercitiorum.

Ad Philip. 3. 20.

madarum sæpius repetitos, & frequentatos affectus poterunt obtineri;& in tribus maximè consistunt. Primùm in accensis desiderijs rerum inuisibilium,& æternarum, non contemplantibus nobis,quæ videntur,sed quæ non videntur. Deinde consistit in quadam nausea, & fastidio rerum terrenarũ, in quarum summa affluentia licet Regius Propheta Dauid versaretur, magis tamẽ intentus delicijs spiritualibus,& æternis dicebat: *Quid mihi est in cælo,& à te quid volui super terram? defecit caro mea, & cor meum Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.* Similiter feruentissimus Dei Apostolus de rebus hisce caducis, atque terrenis digna metaphora sic loquebatur: *Verum tamen omnia existimo detrimentum esse propter eminentem scientiam Iesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora, vt Christum lucrifaciam.* Nec est absimile, quod de Societatis nostræ Institutore Ignatio legimus solitum illum vbi à terra ad cælum oculos intendisset ea verba proferre. *O quam mihi sordet terra cum cælum aspicio?* Tertiò, consistunt hi purgatissimi affectus in summa nostræ voluntatis cum diuina conformitate: ita vt vndecumque, & quocumque modo nobis eius diuinum beneplacitum innotescat, pro regula omnium nostrarum tum actionum, tum appetitionum habeatur; neque minus in prosperis, quàm in aduersis nobis placeat Deus, nosque Deo placere in alterutris æquo, & prompto animo studeamus. Hinc licet agnoscere, cur quarta hæc species orationis actio gratiarum ab Apostolo sit appellata. Tota enim fere transigitur in Deo benedicendo, gratias ei agendo, eius magnalia admirando, beneficia ipsius tam multa, tam varia,tam insignia celebrando. Et quia plerique ex Dauidicis Psalmis ab hac nobiliori specie contemplationis prodiere, ideo frequentiores huiusmodi affectus in Psalmis esse inueniuntur, vnde illa passim occurrunt: *Benedicam Dominum in omni tempore: Sit nomen eius benedictum in sæcula: Sic benedicam te in vita mea: Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt nomini sancto eius: Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius.* Tum varia beneficiorum diuinorum genera passim enumerantur: *Qui propitiatur omnibus, iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas,qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia & miserationibus,qui replet in bonis desiderium tuum.* Quare posset hæc quarta species orationis, tùm ex S. Paulo,tùm ex S. Augustino, ita definiri: *est ascensio animæ de terrestribus ad cælestia,*

Psal. 72. 25.
Ad Phil. 3. 8.
Psal. 33. 2.
Psal. 71. 17.
Psal. 62. 5.
Psal. 102. 2.
S. August. ser. 230. de tempore.
Ad Phil. 3. 20

ſtia, ſupernorum, & æternorum inquiſitio deſideriorum, atque in cælis, quantum homini mortali conceditur, per ſpiritum conuerſatio.

CAPVT QVARTVM.

De alijs quatuor formis orandi mentaliter, quas idem Apoſtolus commendat.

1 EXPLICATIS quatuor primarijs orationis internæ ſpeciebus; iuxta quatuor generales materias meditandas, ad quas omnes alię facilè reuocantur; idque ex Apoſtoli commendatione, & doctrina; opportunè hoc loco ex eodem Apoſtolo declarabimus alias conſiderationum formas, ſeu modos vniuerſales, ſingulis illis materijs inter meditandum applicandos. Hos vt exponamus, & qua ratione inter ſe diſtinguantur oſtendamus, animaduertere oportet, accedentibus nobis ad aliquam materiam attenta contemplatione diutius meditandam, vbi eam per conſiderationem ingredimur euenire communiter ſolere, idem quod ijs, qui pulchras aliquas, & amplas ædes ingrediuntur. Primo enim coniectu oculorum ædificij faciem, iuxta longitudinem proſpiciunt: ſecundò aliquanto diligentius ad eius latitudinem, ſiue extenſionem oculos conuertunt: tertio eos attollunt ad murorum altitudinem: quartò demum qualis, & quanta debeat eſſe profunditas fundamentorum, inde conijciunt. Quapropter vbi ſtructura admiranda ſupernæ Ciuitatis Ieruſalem Euangeliſtæ Ioanni demonſtrabatur in Apocalipſi, aderat ante muros Angelus qui arundine aurea illius pretioſiſſimi, & fulgentiſſimi ædificij, latitudinem, longitudinem, altitudinemque metiebatur, & fundamenta muri lapide pretioſo ornata demonſtrabat. Quamuis autem in materijs, circa quas verſari meditatio noſtra ſolet, vtpote magis plerumque inuiſibilibus, & ſpiritualibus, quàm ſenſibilibus, & corporalibus; non tàm attendenda ſit magnitudo quantitatis, & molis, quàm eminentia virtutis, & altitudo myſteriorum; tamen etiam illa non numquam ad materiam faciet noſtræ contemplationis. Vt cum in prima hebdomada exercitiorum, circa pœnas damnatorum melius meditandas, admone-

Cur meditatio in quatuor formas generales diſtingui debeat.

Apoc. 21, 15.

admonemur inferni longitudinem, latitudinem, profunditatem, & totius loci horribilem vastitatem esse considerandam. Sed pro magnitudine virtutis quadripartitæ huiusmodi spirituales dimensiones, vt solent frequentius occurrere, ita etiam fructuosius poterunt in meditatione examinari. Et de his maximè loquebatur S. Paulus, cum ad Epesios scribens, illos primum hortabatur in spiritu, & fide corroborari; deinde in charitate radicari, & fundari: *Vt possitis*, inquit, *comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum*. Sed mirum est quomodo suspensam nobis hanc sententiam reliquit: neque enim vlterius exponit in quibus nostræ fidei mysterijs hæ quatuor dimensiones debeant considerari; forte quia considerari possent in omnibus, aut saltem in plurimis, & plerisque: nisi quod videtur colligi ex antecedentibus, & consequentibus de mysterijs potissimum nostræ redemptionis per Christi salutiferam Crucem ibi esse sermonem. Vocat autem Apostolus mysterium hoc absconditum à seculis, & inestimabiles Christi diuitias, non nisi Deo reuelante peruestigabiles in cuius sapientiæ, & scientiæ comparationem omnem aliam scientiam protestatur se cõtempsisse: *Neque enim*, inquit, *iudicaui me scire aliquod inter vos, nisi Iesum, & hunc crucifixum*. Quare vt hinc exemplum pro alijs materijs desumanus, in ipsa Cruce Saluatoris per quatuor prædictas dimensiones, quatuor huiusmodi formas, & modos contemplandi, qua ratione possent inuestigari pro exemplo exponemus. *Ad Eph.3.18* *1.Cor.2.2.*

2 Primum itaque offert se nobis in Christi Cruce, siue potius in ipso Christo Crucifixo, contemplanda latitudo, ea verò non iuxta dimensiones quantitatis, sed iuxta excellentiam virtutis, quæ duplex est, altera diuinæ, altera humanæ eius naturæ conueniens. Prima est immesitas, secunda est eius immensa charitas. Immensum est, quod mensurari præ magnitudine non potest; neque enim sufficit nullas habere partes, sicut anima rationalis, quæ impartibilis cum sit, non est pars in parte, nec esse potest, sed tota in toto, & tota in qualibet parte corporis illius quod ipsa informat: & similiter Angelus, si velit sua substantiali præsentia definitum locum implere, non propterea quòd illi loco per partes, quibus ipse caret non commensurabitur, ideo erit immensus; necessario enim circumscriptæ alicuius mensuræ spatio difinietur. At non sic in omni perfectionis genere infinitus Deus, cuius in immensum per interminata spatia diffusæ substantiali præsentiæ quantumuis magna, & centies

Latitudo in Christi Domini Cruce, quomodo cõtemplanda, altera ex parte diuinæ, altera ex parte naturæ humanæ.

millies

millies replicata mensura conferatur, adæquari numquam poterit, quantumuis non solum mundus hic vniuersus, sed etiam extra, & vltra istum mille mundorum millia esse intelligantur; & propterea exclamabat Propheta Baruch: *O Israel quam magna est domus Dei & ingens locus possessionis eius? Magnus est, & non habet finem; excelsus, & immensus*. Et ex hac ad aliam progrediemur immensitatem considerandam, latissimæ videlicet charitatis nostri Redemptoris, qua manus, & brachia in Cruce protendit ad omnes quantumuis maximos peccatores benignissimè suscipiendos. Nam cui tandem non erit paratus ignoscere, si ab ipso atrocissimo, & ignominiosissimo Crucis patibulo pendens, exanguis, toto corpore cruciatibus extremis afflictissimo, veniam ab æterno patre pro suismet Crucifixoribus postulat? neque solum postulat, sed etiam se ipsum in victimam, & sacrificium, totumque suum sanguinem offert pro illis à quibus post tot accepta beneficia cruci inter duos latrones affigebatur, sine vllo erga se pietatis sensu, aut signo compassionis; immo insuper contumelijs, irrisionibus, blasphemijs, ita moriens, & mortuus adhuc impetebatur. Hæc charitas quanta sit, si illuminato mentis oculo bene attendatur non nisi Dei charitatem esse potuisse, & hominis ita deificati, vt in persona ipse sit Deus, intelligetur; & inde facilius deprehendetur, quàm ex terræmotu, & petrarum scissione, ex obscuratione solis, Deum non alium summæ nimirum bonitatis esse debuisse illum afflictissimum hominem, qui talia perferebat corde tam æstuante, affectu tam benefico, in illos, à quibus, & pro quibus patiebatur. *Nullum*, inquit S. Ambrosius, *hoc maius diuinæ personæ est testimonium, nihil est, quod magis esse vltra hominem videatur, quam toto vnum se obtulisse pro mundo, hoc vel solo plane Dominus declaratur. Vnde sic designatus est à Ioanne: ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*.

Baruch. 3. 24

S. Ambr. in c. 7. lucæ.

Longitudo in Christi Cruce consideranda duplex.

3 Secundo offert se in Christi Cruce consideranda longitudo, quæ secũdùm naturam diuinam est æternitas, iuxta humanã longanimitas, seu inuicta eius patientia. Aeternitas Dei nihil est aiud nisi inuariabilis in suo diuino esse, & in omni eius perfectione, quæ est ipsius esse, absolutissima perduratio; cuius durationis non fuit, nec potest esse, aut excogitari principium; non erit, nec potest esse, nec intelligi vmquam finis; est enim in se per omnia, & super omnia impermutabilis: *Stabilis*, ait S. Augustinus, *& incomprehẽsibilis, opera mutans, non mutans consiliũ, semper agens, semper quietus, numquam nouus, numquam*

S. Aug. lib. 1. conf. cap. 4.

vetus,

vetus innouans omnia. Ego enim Dominus, ait per Malachiam *Deus, & non mutor*. Mutatur per singulas horas, & per singula pene momenta mortalis homo semper festinans ad mortem, vt conpleta mutatione aliquando ex toto moriatur: moriuntur, & vrbes, & regna, & monarchiæ, morietur etiam quodammodo ipse mundus, vt resurgat innouatus ab eo, à quo primum fuit ex nihilo conditus, cui propterea in Psalmo cantatur: *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*. Sed ecce, qui secundum naturam diuinam est extra tempus, secundum humanam pro nobis assumptam esse cœpit in tempore, & numerare sibi dies, & annos, in quibus operaretur mira, pateretur indigna, atrocissima sustineret; eaque tali, ac tanta longanimitate, atque adeo insuperabili patientia; vt sicut antea de charitate dicebamus, sola ipsa illuminato mentis oculo bene perspecta non puri hominis, sed Dei in humana carne viuentis oportere esse fortitudinem, talia æquo animo sustinentis, posset ostēdere. Quamuis autem virtus hæc admirabilis tribus illis horis potissimum apparuerit, quibus Saluator innocentissimus lacero, & exangui penitus corpore inter duos facinerosos pendebat in Cruce; vix tamen assequi cogitatione possumus, ne dum explicare oratione, quanta, & qualis etiam fuerit antea, cum osculo à Iuda se tradi conscius iniquæ proditionis permisit, à satellitibus capi, & tamquam innocens agnus ligari, recusato humano Apostolorum, & Angelico cælestium legionum auxilio, & virgis, quasi vile mancipium cædi. Sed neque tunc primum cæpit eius in aduersis perferendis inuicta constantia, & perseuerantia: immo non prius apparuit in nostra carne mortali, & passibili Dei Verbum immortale, & impassibile, quàm huius fortitudinis actus perfectissimos in gradu sublimissimo ab ipso materno vtero exerceret: ibi enim primum animo promptissimo ad cruentum sacrificium Crucis pro nostra redemptione se obtulit. Nam ita ex Propheticis Psalmi verbis plane contigisse intulit in Epistola ad Hebræos S. Paulus, vbi conferens antiqua sacrificia cum Christi sacrificio consummato in Cruce: *Impossibile*, inquit, *est sanguine hircorum & taurorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit: hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt; Tunc dixi: ecce venio*: idest vt me offeram in sacrificium pro humani

Malach. 3. 6.

Psal. 101. 26.

Psal. 39. 7.
Ad Hebr. 10. 4.

humani generis redemptione: *& vt omnes differentias hostiarum*, ait S. Leo; *vna corporis, & sanguinis Christi impleat oblatio:* ad quam etiam voto statim emisso se obstrinxisse in ipso conceptionis instanti graues theologi docuerunt: hanc enim sententiam aliquo modo verba illa significant, quæ in eodem Psalmo in persona Christi ponuntur, & à S. Paulo inde referuntur: *vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei*. Et quamuis immolandus Isaac, qui figura extitit Saluatoris, dum ad montem, cum sene parente progrederetur, & ligna in sacrificium sibi gestaret, planè ignoraret se victimam destinatum; neque vt illi id aperiretur in via, paterna pietas concessit. Nam interroganti filio: *pater mi, ecce ignis & ligna: vbi est victima holocausti?* Respndit pater: *Deus prouidebit sibi victimam holocausti fili mi*, & ligari nisi paterna manu, atque in ipso explendi sacrificij tempore, non antea debuit. Tamen verus noster Isaac in primo suæ conceptionis instanti clare intellexit absolutum æterni patris de sua morte decretum, & Crucem illam visibilem, quam pro extremo vitæ suæ die ad Caluarium Montem semel gestauit, à primo sui in mundum ingressu semper inuisibiliter portandam suscepit, semperque in ea descriptum opus nostræ redemptionis, ad quod perficiendum spontè se obtulerat, & voto se speciali obligauerat, ante se habuit. Et hoc est, quod futurum aliquando prædictum fuit illis verbis ab Isaia: *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur: ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo*. Et iterum inferius: *dicite filiæ Sion: Ecce Saluator tuus venit, ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo*.

S. Leo ser. 88. de pass. — Gen. 22. 7. — Isa. c. 40. 10. — Isai. 62. 11.

Sublimitas in mysterio Crucis duplex.

4 Tertio adhortatur nos Apostolus, vt contemplemur, quæ sit sublimitas. Hanc in diuina Christi natura possumus interpretari omnipotentiam, quippe quæ sit causa causarum omnium altissima & prima: in natura vero humana, quod sit causa meritoria suprema omnium causarum meritoriarum. Dari autem aliquam causam omnium aliarum causarum primam, ex ordine ipsarum causarum mundi sapientes intellexerunt: ad eius tamen altitudinem percipiendam sitam in illius omnipotentia, non adeo multi per naturalem scientiam peruenerunt. At nihil est ferè, quod sæpius à diuinis scripturis doceamur, quàm Deum esse omnipotentem. *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum*, dicebat Nuncius mysterij omnium altissimi Gabriel Angelus: etsi omnipotens ille haberi debet, qui omnia, quæcum-

Luc. 1. 37.

que vo-

que voluerit facit, & non est, qui eius possit resistere voluntati. profecto is non est alius, nisi Deus noster; de quo propterea dixit Propheta. *Deus autem noster in cælo, omnia, quæcumque voluit fecit, & non est qui eius possit resistere voluntati. Quoniam ex ipso,* ait Apostolus, *& per ipsum, & in ipso sunt omnia:* ex ipso videlicet accipiendo quòd sunt; per ipsum, vt operentur; & in ipso habendo, quòd conseruentur. Est autem ex quadruplici capite sublimissima hæc Dei potentia valde admirabilis: primùm quia potest facere quidquid ordinata voluntas potest appetere vt fiat, hoc est quod in se fieri non repugnat; si enim non repugnat in se fieri, profecto fieri ab aliquo posse necesse est; et si ab vllo à quo magis, quàm ab omnipotente? Nec minus ex alio capite diuina hæc omnipotentia est admirabilis; quia summa facilitate, atque adeo celeritate quæcumque, & quandocumque voluerit operatur. Cum enim mora, & difficultas in operando non nisi ex aliqua resistentia oriatur, ei cui nihil potest resistere, nec tarditas, nec difficultas vlla poterit in operando contingere. Hinc est quòd opera ipsius per verbum eius toties in Scripturis sacris facta esse narrantur. *Verbo Domini cæli firmati sunt*, ait Dauid, *& spiritu oris eius omnis virtus eorum: ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit & creata sunt*. Vnde etiam quasi per iocum in operosissima totius mundi molitione potentiam Dei sapientissimam, & sapientiam potentissimam operatam esse ipsa de se Dei sapientia testatur, cum ait: *Quando appendebat fundamenta terræ cum eo eram cuncta componens, & delectabar per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum*. Tertiò est admirabilis hæc diuina omnipotentia, quia nullo præsupposito subiecto, nulla materia præcedente operatur: ita vt quemadmodum terram vniuersam suspendit in nihilo; sic eadem facilitate, ac virtute illam prius eduxit ex nihilo, & cælos similiter, atque alia elementa. Nam hoc est quod primis illis verbis docemur in Genesi: *In principio creauit Deus cælum, & terram*. Quartò denique est omnipotentia Dei planè admirabilis ex eo, quia non solum omnia, quæcumque voluerit potest efficere, & id quidem summa facilitate, incredibili celeritate, ex puro nihilo, & sine subiecto; sed prætera sine vllo prorsus instrumento, vel secundarum causarum adiumento. Immo non desunt viri sapientissimi, qui tantam esse in actione creandi eminentiã diuinæ potentiæ censuerunt, vt negent illi actioni posse misceri influxum causæ vllius creatæ, etiam eleuatæ per modum simplicis instrumenti, nec ab alia

virtute

Psal. 113. 3. Esther. 13. 9. Ad Rom. 11. 36. Psal. 32. 6. Psal. 32. 9. Prou. in 30. Gen. 1. 1.

virtute talem actionem posse prouenire, quam solius omnipotentis. Illud certum est, quidquid operatur Deus per causas secundas efficientes, exceptis vitalibus quibusdam operationibus, idest à tali vitæ principio essentialiter dependentibus, efficere posse eadem prorsus facilitate se solo: neque causas secundas ob aliquam indigentiam sibi adiungere in plerisque operationibus comites, & adiutrices; sed vt illas sibi reddat similiores, tum in bonitate, cuius est proprium esse sui communicatiuum, tum in excellentia, & efficacitate virtutis: *Diuinorum enim*, ait S. Dionysius Areopagita, *diuinissimum est, Dei fieri cooperatorem*. Ex hac primæ causæ, & virtutis diuinæ sublimitate transire iam debemus ad causæ meritoriæ in humana Christi natura considerandam eminentiam, & principatum. Hanc sæpe nobis commendat, & maximè extollit Apostolus: nam, vt alia omittam ad Ephesios scribens, post impertitam omnibus sanctis salutem, & pacem, ita suam orditur epistolam: *Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus, in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*. Addit in ipso iustos esse in gratiam, & filiationem Dei adoptatos, in ipso prædestinatos, per ipsum vocatos, & ad bonum nullis nostris meritis excitatos: *ipsius enim*, inquit, *factura sumus creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus*. Et capite sequenti: *Deus autem, qui diues est in misericordia propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis viuificauit nos in Christo, cuius gratia estis saluati, & conresuscitauit, & consedere fecit in cælestibus in Christo Iesu: vt ostenderet in sæculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu*. Habuit autem hoc Christi meritum, vt eius sublimitatem clarius exponamus, septem maximas excellentias. Prima quia fuit infinitum in ratione meriti, propter infinitam merentis in operando Maiestatem: si enim quò dignior fuerit persona operantis, eò gratior esse debebit operatio; cuiusnam dignitatis, & gratiæ non æstimabitur operatio Christi theandrica, hoc est Dei simul, & hominis, sicut eam cum Areopagita Damascenus appellauit, vt quà hominis meritoria, quà verò Dei operatio infinitè meritoria redderetur. Secunda excellentia, quæ sequitur ex prima est Christi meritum, non solum in ratione meriti, sed etiam satisfactionis fuisse infinitum. Si enim, vt optime argumentatur Apostolus, vnius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia Dei,

S. Dio. de cæle-sti hier. c. 3.

Ad eph. 1. 3.

Ad Eph. 2. 4.

Areop. c. 2. de diu. nom. Damasc. lib. 3. fid. c 9.

Ad Roman. 5. 15.

tia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit. Quare sicut si ex Adamo infiniti homines essent nasciturі, omnes quantum est ex ipso, gratia spoliati, & rei æternæ damnationis nascerentur: ita quantum est ex parte Christi, & quidem iure potiori, omnes illi Deo possent reconciliari, & gratiæ, meritorum, ac satisfactionum Redemptoris participes fieri. Tertia horum meritorum excellentia est, non semel tantum in infinitum processisse, atque in immensum pro peccatis nostris fuisse satisfactum; verum etiam toties ea merita Christum replicasse, & multiplicasse, quoties in hac mortali vita meritoriè, ac satisfactoriè operabatur. Itaque tot infinitos cumulos meritorum, & satisfactionum nobis comparauit, quot per triginta tres annos virtutum omnium singulis penè momentis aliquas exercuit actiones. Hæ verò quot, qualesque semper extiterint, solus ille nouit, *qui numerat multitudinem stellarũ, & omnibus eis nomina vocat*. Quarta excellentia fuit, Psal. 146. 4. huiusmodi siue merita, siue satisfactiones à primo instanti conceptionis Christi Saluatoris in ipso adhuc vtero sacratissimo Deiparæ Virginis incœpisse: aderat enim tunc plenissima animi libertas, & vsus eleuatissimæ rationis, nihil minus, quàm adfuerit Angelicis spiritibus in prima eorum creatione. Ideo in hũc sensum à multis illa verba in epistola ad Hebræos dicta de Christo tunc primùm concepto conuenientissimè intelliguntur. *Ingrediens mundum dicit: hostiam, & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi, tunc dixi, ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam*: Ad Heb. 10. 5. de qua animi libera promptitudine subdit Apostolus: *in qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Iesu Christi semel*. Quinta eorumdem meritorum singularis excellentia fuit, sic illa semel per ingressum Saluatoris in hunc mundum, idest à primo suæ conceptionis instanti cœpisse, S. Bon. in breuiloquio p. 4. cap. 7. vt numquam ex toto fuerint intermissa, sed vsque ad vltimum vitæ instans perdurasse. Cùm enim humanus intellectus quamdiu somno, ægritudine, vel aliquo alio sensuum internorum impedimento non detinetur, aliquid semper soleat operari, & Caiet. 3. p. 9. 34. art. 2. & recẽtiores ibi. ad motus etiam suos propositione variorum obiectorum excitet voluntatem; intellectus verò Christi Domini per scientiam infusam absque dependentia à corpore, & à sensibilibus phantasmatibus operaretur; nihil obstabat quominus præter actus semper continuatos intuitiuæ Dei visionis, & amoris beatifici, alios alijs succedentes semper adiungeret: ita vt quando sanctam vnam cogitationem, & virtutis aliquem affectum vellet

abrumpere, alium similem inchoaret, eundo sicut de viro iusto habetur in Psalmo, de virtute in virtutem, & ascensiones in corde suo in hac valle lachrymarum disponendo. Quare in hanc sententiam dictum illud à Christo Domino in Euangelio plures ex sanctis Patribus interpretãtur: *me oportet operari opera eius, qui misit me; donec dies est; veniet nox, quando nemo potest operari.* Septima denique à superioribus deriuata excellentia Christi Domini meritorum, est immensus thesaurus indulgentiarum, Ecclesiæ acquisitus, *de cuius consumptione, vel diminutione,* ait Clemens Sextus, *non est vllatenus formidandum, propter infinitas Christi satisfactiones, & merita, cuius vel modica pretiosissimi sanguinis gutta pro totius humani generis redemptione abundè sufficere potuisset.*

Psal. 83. 6. 7. Ioann. 9. 4. S. Greg. lib. 4. dial. c. 39. S. Chrys. hom. 55. in Ioann. Aug. tract. 44 in Ioan. Hier. in c. 9. Eccli. Clemens Sextus in extr. de pœn. et remiss. cap. vnigenitus.

Profunditas Crucis duplex.

5 Quarto loco nobis occurrit contemplanda profunditas Dominicæ Crucis, quæ iuxta Diuinam Christi naturam, est abyssus imperscrutabilis iudiciorum eius, maximè verò circa reprobos, & prædestinatos: quam profunditatem Apostolus etiamsi raptus ad tertium cælum arcana Dei perceperit, tamen fatetur non debere, nec posse à se, vel ab vllo alio altius perscrutari; & propterea exclamat: *ò altitudo,* siue, vt alij vertunt, *O profundum diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Vnde ait, in quadam Epistola sanctus Augustinus, *cur potius illum liberet, aut non liberet scrutetur, qui potest iudiciorum eius tam magnum profundum, sed caueat præcipitium,* & alibi: *Quare hunc trahat, alium non trahat noli velle iudicare, si non vis errare.* Illud interim nobis sufficiat, nulli primam gratiam dari ex suis meritis, nulli ex toto negari sine demeritis, omnibus aliquomodo paratam haberi, quamuis immeritis, plurimis donari cum magnis demeritis. Cur autem sicut habetur parata pro omnibus, non ita offertur, vt acceptetur ab omnibus, explicari à nobis aut intelligi in hac vita non potest: *nisi quia,* inquit sanctus Augustinus, *vniuersa ista humani generis massa damnata est, contumeliam debitam reddit iustitia, honorem donat indebitum gratia, non meriti prærogatiua, non fati necessitate, non temeritate fortunæ, sed altitudine diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quam non aperit, sed clausam miratur Apostolus clamans: ò altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei.* Ex hoc profundo imperscrutabili diuinitatis emergentes, in aliud multo securius profundum humanitatis Christi deueniemus,

Ad Rom. 11. 33. S. Aug. ep. 105 Tract. 26. in Ioann. S. August. ep. 105.

mus, contemplaturi abyssum humilitatis animæ illius omnium sanctissimæ; cuius etiāsi summa fuerit in gratia, virtute, ac perfectione, quæ de lege ordinaria potest contingere creaturæ rationali sublimitas, & excellentia, vt minimè omnium ei videretur posse conuenire animi demissio per humilitatē; nihilominus tamen in hac virtute, sicut in cæteris longè omnes alios superauit. Nam sicut ex cæcitate mentis, & nimio atque peruerso amore sui ipsius, superbiæ spiritus generatur, ita ex abundantia superni luminis, & bene ordinata sui, ac Dei dilectione virtus nascitur humilitatis: quam propterea sic definiuit S. Bernardus: *est virtus qua homo verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit.* Cùm igitur anima nostri Redemptoris supra omnes aliàs intellectu præditas creaturas, etiam supra omnes spiritus Angelicos, Dei naturam, bonitatem, attributa, & perfectiones clarissimè agnosceret, ardentissimèq. diligeret, intimam suam dependentiam à primo illo rerum omnium principio perfectius discerneret, eximia collata sibi dona, & singularia beneficia melius, quam quisquam alius perpenderet; quid mirum si illi sublimissimæ naturæ magis, quam alia quæcumque creatura se inclinabat, illi se demittebat, illam summè reuerebatur, & propter illā maxime omniū despici, & cuicūque subesse toto cordis affectu cupiebat? Rectè autem S. Bernardus duas facit humilitatis differentias, alteram vocat cognitionis, & mentis, alterā affectionis, & cordis. *Priore* inquit, *cognoscimus, quod nihil sumus, & hanc discimus à nobis ipsis, & propria infirmitate; posteriore calcamus gloriā mūdi, & hanc ab illo discimus, qui exinaniuit semetipsum formam serui accipiens, qui etiam quæsitus ad regnum fugit, quæsitus ad tanta probra, & ignominiosum supplicium Crucis spontè obtulit semetipsum.* Vt autē intelligamus in quo sensu S. Bernardus negare videatur primā humilitatis differentiam, quam vocat cognitionis, & mētis locū in Christo habere potuisse, & propterea ab ipso disci non posse, iterum in aliàs duas differentias humilitas cognitionis est distinguenda; interdum enim nascitur ex conscientia male factorum, & notitia propriorum defectuum, ac vitiorum, quæ tùm nostra actuali, tùm primi parentis originali culpa contraximus: & hanc habere in Christo Domino locum non potuisse S. Bernardus affirmauit, sicut postea declarat dicēs: *Non enim quando ego, vel tu inuenimus nos dignos dedecore, & contemptu, dignos etiam supplicijs, dignos plagis, non inquam, ita & ille, qua tamen omnia expertus est, quia voluit tanquam humilis corde, humilis videlicet illa humilitate, quam cordis suasit*

S. Ber. in trac. de gradibus humil.

S. Bern. ser. 4. de Adu. & serm. 42. in Cant.

O 2 *affectio,*

affectio, non quam extorsit discussio veritatis: hæc S. Bernardus. Sed præterea nascitur humilitas ex cognitione sui nihili, quod ex se habet facta ex nihilo creatura, & à seipsa tẽdens ad nihilũ, nisi à Deo per singula momenta conseruaretur, à cuius esse interminato, immensa bonitate, perfectionibus infinitis, ipsa distat in infinitum. Tali ergo humilitate minimè caruit anima nostri Redemptoris, sed eam habuit in gradu omnium perfectissimo, & post ipsum anima Deiparæ Virginis Beatissimæ. Quia sicut bene S. Chrysostomus obseruauit, quemadmodum quanto acutius videmus tantò magis percipimus, quàm longè à cæli regione distamus: ita quanto altius per virtutis profectum ad culmen perfectionis ascendimus, & mentis oculum magis purgamus, tantò plus discernimus, quàm sit inter Deum, & nos grãde discrimen, & tantò clarius cernimus, quam humili, & abiecto loco maneamus. Ex hac itaque humilitate mentis, & perspicacissimæ cognitionis oriebatur in Christo Domino humilitas profundissima sui cordis, & affectionis; ad quam exemplo suo nos hortabatur cum diceret: *disce à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Quòd miratus S. Augustinus merito exclamat. *O doctrinam salutarem, ò magistrum, dominumq. mortalium, quibus mors poculo superbiæ propinata, & transfusa est. Huccine redacti sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi in te, vt hoc pro magno discamus à te quoniam mitis es & humilis corde? ita ne magnum est esse paruum, vt nisi à te, qui tam magnus es, fieret, disci omnino non posset? ita planè.* Sed vt hanc materiam aliquando concludamus, illud addendum superest consideratione valde dignum circa hanc quadripartitam formam contemplationis, iuxta quatuor iam expositas dimensiones, quod in fine postremi sui libri de consideratione S. Bernardus admonuit: non sine causa fuisse dictum ab Apostolo: *vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum*, quoniam comprehendi orando facilius potest, ac dignius, quam disputando: non tam enim disputatio ista comprehendit, quàm sanctitas. *Quæris autem* inquit S. Bernardus, *quomodo? si sanctus es comprehendisti, & nosti, si non: esto, & tuo experimento scies.*

S. Chrysost. hom. 29. in Matth.

Matth. 11. 29.

S. Aug. l. de S. Virgin. c. 35.

S. Bern. l. 5. de consid.

CA-

CAPVT QVINTVM.

In meditatione maximè considerandas esse Personas.

1 EXPLICATO genere, speciebus, & formis primarijs meditandi, ad alia minus vniuersalia recta methodo veniemus: ea verò sunt, quæ initio suarum meditationũ Seraphicus S. Bonauentura mentaliter orantibus valde commendat; vt primum in personas, deinde in verba, & actiones oculos mentis conijciant. Quàm verò multa meditanti circa personas possent occurrere adeo cõpiosè, & singillatim aliqui recentiores de hac materia scribentes tradiderunt, vt in ijs immorari superuacaneum existimauerim. Solùm igitur alia tria ad nostrum institutum maximè condecentia hoc loco declarabo: primùm personarum in meditatione considerationem magni esse momenti: secundò quæ potissimum persona inter meditandum attenta consideratione digna sit: tertiò aliqua praxis, vel forma huiusmodi considerationis ad exemplum imitandum proponetur.

2 Primùm itaque, magni esse momenti personarum in meditatione considerationem, tria nobis facilè persuadebũt; sacrarum auctoritas Scripturarum; aurei libelli spiritualium exercitiorum probatissima doctrina; & ipsa ratio. Nam quod attinet ad Scripturas sacras, propterea sæpè in illis legimus, vbi aliqua historia nobis consideranda proponitur initium duci à descriptione personæ. Proponitur nobis in libro Iob, sancti huius viri patientia non admiranda solum, sed etiam imitanda; & statim in primo capite persona describitur: *Vir erat in terra Hus nomine Iob, & erat vir ille simplex, & rectus, & timens Deum, & recedens à malo: eratq. vir ille magnus inter omnes Orientales.* Similia legimus in primo capite historiæ Tobiæ, vbi conditio personæ quasi per omnes eius ætatis gradus ante describitur: vt quod paruulus legem Dei, sacrasq. cæremonias diligentissimè obseruaret; quod *cum esset iunior omnibus in tribu Nephtali, nihil tamen puerile gessit in opere; cum verò factus esset vir accepit vxorem, genuitq. ex ea filium nomen suum imponens ei:* quem

Quanti momenti sit personarum in meditatione occurrentium cõtemplatio.

Iob.1.1.

Tob.1.4.

Massut. de cælesti conuersat.

quem ab infantia timere Deum docuit,& abstinere ab omni peccato. Nec in nouo testamento, vnde frequentius materia meditanda desumitnr, rariores sunt huiusmodi personarum descriptiones. Sic in Euangelio de Sanctissimo sene Symeone dicitur:
Lucæ 2.25. *Et ecce homo erat in Hierusalem,cui nomen Simeon, & homo ille iustus,& timoratus,expectans consolationem Israël, & Spiritus sanctus erat in eo*. Similiter de Anna ibi dicitur, quod erat
Lucæ.2.36. prophetissa,*& hæc vidua vsque ad annos octoginta quatuor,quæ non discedebat de templo, ieiunijs, & obsecrationibus seruiens*
Lucæ.23.50. *nocte, ac die*. Et alibi de Iosepho ab Arimathæa: *& ecce vir nomine Ioseph, qui erat Decurio,vir bonus & iustus: hic non consenserat consilio, & actibus eorum, ab Arimathæa Ciuitate Iudææ, qui expectabat & ipse regnum Dei.* Quæ cùm ita se habeāt, ipse nobis ordo sacræ narrationis insinuat, prius personas, quā earum verba, vel actiones esse considerandas. Secundò idem quoque persuadet probatissima doctrina libelli superius allegati spiritualium exercitiorum, in quo per quatuor rerum classes, quæ ibi hebdomadæ nominantur, distributæ omnes materiæ meditandæ inueniuntur:& in prima quidem vbi de peccato Angelorum,& primorum parentum,de culpis quoque proprijs cōsiderationes proponuntur, inter præcipuas habetur conditio,& qualitas personæ peccantis. Vt quales spiritus quàm nobiles, quàm sublimes in gratia primum creati essent Angeli, & maximè Lucifer ante peccatum. Quod sub figura Regis Tyri cum ip-
Ezech.28.12. so loquens Ezechiel Propheta fusè describit dicens: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore,in delicijs Paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum: sardius, topatius, & iaspis, chrysolithus, & onix, & berillus, & sapphyrus, & carbunculus,& smaragdus:aurum opus decoris tui: & foramina tua in die,qua conditus es præparata sunt. Tu Cherub extentus, & protegens, & posui te in monte Sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti, perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te*. De primis quoque nostris parentibus statim docemur reuocare nobis in memoriam,quales fuerint primum à Deo conditi in terrestri Paradiso, quàm florentes, quàm fœlices,quàm beati. Vt inde colligamus, quàm perniciosa res sit,vel vnicū lethale peccatum, à quo creaturæ adeo sublimes, aliæ in cælesti, aliæ in terrestri Paradiso constitutæ,à summo fœlicitatis culmine ad extremas miserias fuerint in momento præcipitatæ. Eadē ratione circa proprium cuiusque peccatum meditanti præscribitur.

bitur, vt ad effectum contritionis altius in corde concipiendum, personæ suæ qualitates ante omnia cõsideret; quisnam, aut qualis sit: additis exemplis, quæ illum in maiorem sui contemptum trahant. *Vt si secum reputet, quantulus sit ad omnium hominum cœtum comparatus; quid sit deinde multitudo vniuersa mortaliũ, si cum Angelis beatisq. omnibus comparetur. Post hæc attendendum, quid rei sit tãdem, quidquid est creatum præ ipso Deo Creatore. Iam quid homuncio ipse vnus esse poterit. Demum inspiciat corruptionem sui totius, prauitatem animæ, atque corporis fœditatem, ac se tamquam vlcus, siue apostema esse ducat, ex qua tanta sanies peccatorum, tantaq. vitiorum luces defluxerit.* Huc vsque liber exercitiorum circa primam hebdomadam, qui postea circa secundam, tertiã, & quartam expressius cõmendat considerationem personarũ distinctam à cõsideratione actionũ, atq; verborum. Nec deest huius doctrinæ optima ratio; quia nihil est in circumstantijs operationis, quod ita conferat ad eius dignitatẽ, vel indignitatẽ benè æstimandam, sicut personæ qualitas, à qua procedit; vt sæpe plus inde valoris accipiat quàm ab obiecto, à quo habet speciẽ. Neque enim actio exẽpli gratia, qua ego Angelum cognosco, vel diligo, Angelica propterea intellectio, vel dilectio dici potest: contra verò actio, qua meam humanam naturam Angelus intelligit, quamuis de obiecto inferiori, multo tamen eleuatior est, & nequaquã humana, sed Angelica denominatur. Hinc etiam efficitur, vt sæpe pluris æstimetur paruum beneficium à magnæ dignitatis persona susceptum, quàm magnum ab homine infimæ conditionis. Refert Valerius Maximus fuisse generosum quemdam militem in castris Scipionis Africani, qui ob egregiam editam in bello virtutem, dum spolia militibus diuiderentur à Tito Labieno commilitone suo, nomine Imperatoris aureis quibusdam armillis donatus fuit. Id miles adeo iniquo animo tulit, vt recedens indignabundus aurum ad Labieni pedes abiecerit: quod vbi Scipio intellexit, reuocato ad se militi aliàs pretij minoris armillas, nempe argenteas manu sua dedit, addẽs hæc verba: en ipse Imperator argenteis armillis te donat: tunc miles alacer abijt, & acquieuit, ratus multo plus esse argentum ab Imperatore accepisse, quam aurũ à suo commilitone. Adeo verò posset ex dignitate personæ crescere dignitas actionis, vt quamuis finita sit, & modica in seipsa, quia tamen à persona prouenit infinita, qualis est Christi Redemptoris, ideo iure censeatur esse meriti, ac satisfactionis infinitæ. Similiter etiam contra, quia sicut benè docuit in ethicis Aristoteles, iniuria crescit

Vale. Max. l. 8. c. 14. 5.

Arist. l. 5. eth. cap. 5.

ex indignitate personæ illam inferentis, sequitur vt quia homo Deo comparatus inuenitur ordinis in infinitum inferioris, peccando in Deum, tam indignè se gerat, vt pro æquali satisfactione Deo exhibenda, & sicut vocant de rigore iustitiæ, nulla sufficere possit creatura; sed Christi Dei, & hominis satisfactoria operatio fuerit necessaria.

Quæ potissimum persona in meditatione sit digna consideratione.

3 Iam verò quod secundo loco exponere proposuimus circa considerationem personæ, quæ nam potissimum in meditãdo sit cõtẽplatione dignissima, nõ potest habere dubitationẽ, sicut enim nulla frequentius, ita nulla iucũdius, atque vtilius meditanti proponitur, quàm persona Christi Saluatoris. Nam si verùm est, quod communiter dici solet, exempla magis mouere, quàm verba, & longum iter ad virtutem mostrari per verba, breue, & cõpediosum per exempla, quid vnquã inueniri poterit efficacius ad quosuis generosi animi honestissimos motus cõcipiendos, cõtemplatione personæ Verbi nostra mortali carne vestiti, vt simul nos altissimo suo erudiret verbo, & cognato permoueret exemplo? Vnde non solùm excitari, & animari, sed etiam armari nos oportere ad expugnationem vitiorũ, & virtutum acquisitionem admonuit princeps Apostolorum, cum dixit: *Christo ergo passo in carne, vos eâdem cogitatione armamini.* Quin etiam si nihil præterea factum ab illo homine Deo, vel dictum consideraremus, sola talis, ac tantæ personæ contemplatio, nisi valde perfunctoria sit, nec iucunditate, nec vtilitate, & fructu spirituali vnquam carebit. Hæc est enim illa lux magna omnia alia illuminans, & quando alia non essent, ipsa per se contemplatione dignissima, quàm mox orituram, vel quasi iam ortam nuntiabat Isaias populo, qui ambulabat in tenebris, & habitantibus in regione vmbræ mortis: cuius nimium splendorem; quia infirma nostræ mentis acies ægre admodum ferre potuisset, Deus velo nostræ carnis operuit: dum *paruulus natus est nobis*, vt addit ibidem Isaias, & *filius datus est nobis, & factus est Principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis.* O *sapientia*, ait S. Bernardus, *quæ de occultis traheris, ò verè incarnata, & velata sapientia, ò homo, in carne tibi exhibetur sasapientia illa quondam occulta, & ecce iam trahitur de occultis, & ipsis sese ingerit sensibus carnis tuæ, & ipse est promissus olim per Isaiam, paruulus sciens reprobare malum, & eligere bonum.* Quis igitur iam magnifaciat, quæ Dei sapientia tantopere contempsit? quis cõtemnat, quod Dei filius tanti fecit? vt propterea de cælo in terram descenderit, egenus factus sit, cùm esset diues,

1. Petr. 4. 1.

Isa. c. 9. 2.

S. Bern. ser. 3. de nat. Domini.

& pre-

& pretio sui sanguinis duxerit redimendum. Meritò ibidē sic argumentatur S.Bernardus: *Nō est tale iudiciū mundi; aut iste fallitur, aut mundus errat, sed diuinā falli impossibile est sapientiā, merito proinde, & carnis prudentia mors: siquidē & ipsa inimica est Deo, et sæculi quoque prudētia stultitia nominatur. Quid enim Christus vtique, qui non fallitur elegit, quod carni molestius est, id ergo melius, id vtilius, id potius eligendum, & quisquis aliud doceat, vel suadeat, ab eo tamquam à seductore cauendum.* Hæc habet S. Bernardus ad ostendendum quanta in exemplo sit vis, & qualis in consideratione personæ se ipsam exemplū operis exhibentis, mouendi efficacia. Sed iam tertium, quod proposuimus explicemus, praxim videlicet, aut formam aliquam huiusmodi contemplationis circa personam omnium præcipuam videlicet Christi Domini Saluatoris.

4 Quæ autem in Christi persona possumus contemplari ad tria primaria capita reducuntur: Primùm ea solent occurrere, quæ ad sacratissimum eius corpus, deinde, quæ ad sanctissimam eius animam, tertiò, quæ ad diuinitatem spectant, omnia indissolubili nexu hypostaticæ vnionis in vnam personam conuenientia, vt funiculum illi similem efficiant, de quo Ecclesiastes ait, *funiculus triplex difficilè rumpitur,* demissum ab alto cælo, cum Verbum, quod erat in principio apud Deum, caro factum est, & habitauit in nobis, vt nos de lacu miseriarum, & profundissima fouea, in quam per peccatum cecideramus, extraheret. Apprehendamus igitur nostra aliqua consideratione eam partem primùm, quæ pertinet ad eius sacratissimam humanitatem: cuius eximiam speciem talem extitisse cōtemplabimur in figura colore, lineamentis proportione omnium partium decentissima, & complexionis temperamento perfectissimo, qualem nullus vmquam ex filijs hominum sortitus est, aut sortietur aliquando. Propterea de ipso in Psalmo dicitur: *Speciosus forma præ filijs hominum*: & in sacro cantico: *ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus*. Idque auctor tanti operis, & finis, & materia tum proxima, tum remota facilè poterit persuadere. Quis enim alius auctor & Architectus huius admirandi opificij, nisi Spiritus sanctus? de quo legimus in Euangelio: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi; & quod in ea natum est de Spiritu sancto est*. Tribuitur autem maximè Spiritui sancto, non ad alias diuinas personas excludendas, quarum propter communem naturam, & vnam eamdemque potentiam communis, & indiuisa debet esse operatio: sed vt intelligamu' à Deo

In Christi Domini persona tria potissimū cōtemplanda.

Ecclesi.c.4.13.

Ioann.1.14.

Psal.44.3.

Luc.1.35.
Matth.1.21.

à Deo processisse quatenus, & spiritus est, & sanctus, & amor, atque immensa charitas. Quatenus inquam Deus est spiritus, nulla enim repentinæ formationi huius diuini corpusculi se immiscuit causa corporea, non homo, non sol, non astrorum virtus, aut vllius syderis arcana influentia, quæ non solent nisi per temporum interualla successiue operari. Sed sola sanctissima Deipara materiam immaculati fœtus, & matris officia exhibente, summus ille spiritus, qui nescit tarda molimina, & virtus altissimi obumbrans Virgini supra naturæ leges operabatur. *Vnde licet deprehendere*, inquit S. Basilius in homilia de humana Christi generatione, *quòd non secundum communem modum carnis constitutio Domino fuit: conceptum namque illico eius corpus perfectum fuit, non per interualla paulatim formatum*. *Nec ita*, inquit S. Damascenus, *vt paulatim, tacitisque incrementis figura corporis absolueretur, sed vno eodemque momento perficeretur*. Tribuitur deinde admiranda ista formatio summo spiritui, vt sanctus est, quia nihil in ea extitit omnino non sanctum, sancta conceptio, sancta natiuitas, sanctus sanctorum ipse, qui nascebatur, eam de qua nascebatur immaculato, & conceptu, & partu efficiens sanctiorem. Tribuitur denique Spiritui sancto quatenus genitoris, & geniti charitas est, & quædam infinita dilectio, quia in nullo alio opere, siue naturæ, siue gratiæ, sicut in isto ita suam erga nos immensam charitatem Deus manifestauit. *Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*, ait in Euangelio ipse Saluator, & S. Ioannes in prima sua Epistola: *In hoc apparuit*, inquit, *charitas Dei in nobis, quoniam filium suũ vnigenitum Deus misit in mundum, vt viuamus per eum, & in hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationẽ pro peccatis nostris*. Ex quibus verbis colligit S. Augustinus in quodam sermone de verbis Apostoli: sicut prima gratia non cadit sub meritum, ita & multo minus omnis nostræ gratiæ fontem Christum Dominum deriuare ad nos per nostra merita potuisse: *neque enim* ait *illum, ad nos merita nostra bona, sed peccata duxerunt*: opus igitur fuit Dei solius, eius charitatis, & benignissimæ voluntatis. Quod si Dei perfecta sunt opera: & magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius, tãto magis exquisitum, tantoque perfectius id esse oportebat, quanto ad finem sublimiorem ordinabatur; nempe vt esset receptaculum mentis, inter creatas omnium sapientissimæ, sanctissimæ, beatissimæ; & per ipsam totius habitatio

S. Bas. in hom. de hum. Chr. gen.

S. Dam. lib. 3. fid. c. 2.

Ioann. 3. 16.

Ioann ep. 1. 4. 9.

S. August. ser. 8. de verbis Apos.

Deut. 32. 4.
Psal. 110. 2.

tio diuinitatis: in Christo enim, teste Apostolo, *inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, & de hac magis, quàm de alia, quacumque habitatione dici à Deo potest: *hic requires mea in sæculum sæculi: hic habitabo quoniam elegi eam*. Domus ad eum finem extructa vt habitatio sit hominis pauperis, & plebei solet esse qualecumque tuguriolum, at pro nobili, & opulento minimè sufficiet, pro Rege verò, aut Imperatore neque satis erit quodcumque palatium, sed amplissimum esse oportebit, ornatissimum, & instructissimum. At pro Deo quæ digna domus inuenietur? *& quæ est ista domus*, dicebat ipse per Isaiam, *quam ædificabitis mihi? & quis est iste locus quietis meæ?* cum autem aliquando ædificari sibi templum à Salomone voluisset, mirabatur Rex sapientissimus dicens: *ergo ne putandum est, quòd vere Deus habitet super terram? si enim cælum, & cæli cælorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificaui?* Cũ itaque corpus sacratissimum nostri Redemptori viuum esse debuerit increatæ Dei sapientiæ domicilium, vas quoddam admirabile, vbi reconderentur omnes thesauri bonitatis, sapientiæ, & scientiæ Dei, templum animatum primarium Deitatis, nec structura, vel mole poterat esse magnum; certe oportebat, vt concinnitate, & artificio diuini operis alia omnia corpora superaret. Sed de materia fortè quis ambigat, non enim fuit cælestis, vt hæresis Valentiniana confinxit, neque alia nescio quæ diuersa ab humana carne & sanguine, vt Manichæus somniabat: nam vt est in Epistola ad Hebræos: *Quia pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse*, nempe Dei filius, *similiter participauit eisdem*. Nihilominus tamen ita diuina prouidentia ordinauit Christi genealogiam longissima serie Patriarcharum, magnorum Regum, summorum Sacerdotum, & Ducum fortissimorum, per generationes bis septem ab Abraham, vsque ad Dauid, aliasque bis septem à Dauide vsque ad trasmigrationem Babilonis, & alias totidem à trasmigratione Babylonis vsque ad ipsum Christum; vt liceat affirmare neminem ex Adæ filijs ab illustriori, & sacratiori sanguine natum vmquam, aut nasciturum. Quod si quis obijciat inter tot reges, ac principes aliquos minimè probos extitisse, intercessisse etiam mulieres quasdam non sanctas: attendat in illo ordine postremam Augustissimam Virginem, in qua *omnis gratia viæ, & veritatis* inuenitur, *& omnis spes vitæ, & virtutis*, mundiorem, quam Cherubin, sanctiorẽ, quàm Seraphin, & ea puritate nitentem, ait S. Ansel. in lib. de partu Virginali, qua maior sub Deo nequit intelligi.

Iam

Ad Col. 2. 9.
Psal. 131. 15.
Isai. 66. 1.
3. Reg. 8. 27.
Ad Heb. 2. 14
Eccl. 24. 25.
S. Ansl. lib. de partu Virg. c. 18.

Excellentia animæ Christi.

5 Iam verò pro altero capite considerationis circa eãdem Christi personam,quod spectat ad animæ ipsius excellẽtias, quis humanus, vel Angelicus intellectus poterit per omnia comprehendere illas sublimissimas virtutes, illa inæstimabilia dona sancti Spiritus, illam prope infinitam gratiam sanctificantem? qua *vnxit illum Deus Deus suus oleo lætitiæ præ participibus suis:* vnde capacissimæ animæ illius potentiæ quasi amplæ domus ebore adornatæ, virtutibus in supremo gradu perfectissimis, & donis S. Spiritus pretiosissimis replebantur: nam hoc est, quod in Psalmo dicitur: *myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ Regum in honore tuo*. Et quod ad gratiam attinet sanctificantem fuisse reipsa infinitam auctores non contemnẽdi docuerunt. Quod si de gratia,& sanctitate increata intelligatur,nihil verius, si autem de creata, & per modum habitus infusa, vix hæc doctrina demostrabitur à viritate aliena,nisi ex eo quòd huius generis infinitum admitti non posse secundum rationes, & principia physica videatur: cum de cætero fuerit conuenientissimum, vt ea dona sine vlla restrictione, si fieri posset, tanto capiti concederentur. Vnde testabatur de illo S. eius præcursor Ioannes Baptista dicens: *qui de sursum venit super omnes est, qui de cælo venit super omnes est: non enim ad mensuram dat Deus spiritum: pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius*, & Apostolus ait: *vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi: & alij quidem datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alteri fides, alij gratia sanitatum, alij operatio virtutum, alij prophetiæ, alij discretio spirituum*. Quæ omnia cumulatissimè aderant animæ Christi Domini tamquam fonti plenissimo,& indeficientissimo. Aderat quoque,vt loquitur Magnus Dionysius,diuina impeccabilitas: *quia Verbi anima facta*, inquit S. Cyrillus,*fundatum habuit in omnibus immutabilem statum incomparabiliter peccato fortiorem*. Nec deerat præter scientiam diuinam, alia triplex scientia vnaqueque in suo genere perfectissima, primum acquisita, quæ omnes naturales omnium mortalium, etiam simul sumptas scientias superaret: deinde infusa, qua omnia mysteria gratiæ modo perfectiori, quam Angelici Spiritus, etiam supremi ordinis penetraret: tertiò beatifica, per quam firmo semper, & inuariabili intuitu ea omnia perciperet, quæ videt ipsemet Deus scientia sua visionis appellata. Ita vt anima Christi omnium mentium post diuinam sapientissima, & illuminatissima à primo instanti creationis suæ omnia

Psal. 101. 26. Ad Heb. 1. 9.

Psal. 44. 9.

Maior. Marsil. Almay. in 3. d. 13. & alij doct. Parisien.

Ioann. 3. 31.

Ad Eph. 4. 7.

S. Dyon. c. 5. de eccl. hier.

Cyrill. lib. de fide ad Imp. Theod. col. 12.

omnia comprehenderet, quæ Deus vnquam fecit, & facturus est per totam æternitatem, omnes creaturarum naturas, proprietates, facultates, numerum, inclinationes, cogitationes quoque hominum, & Angelorũ, præsentes, præteritas, & futuras per sæcula infinita, & quamdiu duraturus est Deus, hæc omnia erãt intellectui animæ illius beatissimæ sicut modo sunt manifesta, & aperta. Huic tantæ sapientiæ, & multiplici scientiæ addita fuit summa supremi Iudicis auctoritas, & potestas: *Neque enim pater iudicat quemquam*, dicebat ipse Christus Dominus, *sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem: & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Ac si diceretur*, inquit S. Augustinus, *patrem nemo videbit in iudicio viuorum, & mortuorum, sed omnes filium: quia & filius, & hominis est, vt possit, & ab impijs videri, cum & illi videbunt in quem pupugerunt*. Accepit insuper dominium vniuersorum plenissimum cum potestate, ac virtute edendi quæcumque vellet miracula in cælo, & in terra, creandi, annihilandi, saluandi, damnandi, & res omnes etiam vltra naturæ leges gubernandi, atque administrandi. *Ioann.5.23.* *S. Aug.1.de trin.c.14.* *Zacch.12.10.*

6 Ex his veluti riuis ad mare diuinæ essentiæ propius cognoscendum accedemus, siue à radijs creatarum in illa sacratissima humanitate perfectionum, ad increatam Deitatis lucem vtcumque possumus contemplandam, appropinquabimus, illam inquam lucem, illam gloriam, & maiestatem, quam in sua visione propheta admirabatur, cum diceret: *Et ecce gloria Dei Israel egrediebatur per viam orientalem, & terra*: id est humanitas Saluatoris, *splendebat à maiestate eius*. Qua de re præstaret cum illis Isaiæ Seraphin velata facie iterare, *sanctus, sanctus*, quàm aliud velle nostris verbis euoluere, & explicare. Sed audiamus mortalium sapientissimum, aut potius ipsam Dei sapientiam per Salomonem hanc diuinam Christi naturam, atque personam symbolis rerum sensibilium circumscribentem: quandoquidem est impossibile, vt Areopagita dixit, aliter nobis lucere in hac vita diuinam lucem, nisi varietate sacrorum velaminum circumuelatam. *Vapor est*, inquit Salomon, *virtutis Dei, & emanatio quædã est claritatis omnipotẽtis Dei sincera. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula maiestatis Dei, & imago bonitatis illius*. Vapor primum dicitur, vt intelligamus eiusdem esse naturæ, ac substantiæ filium cum patre, sicut est vapor, cum aqua vnde procedit; sed vapor non exit ab aqua per virtutem ipsius aquæ, sed extranea vi adsciti caloris; at *Excellẽtia diuinitatis Christi.* *Ezech 43.2.* *Isa.6.2.* *Dion.c.1.de cœl.hier.* *Sap.7.25.*

oritur filius ex virtute Dei patris, ideo de ipso dicitur: vapor est virtutis Dei. Vapor exit ab aqua non sine motu,& ab ea digressu: filius oritur absque vllo motu, vel à patre recessu, ideo dicitur, emanatio quædam. Vapor secerni ab aqua sine aliqua obscuritate, vel impuritate non potest: sed altissimi filius emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera: candor est enim lucis æternæ. *Nam quod dictum est: candor est enim lucis æternæ*, ait S. Augustinus, *quid aliud dictum est, quàm lux est lucis æternæ? candor quippe lucis quid nisi lux est? & ideo cöeterna luci, de qua lux est. Maluit autem dicere candor lucis quàm lux lucis, ne obscurior putaretur ista, quæ manat, quàm illa, de qua manat: cum enim auditur candor eius esse ista, facilius est, vt per hanc lucere illa, quàm hæc minus lucere credatur, sed quia cauendum non erat, ne minor lux illa putaretur, quæ istam genuit, hoc enim nullus hæreticus ausus est dicere, nec credendum est aliquem ausurum, illi cogitationi occurrit scriptura, qua posset videri obscurior lux ista, quæ manat. Quam suspicionem tulit cum ait, candor est illius, idest lucis æternæ, atque ita ostendit æqualem. Si enim hæc minor est, obscuritas illius est, non candor illius, si autẽ maior, non ex illa manat, non enim vinceret de qua genita est. Quia ergo ex illa manat, non est maior, quàm illa; quia verò non obscuritas illius, sed candor illius est, non est minor, æqualis est ergo*. Huc vsque S. Augustinus, qui tamen non pergit exponere, sed nostræ consideratio-ni, ac meditationi relinquit, qua ratione Dei filius, speculum sine macula Dei maiestatis ibidem appellatur, & imago bonitatis illius, idest non obscuris lineamentis, vel tenui tantum colore adumbrata similitudo, cum sit, vt ait Apostolus, *splendor gloriæ, & figura substantiæ eius*. Hæc, & similia de humana, diuinaque Christi natura oculis fidei in meditatione considerata persuadere vnicuique facile poterunt, quam altè de actibus & verbis illius sentire debeamus. De quibus antequam sequenti capite differamus, vnum hic non videtur prætermittendum, in obijcienda menti nostræ persona tantæ dignitatis, ac maiestatis melius esse apprehendere in communi hominem formæ, figuræ, habitudinis superantis in hoc genere perfectionem hominis cuiuscumque potius, quàm nimis curiosè, ac minutè speciem illam externam sibi depingere, ne quid minus dignum tãta maiestate, aut decorum nostra imaginatione fingamus. Si quis tamen, vt varia sunt hominum ingenia, experiretur ad propriam deuotionem conferre, magis in particulari speciem illius sacratissimæ humani-

S. Aug. lib. 4. de Trin. c. 20.

Ad Heb. 1. 3.

humanitatis imaginationi subijcere, non deberet ab ea forma tecedere, quæ ponitur à S. Anselmo, & ab alijs quoque antiquioribus scriptoribus in hæc verba. *Homo fuit*, Christus Saluator, *procerus, mediocris, & spectabilis: vultum habuit venerabilem; quem intuentes, possent, & diligere, & formidare, capillos habuit coloris nucis auellanæ præmaturæ, & planos fere vsque ad aures; ab auribus verò cincinnos crispos, aliquantulum cæruliores, & fulgentiores ab humeris ventilantes: discrimen habuit in medio, iuxta morem Nazareorum. Frontem planam & serenissimam, cum facie sine ruga, & macula aliqua, quam rubor moderatus venustat, nasi, & oris nulla prorsus reprehensio. Barbam habuit copiosam, & impuberem, sed in medio bifurcatam. Aspectum habuit simplicem, & maturum: oculis glaucis, varijs, & claris existentibus: In increpatione terribilis, in admonitione blandus, & amabilis, hilaris seruata grauitate. Qui numquam visus est ridere, flere autem sæpe. In statura corporis propagatus, & rectus: manus habuit, & brachia visu delectabilia: in colloquio grauis, rarus, & modestus: speciosus forma præ filijs hominum*. Similia habet in libro primo historiarum ecclesiasticarum Nicephorus, qui etiam effigiem B. Virginis Christo similem fuse describit.

S. Ans. to. vlt. opusc. extr. ex ep. Lentuli ad Senatũ Rom. Eutrop. apud S. Ant. chron. tom. I. tit. 5. c. 7. §. 7.

Niceph. l. 1. c. 40. & l. 2. c. 23.

CAPVT SEXTVM.

In meditatione diligenter considerandas esse actiones.

1 CVM personas modo iam explicato, fuerimus contemplati, earumdem actiones erunt à nobis diligenter considerandæ, tantoque attentius, quantò magis inde consueuimus permoueri, instrui, argui, reprehendi, animari, & ad imitationem efficacius excitari. Tunc autem erit diligens consideratio actionum, cum eas non in communi tantum, & sicut dicitur, in abstracto, sed in singulari, & cum omnibus suis conditionibus, & circumstantijs, ac si nobis ante oculos obuersarentur, inspiciemus. Circumstantias verò huiusmodi solent morales theologi ad septem capita reuocare, quæ memoriæ iuuandæ causa simplici illo versiculo, sed ad institutum

Actiones cum circumstantijs cõsiderandæ, quæ circumstantię septem enumerantur.

tutum

tutum satis accommodato, ab ipsis comprehenduntur: *Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur quomodo, quando*. Oportet autem nomine actionum etiam passiones intelligere, cum non nisi variato respectu ad personam agentem, & patientem consideratione, non reipsa distinguantur, nec vnius sine altera absoluta & perfecta possit esse consideratio. Propterea circa Christi Domini passionem contemplandam, illa considerationis capita communiter proponuntur, quis patitur, à quibus, quæ patitur, atque id genus alia, quæ singillatim hoc loco sunt explicanda. Sed antea supponẽdum, omnium quidem sanctorum hominum, atque etiam Angelorum in historia sacrarum Scripturarum relatas actiones, materiam continere ad meditandum perutilem, atque dignissimam, sed supra omnes Sancti sanctorum Christi Domini operationes; de quibus propterea sic habet S. Basilius initio constitutionum monasticarum: *omnis actio, omnisque sermo Saluatoris nostri Iesu Christi pietatis, & virtutis regula est: & propterea incarnatus est, velut in imagine describens nobis pietatem, ac virtutem, quam vnusquisque, & vnaquæque videntes pro viribus archetipum, & exemplar imitentur. Ob hoc enim nostrum fert corpus, vt & nos ipsius vitam, quantum eius fieri potest imitemur. Tu itaque vbi audieris sermonem, aut actionem ipsius ne oscitanter, aut simpliciter, pro vt contingit, audias, sed ad speculationum profunditatem descende, vt fias particeps eorum, quæ mysticè tradita sunt*: hæc S. Basilius.

Iuxta Arist. 3. eth. 2.

S. Bas. de const. monast. c. 2.

Prima inter cicumstantias operationis consideranda est, quis operetur.

2 Primum itaque occurrit inter circumstantias actionis, quis sit, qui eas exercet, quod spectat ad considerationem personæ, de qua satis dictum est in capite superiori. Solùm hic adiungo, sapientissimè à S. Basilio supra fuisse obseruatum: Propterea Dei Verbum humanam suscepisse naturam, vt in se veluti in excellenti quadam tabula viuis coloribus veram nobis pietatem, virtutemque depingeret, & omnium honestarum actionum exempla præberet. Adeo enim verum est, quod dici solet: exempla magis mouere, quàm verba, vt non solùm de verbis per leuem aërem transeunter sonantibus dictum accipi possit, sed suo quodam modo etiam de ipso increato, & infinito Dei Verbo Aeterno Patri per omnia æquali, & consubstantiali; quo non tantopere mouebamur, cum inuisibile, & insensibile manebat in principio apud Deum, sicut quando caro factum est, & habitauit in nobis. Nam quemadmodum sensibilia vniuersa species quasdam sui ad medium emittunt, vnde oculi excitantur in contemplationem eorum obiectorum, à quibus huiusmodi

species

species emittuntur: ita Deus Pater Filium imaginem sui perfectissimam purissima emanatione producit, per quem nostræ altiores potentiæ ad Deum reuocari debuissent; sed quia corpori nimis immersam, & sensibus alligatam animam circumferentes, sensibilibus magis, quàm spiritualibus permouemur; ideo sensibili cum carne, & spectabili natura nostra vestiuit: sicut aliquando faciendum, quasi iam esset factum Dei Propheta dicebat: *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est*. Et tunc magni illi motus extiterunt, de quibus alter Propheta prænuntiauit: *hæc dicit Dominus exercituum: adhuc vnum modicum est, & ego commouebo cælum, & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus*. Præterea illud quoque in hoc genere occurrit consideratione dignissimum: quia intra terminos Deitatis, atque inuisibilis naturæ suæ consistens Deus, poterat quidem nos à superbia deterrere, humilitatem præcipere, sed practicè exemplo suo docere, quà ratione sectari humilitatem deberemus, ac dicere: *discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*, minimè potuisset, nisi *cum in forma Dei esset, semetipsum exinaniret, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliasset semetipsum*. Poterat quidem à solio Deitatis commendare, & præscribere omnem obedientiam, similiter patientiam, temperantiam, castitatem: sed ad eas virtutes exemplo suo nos excitare, & in se ipso quomodo exerceri debent tales actus ostendere, nisi nostram induisset naturam, ipse de cætero omnipotens nunquam potuisset. Neque enim habet vt Deus, vlli se posse submittere, cui obediat; neque ab aliquo prorsus quidquam pati, vel cupiditates, aut concupiscentias, quibus omnino caret purissima illa substantia, studio castimoniæ, vel temperantiæ cohibere. Iam verò assumpta sibi in vnitate personæ natura nostra, vnione arctissima, & sublimissima; talia exhibuit exempla humilitatis, obedientiæ, patientiæ, temperantiæ, atque omnis honestatis; vt aliorum sanctorum in ea specie virtutes, si res suis momentis expendantur, cum istis vix habeant posse comparari: nisi veluti si conferretur, stellarum, aut potius lucernæ lumen diurno & meridiano Soli, iuxta illud dictum à S. Iob. *Ecce etiam Luna non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius*. Sed ad aliud caput actionum veniamus.

Baruch. 3. 38.
Aggæi. 2. 7.
Matth. 11. 29.
Ad Phil. 2. 7.
Iob. 25. 5.

Species, & natura actionis quomodo meditanda.

3 Secundùm quod in actionibus occurret contemplandum est, ipsius actionis species, atque natura, quid nimirũ agat quis,

Massut. de cælesti conuersat.

aut patiatur. Id in Chriſto Saluatore noſtro ſupra alium quemcumque Sanctorum inueniemus non eſſe vnius tantum generis, ſed omnium prorſus virtutum in gradu ſublimiſſimo, omnium donorum ſancti Spiritus, omnium chariſmatum diuinorum, omnium denique gratiarum, tam earum, quæ dicuntur gratis datæ, quàm gratum facientium, in tanta multiplicitate, vt ſatis hic ſit eas ad certas claſſes breuiter enumerando reuocare. Qua de re ita ſcripſit S. Bonauentura. *Reſulgent autem à Chriſto, ſicut à totius noſtræ ſalutis exemplari, & originali principio, actus multiformes. Nam primò quidam actus in ipſo reſpiciunt ſublimitatem potentiæ: vt ſuper aquas ſiccis pedibus ambulare, elementa conuertere, panes multiplicare, ſeipſum transfigurare, & cætera miracula facere. Secundò quidam reſpiciunt eius ſapientiæ lucem: vt arcana cæleſtia referre, ſecreta cordium ſcrutari, & futura prædicere. Tertiò quidam pertinent ad ſeueritatem iudicij: ſicut ementes eijcere de templo, cathedras vendentium columbas euertere, & dura increpatione ferire Pontifices. Quartò quidam ſpectant ad officij dignitatem: vt Sacramentum conficere Sacratiſſimi corporis ſui, manus imponere, & relaxare peccata. Quintò quidam ſunt ad condeſcenſionem miſeriæ: vt latere in perſecutione, trepidare, & contriſtari in monte, & pro amotione illius patrem rogare. Sextò quidam pertinent ad informationem vitæ perfectæ, vt paupertatem ſeruare, virginitatem cuſtodire, Deo, & hominibus ſe ſubijcere, noctes in oratione peruigiles ducere, pro crucifixoribus exorare, & morti ſe ſumma charitate etiam pro inimicis offerre. Cùm igitur ſex ſint huiuſmodi actionum varietates, in vltimis dumtaxat ipſum inuitari eſt perfectum. Nam in his, quæ ſunt excellentiæ ſingularis, eſt impium, & luciferiarum, niſi fuerit alicui priuilegij ſingularis dono conceſſum: in his autem quæ ſunt ſeueritatis, & diuinitatis, eſt præſidentium, & prælatorum: in his, quæ condeſcenſionis; eſt infirmorum, in quantum loquimur ad actum extrinſecum.* Sunt autẽ hæc S. Bonauenturæ verba de affectu imitationis intelligendũ, nõ de alijs affectibus admirationis, lætitiæ, gratulationis, gratiarum actionis, atque ſimilium, qui ſuum pro omnibus attentè meditantibus circa tales actiones habebunt locum. Immò etiam opportuni erũt aliquando affectus imitationis, ſi non in ſenſu hiſtorico, & literali, ſaltẽ in myſtico, & ſpirituali, maximè, tropologico, de quibus, vt ad meditationẽ ſimiliter conferẽtibus, agendũ eſt fusè in capite ſequenti. Vt ſi exẽpli gratia Chriſtum Dominum eſſe imitandum in transfiguratione

S. Bon. in apol. pauper. par. 2. art. 2.

meditemur per insignem aliquã vitæ nostræ mutationẽ: esse quoque imitandũ in ementium, & vendentiũ in tẽplo expulsione, per cordis mundationem, & vanarũ curarum ab anima, quæ Dei tẽplum esse debet eiectionẽ. Facit etiam ad substantiam actionis benè cognoscendã, illius numerum, quantùm fieri poterit examinare, & inde ad rem nostrã aliquid trahere. Vt si dum Christi Domini flagellationẽ contẽplamur, illud in mentẽ veniat. Quod in Deuteronomio fuit à Deo ordinatũ: *pro mẽsura peccati erit et plagarum modus: ita dumtaxat, vt quadragenariũ numerũ non excedat: ne fœdè laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus*. Vnde S. Paulus referens plagas, quas pro Euangelij prædicatione à Iudæis iniquissimè illatas sustinuerat: *A Iudæis*, inquit, *quinquies quadragenas vna minus accepi*: hoc est triginta nouẽ, ita vt ad quadraginta numerus nõ perueniret: & tamen ait, in plagis se fuisse supra modũ. At non inuenit locũ lex ista in Filio Dei, hoc est in illo, in quẽ solùm non potuit vllum inueniri peccatũ, & de quo in psalmo dicitur: *altissimũ posuisti refugium tuũ: non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*. Nam vbi ad nos à peccatis redimẽdos ipse in assumpta humanitate appropinquauit, in tanto excessu numerũ quadragenarium, numerus plagarum eius excessit; vt apud Auctores fide dignos legamus, aliquibus fuisse diuinitus reuelatũ ad quinquies mille, & amplius peruenisse. Et sanctus Vincentius in quodam sermone de passione, inducta etiam auctoritate Sanctorum Chrysostomi, & Hieronymi affirmauit; Christum Dominum à quatuor militibus fuisse flagellatum, triplicibus verberum instrumentis, primùm virgis spinosis, secundò funibus nodosis, & loris, quibus solum serui, non verò liberi, & ingenui, quantùmuis facinorosi verberabantur, tertiò ferreis catenis. Ita vt quoniam in humano corpore, sicut ipse refert ex sententia anathomicorum, ossa numerantur ducenta septuaginta sex, in singulis ossibus tres saltem ictus per totum corpus flagellatus sustinere debuisse videatur, virgarum vnum, alterum funium nodosarum, tertium catenarum. Scilicet hoc fuit illud in Deuteronomio præscriptum: *pro mensura peccati erit & plagarum modus*: peccata autẽ, quæ in se filius Dei suscepit, nec numerum, nec modũ habere videbantur. Vnde non semel apud Isaiam legimus repetitũ: *posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrũ, & ipse peccata multorũ tulit: vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum*. Qui etiam propterea de se per alium Prophetam di-

Numerus actionum, & passionum facit ad eius substantiam melius intelligẽdam.

Deutor. 25. 3.

2. Cor. 11. 24.

Psal. 90. 90.

Suarez. to. 2. in 3. p. d. 35. sect. 2. excessum certum, & numerum incertum putat.

S. Vinc. ser. vnico in paras.

Deut. 25. 3.

Isai. 53. 6.

Psal. 128. 3.

Psal.37.18. cebat: *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem suam: & ego in flagella paratus sum: & fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis.*
Psal.72.14.

Tertia actionis circũstantia est locus. Superius l.2. cap.14.

4 Tertiò inter circumstantias actionum consideranda proponitur qualitas loci, quæ adeo conducit ad meditationem, vt propterea vnum ea de re præludium instituatur, quod loci cõpositio nominatur, de quo satis multa fuerunt superius explicata. Est tamen aliqua differentia hic obseruanda inter considerationem loci, vt fit in præludio, & eam, quæ inter meditandum expenditur, vt circumstantia actionis. In præludio enim apprehensio loci imaginaria proximè refertur ad intellectum in suo officio continendum, ne vaga imaginatione locorum ad cogitanda aliena destrahatur: vt verò locus quædam est actionis, quam contemplamur circumstantia, potius pertinet ad piũ aliquem affectum circa illam actionem in voluntate excitandum. Hinc Regius Propheta dum alta consideratione reuolueret, & secum admiraretur æternum redemptionis nostræ decretum, postea suo tempore executioni mandandum, locum inter tanti operis circumstantias primum enumerauit: *Deus autem Rex noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ,* videlicet Palestinæ maximè tunc notæ, & habitabilis; vbi erat nobilissima, & celeberrima Vrbium Hierosolyma, quasi media inter Asiam, Africam, & Europam constituta; vt inde commodius ad omnes mundi partes Crucis prædicatio deferretur. Eademq. ratione nõ prætermisit Apostolus cum in Epistola ad Hebræos, opus nostræ redemptionis consummatum in sacrificio Crucis exposuisset, adiungere id extra Ciuitatem Hierusalem diuino consilio contigisse; tùm ad figuram Testamenti veteris adimplendam; vt Hostia, quæ pro peccato sacrificabatur, & cuius sanguis per summum Pontificem intra sanctuarium offerebatur, extra castra combureretur; tùm vt intelligeremus, non pro Iudæis tantùm fuisse huiusmodi sacrificium, sed etiam pro gentilibus, & pro mundo vniuerso; tùm etiam, vt significaretur ijs, qui Christum Dominum sequi, & imitari seriò constituerunt, abrenunciandum omnino esse mundanis pompis, delicijs, & vanitatibus. *Quorum enim animalium,* ait Apostolus, *infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod, & Iesus vt sanctificaret per suum sanguinem populum extra portã passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra, improperiũ eius portantes. Non enim habemus hic manentem ciuitatẽ, sed futuram inquirimus.*

Psal.73.12.

ad Heb.13.11

Leuit.6.11.

Obser-

Obseruatum quoque diligenter fuit à sanctis Patribus, Christũ Dominum ad exemplum perfectissimæ humilitatis in oppidulo, non in celebri aliquo loco nasci voluisse; mori autem vice versa in vrbium omnium celeberrima: prorsus contra omnem mundanam sapientiam. Qua in re Magos etiamsi prodigio nouæ stellæ de Christi natiuitate admonitos, tamen fuisse deceptos, S. Leo adnotauit: *Qui*, inquit, *humano sensu significatum sibi Regis ortum æstimauerunt in Ciuitate Regia esse quærendum. Sed qui serui susceperat formam, & non iudicare venerat, sed iudicari, Bethleem præelegit natiuitati, Hierosolymam passioni.* Sed S. Gregorius etiam in ipso nomine loci dominicæ natiuitatis mysteria sic excogitauit. *Bethleem domus panis interpretatur: nam qui ibi nascitur ipse est, qui ait, ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Locus ergo in quo Dominus nascitur domus panis antea vocatus est, quia futurum profectò erat, vt ille ibi per materiam carnis appareret, qui electorum mentes æterna satietate reficeret. Qui non in parentum domo, sed in via nascitur, vt profectò ostenderet; quia per humanitatem suam, quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur.* Notarunt & alij situm dominicæ Crucis in monte Caluario talem fuisse, vt Saluator dum in ea esset affixus auersam prorsus haberet sacram suam faciẽ ab ingratissima Ciuitate, conuersus apertis brachijs, & vultu moribundo ad partes occidẽtales, atque Vrbem Romã, ad quam haud multo post duos Apostolorum Principes Petrum, & Paulum mittere destinauerat, vt in ea Ciuitate Christianam maximè fundaret Ecclesiam, & sedem nostræ Religionis primariam collocaret; infœlici Hierosolyma derelicta, sicut illi fuerat antea comminatus. *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos quemadmodũ gallina cõgregat pullos suos sub alas, & noluisti, ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.*

S. Leo ser. 1 de Epiph.

S. Greg. hom. 8 in Euang.

Ioann. 6. 41.

Matth. 23. 37

5 Venio nunc ad quartum circa actionem considerandum, quod inter circumstantias illa particula, quibus auxilijs, exprimebatur: quæ auxilia tam in bonis actionibus approbandis, admirandis, imitandis; quàm in malis fugiendis, & abominãdis vtiliter considerari possunt. Et quidem sicut in bonis operationibus huiusmodi auxilia ad Deum, & gratiam ipsius referuntur, ita etiam in malis ad Dæmonem communiter, & ad malas eius suggestiones reuocantur. Quapropter id aliquando verba sacræ Scripturæ solent exprimere, aliquando piæ vniuscuiusque meditationi relinquuntur. Nam vt aliqua exempla in medium

Quarta circumstantia actionis, quæ sit.

Massut. de cælesti conuersat.

proferamus: vbi agitur in Euangelio de sublimissimo incarnationis Verbi mysterio, ipsamet Beatissima Virgo proponitur serio cogitans de hac operis circumstantia, quam exponens Angelus ei dixit: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi*. Notat autem S. Bernardus, cum prius Virginem Beatissimam gratia plenam Angelus appellasset, meritò addidisse: *Spiritus sanctus superueniet in te*, tantæ namque gratiæ plenitudini, non nisi superabundantia, & affluentia copiosior superaddi potuisset. *Sed quid est*, ait S. Bernardus, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi? qui potest capere capiat. Quis enim excepta fortassis illa, quæ hoc sola in se fœlicissimè meruit experiri, intellectu capere, ratione discernere possit, qualiter splendor ille inaccessibilis Virginis sese visceribus infuderit, & vt illa inaccessibilem accedere ad se ferre potuisset de portiuncula eiusdem corporis, cui se animatè contemperauit, reliquæ massæ vmbraculum fecerit?* Neque solū in hoc altissimo mysterio, sed etiam in cuiusuis alterius sancti electione, vocatione, iustificatione, glorificatione assequi gratiæ cælestis efficacitatem, rimari diuini consilij profunditatem si non possumus; saltem admirari, & laudare, vt possumus, fructu aliquo spirituali non carebit. Contra verò similiter proderit in malis actionibus perspectam habere altitudinem Satanæ, sicut loquitur in sua Apocalypsi S. Ioannes, idest profundissimā Dæmonis in suis suggestionibus immittendis versutiam, & calliditatem; quā idem Euangelista in actione omnium iniquissima recensenda Iudæ proditoris non prætermisit: *cum*, inquit, *Diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotes*. Pertinet etiam ad idem considerationis caput, instrumentorum obseruatio, quibus operatio aliqua maximè admiranda perfecta sit: vt quòd luto super imposito oculis cæci nati Saluator ei visum restituerit, materia ex se magis apta ad bene videntem obcæcandum, quam ad cæcum illuminandum. Talibus enim instrumentis suam Deus omnipotentiam, atque eminentem supra humana consilia sapientiam reddit illustriorem: vt propterea dixerit Apostolus consueuisse Deum, *ea quæ stulta sunt mundi eligere, vt confundat sapientes: & infirma mundi, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius*. Neque solum ineptis ad opus destinatum perficiendum sæpe vtitur instrumentis; sed etiam aliquando planè nullis. His enim omnino ipse non indiget, vt in præcipuis operibus

Lucæ. 1. 35.

S. Bern. hom. 4. super missus est.

Apoc. 2. 24.

Ioann. 13. 2.

Ioan. 9. 6.

1. Cor. 1. 17.

ribus naturæ, & gratiæ possumus contemplari. Solo namque verbo cælum, & elementa produxit, terram plantis, & animalibus repleuit, nullo alio adhibito adiutore, vel instrumento: sicut ipse testatur per Isaiam: *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens cælos solus, stabiliens terram, & nullus mecum*. Idem in opere primario nostræ redemptionis per eundem Prophetam de seipso Dei Verbum profitetur dicens: *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum, circumspexi, & non erat auxiliator: quæsiui, & non fuit, qui adiuuaret: & saluauit mihi brachium meum*. Sed quemadmodum in operibus naturæ solus ipse primũ voluit operari, vt ostenderet alieno se auxilio non indigere; tamen ad operis continuationẽ causas secundas, quasi adiutrices placuit adhibere, vt eas tali munere nobilitaret: ita etiã in operibus gratiæ, primariũ, & omnium maximè arduum suo nos sanguine redimendi ipse sibi solus assumpsit: ad merita deinde suæ passionis, virtutemq. salutiferæ Crucis hominibus applicandã Apostolos, & viros Apostolicos sibi adiũxit, & quotidie adiũgere pro sua munificẽtissima benignitate nõ cessat.

Isai. 44. 24.

Isai. 63. 3.

6 Sequitur iam quintũ circa eam, quam meditamur actionem inquirendum, cur, aut propter quid, finis videlicet ipsius actionis, qui non tàm est circumstantia extrinseca, quàm intimum internæ operationis obiectum, vnde ipsa speciem sortitur, & pulchritudinem, si bonus est finis; aut si malus fuerit, deformitatem: *finis enim*, inquit S. Augustinus, *quò referuntur ea, quæ facimus, idest propter quem facimus quidquid facimus, si non solum inculpabilis, sed etiam laudabilis fuerit, tum demũ facta nostra laude aliqua digna sunt, sin ille iure, meritòq. culpatur, quem spectamus, & intuemur, cùm in aliquo versamur officio, id quoque officium nemo improbandum, vituperandumq. dubitauerit*. Immo Aristotelis optima doctrina est, finem adeo facere ad speciem operationis, vt quò minus habet de natura medij, & vlterior fuerit in ratione boni, siue mali finis, eò magis ipsum denominet à se benè, vel malè operans principium. Vt si furetur aliquis ad finem adulterij perpetrandi, fur quidem in facto sit; sed magis adulter in voluntate: & contra si quis eo fine tribuat liberaliter eleemosynam, vt inde adornetur Ecclesia, & diuinus cultus augeatur, liberalis, & eleemosynarius ex eo poterit denominari, sed apud Deum, qui cor intuetur, magis pius, ac Religiosus existimabitur. Hinc facilè erit intelligere, quanti referat ad naturam actionis benè percipiendam, proprium eius finem considerare: vt pro-

Quinta circũstantia operationis, finis illius.

S. Thom. 1. 2. q. 1. art. 3.

S. Aug. lib. 2. de mor. eccle- siæ cap. 13.

Arist. 5. eth. cap. 2.

pterea tam sæpe in Scripturis sacris, circa opera, maximè nostræ redemptionis, varia nobis tradantur diuina motiua, fines, & rationes. Inde namque operum excellentiam per suos veluti gradus facile inuestigamus. Quare aduentus, exempli gratia, filij Dei in hunc mundum diuinum motiuum aliquando dicitur
Ioann.3.16. fuisse charitas, & dilectio erga humanum genus: *sic enim Deus dilexit mundum*, aiebat ipse Saluator, *vt filium suum vnigenitum daret*. Neque solùm dilectio humani generis in communi, sed etiam singularis vniuscuiusque, sicut pro sua parte expen-
Ad Gal.2.20. dit Apostolus, de se dicens: *in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*. Aliquando tribuitur misericor-
Ioann.3.17. diæ: *non enim misit Deum filium suum in hunc mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum*. Tribuitur interdum liberalitati: *ego veni*, ait Christus Dominus, *vt vitam*
Ioann.10.10. *habeant, & abundantius habeant*. Tribuitur magnificentiæ, & bonitati Dei: *vt ostenderet in sæculis superuenientibus abun-*
Ad Eph.2.7. *dantes diuitias gratiæ suæ, in bonitate super nos in Christo Iesu*; & sic de alijs diuinis attribuitis, & perfectionibus, quas ex motiuo, & fine, tàm in istis, quàm in alijs sanctorum operationibus meditando vnusquisque poterit indagare.

Sexta circumstantia actionis, modus illius.

7 His addi sexto loco debet circumstantia modi operãdi, ex qua non pauca meditanti ad piam eius eruditionem occurrent. Exemplo sit in præsentia modus triplex, quo Christus Dominus
Marc.5.35. tres mortuos ad vitam reuocasse in Euãgelio narratur: puellam
Luca.7.12. duodecim annorũ filiam Archisynagogi; adolescentẽ filium mu-
Ioann.11.1. lieris viduæ, & Lazarum fratrem Mariæ, & Marthæ germanum. Puellam eiecta turba, & manu illius apprehẽsa in propria domo ad vitã reuocauit: per quam significatur peccator, qui ob lethalem culpam intra latebras conscientiæ, quasi intra domesticos parietes animam habet spiritualiter mortuam, cùm iam peccato consentit, sed quia non dum illud executioni mandauit, quasi nõ dum mortuũ extra domum in publicum extulit. Ab hoc mortis genere tunc excitat Christus Dominus, cum apprehẽsa mortuæ puellæ manu, idest impedita mali operis executione, reiecta turba tumultuante, procul nimirũ amandatis peccandi occasionibus, & incentiuis, patrẽ, & matrẽ puellæ propè ad miraculũ inuitat: sua gratia videlicet intellectũ, & voluntatẽ primũ mirabili-
Marc.5.41. ter excitat, tum surgendi præceptum adiungit: *puella, tibi dico*
Luca.7.21. *surge*: idest spiritum pœnitentiæ efficaci sua gratia in cor ponit. Secundò suscitatur aliquantò difficilius adolescens, quia iam ad sepulchrum extra portas non solùm domus, sed & Ciuitatis effere-

efferebatur, matre afflictissima funus comitante, & turba Ciuitatis multa cum illa. Significatur autem in hoc mortuo peccator, qui non solum interno consensu, sed etiam opere externo peccauit; ita vt culpa, quæ latebat in occulto, iam etiam appareat in publico: & pro tali mortuo magis flere cogitur Mater Ecclesia, dum adolescens non tam ætate, quàm peccandi licentia, & temeritate à quatuor portatur ad sepulcrum, magno hominum comitatu: nempe ab æstu concupiscentiæ, à superbia vitæ, ab impetu iracundiæ, siue libidine vlciscendi, & à spebus vanis, atque fallacibus, per peccandi consuetudinem malis multorum exemplis ad profundum perducitur peccatorum: vt fiat quod est in prouerbijs: *impius cùm in profundum venerit peccatorum contennet*. Sed occurrit immerenti misericordia Saluatoris, nec malũ aliquãdo progredi vlterius sinit: tãgit defuncti loculũ, dum graui aliqua infirmitate corpus affligit iuuenile, quò anima per culpam mortua, ad iterandas culpas quasi feretro ad sepulchrum festinatis gressibus portabatur: Iubet sistere funeris portitores, dum ægritudo sedat prauas cõcupiscentias, & impetum cohibet feruentioris ætatis, vt impleatur Illud Isaiæ: *Domine in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis*, & infra: *tantummodo*, inquit, *sola vexatio intellectum dabit auditui*. Sed adhuc difficilior est Lazari suscitatio, adeo vt etiã lachrymas eliciat Christo Saluatori, & cogatur infremere spiritu, turbare semetipsum, & voce magna exclamare: Lazare veni foras: quæ sic obstinato peccatori applicat S. Augustinus *Moles illa super imposita sepulcro ipsa est vis dura consuetudinis, qua præmitur anima, nec resurgere, nec respirare permittitur. Dictum est autem quatriduanus est: quia re vera ad istam consuetudinem, de qua loquor, quarto quodam progressu peruenit anima. Prima est enim quasi titillatio delectationis in corde, secunda consensio, tertium factum, quarta consuetudo. Sunt enim, qui res illicitas obuias cogitationibus suis prorsus ita abijciunt, vt nec delectentur, sunt qui delectentur, & non consentiunt, non dum perfecta mors est, sed quodam modo inchoata. Delectationi accedit consensio, iam est illa damnatio: post consensionem in factum proceditur: factum in consuetudinem vertitur: & fit quædam desperatio, vt dicatur quadriduanus, est iam fœtet. Venit ergo Dominus, cui facilia erant omnia, & difficultatem quamdam ostendit, ibi infremuit spiritu, ostendit multo clamore obiurgationis opus esse, ad eos, qui consuetudine obduruerunt. Tamen ad vocem clamoris Domini*

Prou. 18. 3.

Isa. 26. 16.

Isa. 28. 19.

S. Aug. tr. 44. in Ioann.

pterea tam sæpe in Scripturis sacris, circa opera, maximè nostræ redemptionis, varia nobis tradantur diuina motiua, fines, & rationes. Inde namque operum excellentiam per suos veluti gradus facile inuestigamus. Quare aduentus, exempli gratia, filij Dei in hunc mundum diuinum motiuum aliquando dicitur
Ioann.3.16. fuisse charitas, & dilectio erga humanum genus: *sic enim Deus dilexit mundum*, aiebat ipse Saluator, *vt filium suum vnigenitum daret*. Neque solùm dilectio humani generis in communi, sed etiam singularis vniuscuiusque, sicut pro sua parte expen-
Ad Gal.2.20. dit Apostolus, de se dicens: *in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*. Aliquando tribuitur misericor-
Ioann.3.17. diæ: *non enim misit Deum filium suum in hunc mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum*. Tribuitur interdum liberalitati: *ego veni*, ait Christus Dominus, *vt vitam*
Ioann.10.10. *habeant, & abundantius habeant*. Tribuitur magnificentiæ, & bonitati Dei: *vt ostenderet in sæculis superuenientibus abun-*
Ad Eph.2.7. *dantes diuitias gratiæ suæ, in bonitate super nos in Christo Iesu*; & sic de alijs diuinis attributis, & perfectionibus, quas ex motiuo, & fine, tàm in istis, quàm in alijs sanctorum operationibus meditando vnusquisque poterit indagare.

Sexta circumstantia actionis, modus illius.

7 His addi sexto loco debet circumstantia modi operãdi, ex qua non pauca meditanti ad piam eius eruditionem occurrent. Exemplo sit in præsentia modus triplex, quo Christus Dominus
Marc.5.35. tres mortuos ad vitam reuocasse in Euãgelio narratur: puellam
Luca.7.12. duodecim annorũ filiam Archisynagogi; adolescentẽ filium mu-
Ioann.11.1. lieris viduæ, & Lazarum fratrem Mariæ, & Marthæ germanum. Puellam eiecta turba, & manu illius apprehẽsa in propria domo ad vitã reuocauit: per quam significatur peccator, qui ob lethalem culpam intra latebras conscientiæ, quasi intra domesticos parietes animam habet spiritualiter mortuam, cùm iam peccato consentit, sed quia non dum illud executioni mandauit, quasi nõ dum mortuũ extra domum in publicum extulit. Ab hoc mortis genere tunc excitat Christus Dominus, cum apprehẽsa mortuæ puellæ manu, idest impedita mali operis executione, reiecta turba tumultuante, procul nimirũ amandatis peccandi occasionibus, & incentiuis, patrẽ, & matrẽ puellæ propè ad miraculũ inuitat: sua gratia videlicet intellectũ, & voluntatẽ primũ mirabiliter excitat, tum surgendi præceptum adiungit: *puella, tibi dico*
Marc.5.41.
Luca.7.22. *surge*: idest spiritum pœnitentiæ efficaci sua gratia in cor ponit. Secundò suscitatur aliquantò difficilius adolescens, quia iam ad sepulchrum extra portas non solùm domus, sed & Ciuitatis

effere-

efferebatur, matre afflictissima funus comitante, & turba Ciuitatis multa cum illa. Significatur autem in hoc mortuo peccator, qui non solum interno consensu, sed etiam opere externo peccauit; ita vt culpa, quæ latebat in occulto, iam etiam appareat in publico: & pro tali mortuo magis flere cogitur Mater Ecclesia, dum adolescens non tam ætate, quàm peccandi licentia, & temeritate à quatuor portatur ad sepulcrum, magno hominum comitatu: nempe ab æstu concupiscentiæ, à superbia vitæ, ab impetu iracundiæ, siue libidine vlciscendi, & à spebus vanis, atque fallacibus, per peccandi consuetudinem malis multorum exemplis ad profundum perducitur peccatorum: vt fiat quod est in prouerbijs: *impius cùm in profundum venerit peccatorum contennet*. Sed occurrit immerenti misericordia Saluatoris, nec malũ aliquãdo progredi vlterius finit: tãgit defuncti loculũ, dum graui aliqua infirmitate corpus affligit iuuenile, quò anima per culpam mortua, ad iterandas culpas quasi feretro ad sepulchrum festinatis gressibus portabatur: Iubet sistere funeris portitores, dum ægritudo sedat prauas cõcupiscentias, & impetum cohibet feruentioris ætatis, vt impleatur Illud Isaiæ: *Domine in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis*, & infra: *tantummodo*, inquit, *sola vexatio intellectum dabit auditui*. Sed adhuc difficilior est Lazari suscitatio, adeo vt etiã lachrymas eliciat Christo Saluatori, & cogatur infremere spiritu, turbare semetipsum, & voce magna exclamare: Lazare veni foras: quæ sic obstinato peccatori applicat S. Augustinus *Moles illa super imposita sepulcro ipsa est vis dura consuetudinis, qua præmitur anima, nec resurgere, nec respirare permittitur. Dictum est autem quatriduanus est: quia re vera ad istam consuetudinem, de qua loquor, quarto quodam progressu peruenit anima. Prima est enim quasi titillatio delectationis in corde, secunda consensio, tertium factum, quarta consuetudo. Sunt enim, qui res illicitas obuias cogitationibus suis prorsus ita abijciunt, vt nec delectentur, sunt qui delectentur, & non consentiunt, non dum perfecta mors est, sed quodam modo incboata. Delectationi accedit consensio, iam est illa damnatio: post consensionem in factum proceditur: factum in consuetudinem vertitur: & fit quædam desperatio, vt dicatur quadriduanus, est iam fœtet. Venit ergo Dominus, cui facilia erant omnia, & difficultatem quamdam ostendit, ibi infremuit spiritu, ostendit multo clamore obiurgationis opus esse, ad eos, qui consuetudine obduruerunt. Tamen ad vocem clamoris Domini*

Prou. 18. 3.

Isa. 26. 16.

Isa. 28. 19.

S. Aug. tr. 44. in Ioann.

mini rupta sunt vincula necessitatis: tremuit inferni dominatio, redditus est Lazarus viuus. Hæc S. Augustinus.

Septima circumstantia actionis est quãdo, siue tẽpus illius.

8 Postremam in actionibus consideratione dignam circumstantiam posuimus, quando, idest tempus operationis, vel actionis: quod similiter in sacris historijs scripturarum ad nostrum institutum frequentissimè expressum inuenitur, maximè in opere omnium diuinorum eminentissimo Incarnationis Verbi.

Ad Gal. 4. 4.

Nam vbi venit plenitudo temporis, ait Apostolus, *misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege:* & de huius mysterij ad Beatissimam Virginem annuntiatione dicitur: *In mense autem sexto missus est Gabriel Angelus à Deo in Ciuitatem Galilææ:* de Natiuitate Saluatoris: *factum est autem, cùm essent ibi impleti sunt dies, vt pareret*, quod tempus etiam multo ante fuerat à Salomone illis verbis significatum: *Dum medium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium inter peragerat, omnipotens sermo tuus de cælis à regalibus sedibus venit*. Sed vt alia omittamus, quanto cum mysterio tempus institutionis augustissimi Eucharistiæ sacramenti, existimare debemus ab Apostolo illis verbis fuisse notatum. *Quoniam Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit, accipite, & manducate: hoc est corpus meum*. Quasi diceret: illa ipsa nocte cum ab ingratissimis mortalibus parricidium excogitabatur, & parabatur omnium funestissimum, scelus omnium, quæ vmquam patrata sunt, vel patrari possunt atrocissimum; tunc institutum fuit Eucharistiæ, idest bonæ grttiæ sacramentum, pignus inæstimabilis charitatis: adinuentio amoris immensi erga nos Dei solius. Sed vt hanc materiam concludamus, illud postremo loco animaduertendum est: non semper expedire in omnibus actionibus æqualiter has septem circumstantias velle meditando peruestigare. Propterea in aliquibus vnam magis, in alia vero actione potius alteram in nonnullis tamen omnes, aut ferè omnes dictas circumstantias inueniemus ab ipsa etiam sacra Scriptura fuisse expressas. Id S. Augustinus ad illa verba Euangelij S. Ioannis bene obseruauit: *Iesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta. Venit mulier de Samaria, &c. Fatigatur*, inquit sanctus Augustinus, *& fatigatur ab itinere Iesus, & sedet, & iuxta puteum sedet, & hora sexta fatigatus sedet. Omnia ista innuunt aliquid, indicare volunt aliquid, intentos nos faciunt*. Tum pergit singula ponderare. Quis fatigatur? ille, *qui portat omnia verbo virtutis suæ, ille per quem*

Luca 1. 26. — Luca. 2. 6. — Sap. 18. 14. — 1. Cor. 11. 23. — Ioann. 4. 6. — S. Aug. tract. 15. in Ioannē.

facta

facta sunt omnia, & sine eo *factum est nihil:* sed fatigatur, quia *verbum caro factũ est, & pro quo fatigatur, tibi fatigatus est ab itinere Iesus: fortitudo Iesu fecit, vt quod non erat esset, Infirmitas Iesu fecit, vt quod erat non periret, condidit nos fortitudine sua, quæsiuit nos infirmitate sua*. Locus etiam diligenter ab Euangelista describitur: *Sedebat sic supra fontem*, & fontem addit fuisse iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo, & ita fuisse profundum, vt puteus etiam debuerit appellari. Hunc puteum sanctus Augustinus voluptuosum sæculum interpretatur: *Etenim*, inquit, *aqua in puteo, voluptas sæculi est in profunditate tenebrosa; hinc eam hauriunt homines hydria cupiditatum: sed qui biberit ex hac aqua sitiet iterum*. Modus autem, quo sedebat supra fontem is, apud quem est fons vitæ, illa indicatur particula, sic, & piæ de cætero meditationi relinquitur. Neque tempus, & hora prætermittitur, cùm dicitur: *hora autem erat quasi sexta;* quia sexta mundi ætate ad nos venit, Sammaritanam ad puteum inuenit: Ecclesiam, videlicet non sanctificatam, sed mox sanctificandam, & magis ad alienigenas, quàm ad Iudæorum gentem pertinentem. Et hæc satis de meditandis cum suis circumstantijs actionibus.

CAPVT SEPTIMVM.

In meditatione attente sacra verba esse consideranda.

1 ATTENTE sacra verba considerantur, cùm eorum varius sensus inter meditandum ad fouendam pietatem, non ad curiositatem expenditur. De multiplici autem hoc sensu, antequam ea, quæ ad rem nostram faciunt, exponamus; obiectioni cuidam est occurrendum, quam ex libello spiritualium exercitiorum aliquis in eo versatus facilè posset opponere: ibi enim non semel docemur in meditatione primùm considerandas esse personas, deinde verba, & postremo actiones; hic autem nos supponimus post personas secundo loco esse considerandas actiones, de quibus propterea est actum capite superiori, tertio verò loco verba expẽdenda, de quibus propterea tractare hucusque distulimus. Ad

Cur verba post personas, & actiones tertio loco sint consideranda, interdum verò secundo loco.

hoc ita

hoc ita respondemus: duplici ratione verba in sacro textu inueniri, aliquando vt prolata à personis, quæ in ipsa historia scripturarum inductæ leguntur; vt cùm narratur in sacro Lucæ
Luca.1.26. Euangelio, Missus Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ ad Deiparam Virginem; deinde verba Salutationis eius adduntur: *Aue gratia plena*. Secundò sumuntur verba vniuersalius, pro toto contextu diuinarum scripturarum, vt sunt ab auctore sacri illius libri composita. Cùm itaque prima ratione occurrunt verba meditanda, tunc expedit iuxta doctrinam libri spiritualium exercitiorum post considerationem personarum, ante actiones, quid loquantur attendere; neque solùm quid voce exterius protulisse referantur, sed etiam quid interius dixerint, aut dixisse, vel dicere potuisse verisimile videatur. Est enim verissi-
S. Aug. l.15. de Trin. c.11. ma doctrina S. Augustini, nulla fieri posse ab homine opera exterius, vt homo est, nempe, vt est ratione, & consilio præditus, quin prius cogitentur in corde, & verbo mentis dicantur
Eccles.37.20. iuxta. 70. inter. interius; in cuius rei confirmationem ecclesiastici affert testimonium, dicentis: *initium omnis operis verbum*. Et quia non tam contemplatio personarum, vel profunda verborum intelligentia, aut speculatio, quàm practica consideratio, & imitatio sanctarum actionum debet esse finis nostræ internæ orationis: ideo primùm personæ, tum verba, postremo actiones considerandæ proponuntur. Quòd si latius verba diuinarum scripturarum accipiantur, vt sacri historici verba sunt, vel Prophetæ, aut Euangelistæ, tunc dicimus commodè tertio loco reseruari. Non quia hunc ordinem in meditatione numquam liceat immutare, cùm saltem simplex quædam intelligentia sacrorum verborum, ad personas, & actiones per illa significatas, ante omnia requiratur: sed quia communiter hic ordo contemplanti erit conuenientior. Cùm tria ista capita meditandi circa personas, actiones, & verba sint veluti tres fontes in hac interna exercitatione propositi, vt inde doctrina cælestis hauriatur, & ad duos primos accedere simplici verborum sacræ Scripturæ intelligentia cuicumque concedatur: euenire tamen quibusdam aliquando solet, vt duo primi fontes exsiccati quodammodo esse videantur, aut non adeo fluere copiosè, nisi profundius quis hauriat ex tertio, vnde etiam in duos priores copia refundatur. Atque ita demum attentæ verborum examinationi est insistendum; quorum sensus pretiosissimi sunt, intelligentia dulcissima, & illuminatæ à Deo męti suauissima, & deliciosissima
Psal.11.7. De pretio testatur Regius Psaltes: *eloquia Domini, eloquia casta*;

[illegible]a; *argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum* [illegible]*uplum*. Et in alio Psalmo: *desiderabilia super aurum, & la*[illegible]*m pretiosum multum*. Nam quid auro, & gemmis pretio[illegible]? argentum verò in candore, & sono omnia alia superat [illegible]alla: sic eloquia scripturarum in doctrinæ puritate, ideo etiã [illegible]a nominantur, in veritatum sublimitate, sine vlla erroris su[illegible]ione, ideo dicuntur igne examinata, & purgata, omnibus [illegible]is mundi huius sapientium doctrinis longè superminent. De [illegible]lcedine verò idem Propheta, vt expertus profitebatur: *quàm* [illegible]*cia faucibus meis eloquia tuam super mel ori meo*: & alibi: [illegible]*iora super mel & fauum*. Magis profectò dulcia, quàm mel [illegible], quod virga exceptum Ionathæ propè deficientis, lan[illegible]tes eius oculos statim illuminauit: siue enim virga corre[illegible]nis erudiant peccatores, siue pascant supernis promissioni[illegible] iustos, semper sunt animæ fideli, & esurienti eloquia diuina, [illegible]t S. Augustinus ait, *de cæli melle mellea, & de superno lumi*[illegible] *luminosa*: propterea vocat illa castas delicias suas, & à Deo illorum intelligentiam ardenter illis verbis postulat: *Domine, at*[illegible]*nde, & miserere mei Domine Deus meus, lux cæcorum, & vir*[illegible] *infirmorum: largire inde spatium meditationibus nostris in* [illegible]*dita legis tuæ, neque aduersus pulsantes claudas eam. Vide Domine Deus meus, vnde sit desiderium meum: narrauerunt mihi iniusti delectationes suas, sed non vt lex tua Domine*. Suauitatem verò scripturarum Ioannes Cassianus exemplo agri valde fertilis, & opimi declarauit, ex quo varia pomorum genera colligantur, quorum quædam ad victum sine aliqua ignis coctione proficiunt, quædam nisi prius flammæ calore mollita, atque mitigata suam deposuerint cruditatem, vel incongrua humanis vsibus, vel noxia sentiuntur: non nulla verò ita vtrique vsui apta nascuntur, vt nec incocta sua asperitate displiceant, vel offendant, & tamen ignis calore mollita salubriora reddantur: *Sic*, ipse inquit, *in hoc vberrimo spiritualium scripturarum paradiso conspicimus: in quo quædam ita significatione literæ plana, & luculenta resplendent, vt cùm sublimiore interpretatione non egeant, simplici tamen literæ sono abundè pascant, ac nutriant audientes: quædam autem si allegorica explanatione extenuata non fuerint, & spiritualis ignis examinatione mollita, nullo modo ad salutarem interioris hominis cibum sine corruptionis labe proueniant; vt est illud: qui non accipit Crucem suam quotidie, &c. quod quidam districtissimi monachorum nimis simpliciter intelligentes fecerunt sibi Cruces ligneas, easque*

Psal. 18. 13.

Psal. 118. 103.

Psal. 18. 13.

1. Reg. 14. 27.

S. Aug. lib. 9. confess. c. 3. & lib. 11. c. 2.

Cass. coll. 8. cap. 3.

Luca 9. 23.

iugiter

iugiter humeris circumferentes, non ædificationem, sed risum cunctis videntibus intulerunt. Non nulla verò ad vtrãque perceptionem, ideſt tam hiſtoricam, quam allegoricam ita commodè, & neceſſariè capiuntur, vt vtraque explanatio vitales animæ ſuccos ſubminiſtret. Huc vſque Caſſianus.

Duplex ſenſus ſcripturarum, literalis, & ſpiritualis quomodo intelligendus. 2. Cor. 3. 6.

2 Eſt igitur, vt ad rem noſtram propius accedamus, duplex in vniuerſum ſenſus diuinarum ſcripturarum, literalis vnus, alter verò ſpiritualis, ſumpta autem videtur huius diuiſionis, & nominum occaſio ex eo, quod in epiſtola ſecunda ad Corinthios dicitur: *litera occidit, ſpiritus autem viuificat*. Literalis ſenſus eſt is, quem immediatè ſacra verba ſignificant, & ſine alio myſterio ſimpliciter præ ſeferũt; ſpiritualis autem ſenſus eſt, qui mediatè, & non tam per verba, quàm per res verbis ſignificatas indicatur. Deus enim rerum omnium conditor ſapientiſſimus, non ſolum verbis loquitur, vt nos facimus, ſed etiam factis, & operibus, futura præfigurando, & ſua nobis occulta ſenſa myſticis modis inſinuando. Hi porrò duo ſic diſtincti ſenſus ita ſubordinantur, vt literalis aliquando ſine ſpirituali, at ſpiritualis ſine literali numquam, literalis verò cum ſpirituali ſæpe inueniatur. Senſus literalis ſolus ſine myſtico in Euangelio, & in epiſtolis ſancti Pauli potiſſimùm occurrit, vbi propterea non multum allegoriæ ſunt quærendæ: ſpiritualis ſenſus ſine literali, ideo nunquam inuenitur, quia ſpiritualis fundatur in literali, & quò magis illi congruit, eo ſolet eſſe conuenientior; ſine illo verò, tamquam paries, vel ædificium ſine vllo fundamento non poteſt ſubſiſtere: literalis autem cum ſpirituali frequentius in veteri teſtamento inuenitur. Quapropter loquens Apoſtolus de Iudæorum ab Aegypto eductione, & in terram promiſſionis inductione tot ſignis per Moyſem editis, atque prodigijs in exodo recenſitis dixit: *hæc autem omnia in figura contingebant illis:* non quidẽ abſolutè omnia, ſed illa in eo genere. Quod ſapienter aduertit S. Auguſtinus; cùm de ſacris literis veteris teſtamenti in vniuerſum ita ſcripſit: *Mihi ſicuti multum errare videntur qui nullas res geſtas in eo genere literarum aliquid aliud; præter id, quod eo modo geſtæ ſunt, ſignificare arbitrantur; ita multum audere, qui prorſus ibi omnia ſignificationibus allegoricis inuoluta eſſe contendunt*. Sed neque deſunt in nouo teſtamento ſenſibus literalibus adnexi ſpirituales; vnum illud pro exemplo ſufficiat, quod in Euangelio à S. Ioanne refertur: vbi ablutio pedum Diſcipulorum à Chriſto Domino peracta narratur his verbis: *Surgit à cœna, & ponit veſtimenta ſua: & cùm acce-*

1. Cor. 10. 11.

S. Aug. lib. 17. de Ciu. c. 3.

Ioann. 13. 4.

piſſet

pisset linteum præcinxit se. Deinde mittit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorũ, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Sensus literalis horum verborum alius non est, nisi facti illius tantæ dilectionis, & demissionis simplex historia, qui proinde sensus etiam historicus appellatur: spiritualis verò facto ipso mysticè designatur, qui propterea mysticus etiam sensus dici solet. Itaque surrexisse Dominum à cæna, & vestimenta sua deposuisse, mysticè, & spiritualiter significat, à solio paternæ gloriæ ad nostras miserias Dei filium discendisse: qui albo linteo præcinxit se, cùm purissimam carnem assumpsit, & nostram sine vlla peccati labe naturam induit: misit aquam in peluim, cùm nouæ legis sacramenta, baptismi præsertim, & pœnitentiæ, tamquam vasa quædam ad abluenda peccata instituit: ibi pedes suorum lauit, & linteo, quo erat præcinctus, absterit; quia meritis, ac satisfactionibus suæ passionis, maculas peccatorum nostrorum deleuit, dum sordes nostrarum culparum in sua expiandas humanitate suscepit. Est autem circa hos duos sensus literalem, & spiritualem in genere obseruandum discrimen, quòd quemadmodum in æterno Dei Verbo ad nos per mysterium incarnationis misso, duplex natura inuenitur, humana visibilis, & facilis ad cognoscendum, deinde diuina recondita, & inuisibilis: ita in verbo Dei scripto sacrarum paginarum duplex inest sensus; literalis primùm occurrens, & qui solet esse, quamuis non semper, facilior ad cognoscendum, deinde abstrusior mysticus, & spiritualis. Præterea quemadmodum natura diuina humanam in Christo multum superat, immo in immensum excedit; ita sensus spiritualis sua varietate, multiplicitate, atque etiam sublimitate aliquando videtur excedere litteralem sensum in infinitum. Hinc fit, vt eodem sensu literali semper inuariato consistente noui quotidie spirituales, & mystici eruantur. Sed neque in eo deficit allata similitudo, quòd sicut immensa naturæ diuinæ perfectio in tribus personis vniuersa subsistit; ita sensus spiritualis tota amplitudo in tropologia, allegoria, & angogia consistit. Tropologiæ spiritualis sensus ad viam purgatiuam maximè spectans, magis pertinet ad incipientes: allegoricus ad proficientes, & ad viam illuminatiuam: anagogicus ad viam perfectorum vnitiuam. Ex his tribus sensibus spiritualibus cum quarto literali quatuor illæ facies existunt duarum rotarum, idest duorum testamentorum, quas in admirabili sua visione triumphalis currus gloriæ Dei vidit Ezechiel, quo significatam esse noui, & veteris testamenti diuinam scripturam

Sensus Spiritualis, siue mysticus triplex, tropologicus, allegoricus, & anagogicus.

Ezech. 1. 16. *Supra l. 2. c. 4.*

pturam alibi cum S. Gregorio exposuimus. Solet etiam sensus literalis elemento terræ comparari, tropologicus aquæ, allegoricus aëri, anagogicus autem igni, & sphæris cælestibus altioribus: vt propterea diuinam scripturam Origenes appellauerit Mundum quemdam intelligibilem. Sed disertè S. Paulus omnes hos quatuor sensus in vno eodemque capite epistolæ ad Galatas nobis expressit, cùm dixit: *Scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit vnum de ancilla, & vnum de libera*: hic sensus exprimitur literalis. *Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat persequebatur eum, qui secundum spiritum, ita & nunc*: hic sensus est tropologicus. *Sed qui de ancilla secundum carnem natus est, qui verò de libera, secundùm spiritum: quæ sunt per allegoriam dicta: hæc enim sunt duo testamenta*: hic expressa est allegoria. *Illa autem, quæ sursum est Hierusalem libera est, quæ est mater nostra*: hoc spectat ad anagogiam. Tanta verò est Scripturæ sacræ profunditas, vt non solùm in ijsdem verbis, sed interdum etiam in vno, eodemque verbo omnes hi quatuor sensus inueniantur. Nam hæc ipsa vox Hierusalē toties posita in scriptura sensum suum in primis habet literalem, significat enim illam celeberrimam Ciuitatem, quæ Iudææ erat Metropolis, & hanc in simplici historia euangelica primùm intelligere oportebit. Habet tamen præterea sensum spiritualem tropologicum, quo anima nostra significatur, cui propterea dicitur per Isaiam: *Surge illuminare Hierusalē, quia venit lumen tuum*. Habet allegoricum, quo Ecclesia Christi designatur, pro qua ipsamet Ecclesia toties orat illis Psalmi verbis: *Benigne fac Domine in bona volũtate tua Sion, vt ædificẽtur muri Hierusalem*: nimis enim esset importuna, & abiecta petitio Ecclesiæ toties hunc Psalmum repetentis, illorum tantum murorum materialem instaurationem à Deo postulare. Habet denique nomen Ciuitatis Hierusalem anagogicam significationem, qua superna beatorum patria denotatur, de qua S. Paulus; *illa*, inquit, *quæ sursum est Hierusalem libera est, quæ est mater nostra*, idest patria communis electorum, & S. Ioannes in Apocalypsi: *Vidi*, ait, *sanctam Ciuitatem Hierusalem nouam descendentem de cælo, à Deo paratam*. Similiter hoc vocabulum, aqua, in diuina scriptura non nisi elementum aquæ significat iuxta sensum literalem, sed iuxta spiritualem alia plura, nam in sensu tropologico significat tribulationem: vnde in Psalmis dicitur: *quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam*: in allegorico, Dei gratiam, ideo dicebat Christus Dominus: *qui biberit ex aqua*,

Ad Galat. 4. 22.

Quatuor sensus litteralis vnus cum tribus spiritualibus expressi à S. Paulo.

Isa 60. 1.

Psal. 50. 20.

Ad Galat. 4. 26.

Apoc. 21. 2.

Psal. 68. 2.

Ioann. 4. 14.

ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: in anagogico, torrentem æternæ voluptatis, sicut in alio Psal. dicitur: *torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te est fons vitæ:* Sed vt melius quatuor huiusmodi sensus percipiamus, de singulis seorsum, & magis in particulari aliquid est dicendum. Psal. 35. 10.

3 Primum itaque meditanti sacra verba scripturarum sensus literalis esset inuestigandus. Hunc sensum sanctus Augustinus in libro de vtilitate credendi, quadruplicem facit, primum historicum, secundum vocat æthiologicum, tertium analogicũ, quartum allegoricũ. Sensus literalis historicus est in verbis scripturæ, ait sanctus Augustinus, referentibus quid gestum, aut non gestum sit: literalis secundum æthiologiam est, cùm exponitur quid, qua de causa factum, aut dictum sit: literalis secundùm analogiam est, quo noui testamenti cum veteri congruentia designatur: secundùm allegoriam, quò veteris cum nouo consonantia, aut potius præfiguratio insinuatur, iuxta illud à sancto Paulo de veteribus affirmatum: *hæc omnia in figura contingebant illis.* Sed quoniam hi duo postremi sensus, si non ad verba immediatè, sed ad res verbis significatas referantur, mystici sunt, & spirituales, non literales; ideo confusionis vitandæ gratia in duos tantùm sensus literales clarius diuidemus, si dicamus proprium vnum, alterum esse figuratum: proprius est, cùm verba non sunt translata, vel figurata, vt cùm aqua elementum aquæ significat: figuratus verò est sensus, vt si per Dei brachiũ diuina potentia denotetur; neque enim in illis verbis: *Fecit potentiam in brachio suo*, aliud quàm omnipotentia Dei ad literam, & immediata, sed translata, siue figurata locutione intelligitur. Huiusmodi verò figuratæ locutiones ad longum perductæ parabolas constituunt: quales sunt de filio prodigo; de vinea malis agricolis locata; de zizanijs, de semente secus viam, supra petram, & inter spinas incidente. Neque enim per filium prodigum alium nisi hominem peccatorem, per malos agricolas Iudæos, per zizania, falsam doctrinam, per bonum semen, Dei verbum in literali, sed figurato sensu intelligere debemus. Nam si peccator in illa de filio prodigo narratione, non ad literam, sed in sensu spirituali accipiatur; iuxta sensum verò literalem, qui deesse nunquam solet, alius nescio quis adolescens intelligatur, falsa erit historia, & veluti fabella. Numquam enim in mundo filius extitit, qui relicta paterna domo in illa omnia planè sicut in Euangelio narrantur inciderit: & similiter credere debemus de vinea adeo malis agricolis locata, de zizanijs,

Sensus literalis quotuplex, & qualis. S. August. l. de vtilit. credendi. c. 3.

1. Cor. 10. 11.

Luca. 1. 51.

Luca. 15. 11. Matth. 21. 23. Matth. 13 24. Luca. 8. 5.

nijs, & sparsa illo prorsus modo semente. Sunt ergo sensus literales huiusmodi parabolarum, quos diximus, historici, figurati parabolici, à Christo Domino illis Euangelicis verbis immediatè significati.

Sensus tropologicus quomodo peruestigandus.

4 Præsupposito itaque primũ in quibuscũque diuinæ Scripturæ verbis, vt diximus, sensu aliquo literali ad spirituale, multiplicẽ peruestigandũ, si quis ad rem nostram faciens inueniatur, progredi licebit. Et primùm posset occurrere tropologicus, qui ad mores formandos præsertim incipientiũ confert, vnde etiam sensus moralis appellatur. In hoc genere interpretandi sacram Scripturam sanctus Gregorius inter Ecclesiæ doctores excelluit, cuius propterea celeberrima in librum Iob commentaria, morales expositiones inscribuntur. Quanti verò sensus iste moralis vltra literalem sit faciendus, vnico exemplo nobis declarat Apostolus, qui præceptum illud à Deo per Moysem in Deuteronomio traditum: *non ligabis os bouis terentis in area fruges tuas*: in sensu literali nihil videtur curare, sed tantùm in sensu spirituali, & morali. Sic enim Corinthios adhortatur: *scriptum est in lege Moysi, non alligabis os boui trituranti: Nunquid de bobus cura est Deo? an propter nos vtique hæc dicit: nam propter nos scripta sunt: quoniam debet in spe, qui arat, arare, & qui triturat in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Quibus sanè verbis non eò sancti Pauli fertur intentio, vt velit hoc mandatum malè à Iudæis ad literam fuisse intellectum, aut obseruatum, nec vllam Deo curam esse de bobus, qui, sicut in Psalmo dicitur: *aperit manum suam, & implet omne animal benedictione; qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum: nec vnus de passerculis* (vt dicebat ipse Christus Dominus) *est in obliuione coram Deo*: sed voluit significare tantam esse de hominibus Dei curam, & talem prouidentiam, vt in eius comparatione, cura de animalibus, quasi nulla esse videatur. Quare si tam diligenter Iudæi illud obseruabant, quod in sensu literali illis verbis à Deo mandabatur, vt os boui trituranti non alligarent, multò magis obseruari ab eis debuisse, ne altaris, & Ecclesiæ ministri sua aliqua honesta sustentatione priuarentur: quod in sensu spirituali moraliter eodem præcepto significabatur. Neque enim ibi per bouem Ecclesiæ minister ad literam potest intelligi, sed tale animal: in sensu tamen spirituali ad informandos mores is benè significatur, qui varijs Ecclesiæ laboribus, & ministerijs

Deuter. 25. 4. 1. Cor. 9. 9.

Psal. 144. 16. Psal. 146. 9. Lucæ. 12. 6.

occu-

occupatur. Atque ex hoc illud etiam intelligimus, quamuis sensus literalis in diuinis Scripturis semper, & sine ambiguitate à Deo intendatur, posse etiam esse specialiter intentum sensum spiritualem, & magis aliquando, quàm literalem. Vnde quod præcipiebatur in Leuitico, ne Iudæi carne immundorum animalium vescerentur; vt canis, suis, lupi, miluij aquilæ, & accipitris, neque piscium, qui pinnulas non haberent, non tam erat ob naturales horum animalium qualitates, quàm ad instructionem aliquam spiritualem, & moralem: vt inde videlicet monerentur abominabilem illis esse debere iram canis, immunditiam suis, ingluuiem lupi, miluij, aquilæ, accipitris rapacitatem; cauendum etiam, ne pisces carentes pinnulis imitarentur, qui super aquam ne minimum quidem se attollunt, quales sunt (vt sanctus Gregorius in expositione morali Iob interpretatur) homines, qui à sæculi remporalibus curis ad cogitanda cælestia, nec ad modicum vmquam solent emergere.

Leuit. 11. 7.

S. Greg. lib. 5. mor. c. 8.

5 Secunda species sensus spiritualis allegoria nominatur: hanc vt exexplicemus, obseruare oportet, vbi de varietate sensuum sacræ Scripturæ loquuntur sancti Patres tripliciter eos solere sumere allegoriam, aliquando latè pro quocumque sensu mystico, & spirituali: cùm enim allegoria sit, quemadmodum ait sanctus Augustinus, vbi ex alio aliud intelligitur, vel vt sanctus Hieronymus definit, cùm aliud dicitur, aliud intelligitur, quoties aliquid inuenitur in sacra Scriptura non tam per verba, quàm per res verbis expressas figuratè indicatum, allegoria secundum hanc definitionem censeri posset. Secundò sumpsit allegoriam S. Augustinus pro specie quadam sensus literalis, vt superius dicebamus, cùm non tam allegoria conficitur, quàm alibi facta verbis istis ad literam sumptis significatur: vnde ponit exemplum S. Augustinus ex Apostolo scribente ad Galatas, quæ de duobus Abrahæ filijs narrantur in libro Genesis, esse per allegoriam dicta: neque enim est in verbis S. Pauli allegoria, nisi signata, seu ad literam nominata; in Genesis autem libro est exercita. Tertiò propriè sumitur allegoria, vel sensus allegoricus vt distinctus à quolibet sensu literali, pro sensu mystico, & spirituali non qualicumque, sed à tropologico, & anagogico differente, quatenus tropologicus refertur ad efformandos mores, anagogicus ad res supernas, & Ecclesiam in Cælis triumphantem, allegoricus verò per præterita indicat futura, maximè quæ ad Christum Redemptorem, & militantem eius Ecclesiam pertinent: & quia plurima huiusmodi in veteri testamento leguntur; ideo ali-

Sensus allegoricus quis propriè sit.

S. Aug. l. 15. de trin. c. 19.
S. Hier. in c. 4. ep. ad Galat.

S. Aug. lib. de vtilitate credendi c. 3.

qui allegoricum sensum illum esse definiuerunt, quo per sacrificia, ceremonias, & gesta antiquæ legis, res noui testamenti, & successus Euangelij præfigurantur: vt per sacrificium Abrahæ, filium Isaach imolantis, sacrificium in Cruce Christi Redemptoris: per agnum Paschalem, sacrificium Eucharistiæ. Quod & si falsum omnino non sit, non est tamen adequatè verum: nam sic habet in Epistola ad Galatas S. Paulus: *scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera; sed qui de ancilla secundum carnem natus est, qui autem de libera per repromissionē: quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamēta*. Vbi videmus in Ismaële nato cōditione seruili vetus testamentum, in ingenuo verò Isaac nouum per allegoriam, Apostolo interprete, fuisse significatum. Potest igitur allegoria non solùm res noui, sed etiam antiqui testamenti præfigurare. Neque solùm res aliqua, vel successus ex parte aliqua veteris testamenti potest secundum allegoriam de re vel successu alterius partis interpretari; verùm etiam, quæ in Euangelio legimus retorqueri aliquando per allegoriam poterunt ad ea, quæ in lege veteri contigerunt. Sicut facit sanctus Gregorius; cùm in Homilia quadam super Euangelia, diuitem illum, qui epulabatur quotidie splendidè, secundum allegoriam, Iudaicum populum interpretatur, quem Deus supra omnes alias nationes singularibus fauoribus prosequebatur, & quasi in delicijs habebat: Lazarum verò vlceribus plenum cupientem saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat, exponit fuisse populum gentilem; quem ad cognitionem diuinæ Legis, & diuinorum mysteriorum participationem admittere superbus ille populus despiciebat. Circa modum autem, & cautionem adhibendam in huiusmodi sensibus allegoricis à sacra Scriptura eruendis obseruare oportebit, ne vnquam sensui literali sacrorum verborum, vel in minimo contradicat. Cùm enim sensus literalis sine ambiguitate sit à Spiritu sancto; de mystico verò propter varietatem, & multiplicitatem sæpe liceat dubitare, quando ab illo nempe literali discrepare, vel cum illo pugnare mysticus deprehendatur, manifestè conuincitur falsitatis. Quin etiamsi mysticus literali non repugnaret, vbi tamen pro literali, & proprio, cùm talis non sit, haberetur ad alium quasi de propria sede pellendum, ferè idem esset inconueniens: & propter hanc interpretandi scripturas periculosam rationem Origenes à sanctis Patribus sæpe notatur, & Doctor allegoricus ad reprehensionem appellatur.

Ad Galat. 4. 22.

S. Greg. hom. 4 super Euang. Luca. c. 16.

Quod

Quòd si tantopere scripturæ interpretibus hoc est fugiendum, quantò magis piè coram Deo meditantibus, & orantibus: quippe qui simplicioribus quibusdã scripturæ sensibus poterunt esse contenti, ad affectum sibi potius excitandum, & Dei voluntatem practicè intelligendam, quam ad intellectum profundioribus sensibus, vel peregrinis, aut nimis speculatiuis conceptibus imbuendum.

6 Superest tertia species mystici, & spiritualis sensus, qui anagogicus appellatur, quasi dicatur ad superna, & cælestia introductorius; & propterea superius dicebamus, ad viam vnitiuam, & perfectorum anagogiam maximè pertinere, sicut ad purgatiuam spectat tropologia, & allegoria ad illuminatiuam. Ad huiusmodi verò anagogicos sensus in diuinis Scripturis inuestigandos, viam nobis Apostolus demonstrauit, cùm in Epistola ad Galatas à terrena Hierusalem ad cælestem inquirendam, illam quæ sursum est libera, & mater nostra sensu mystico, & spirituali, excitauit. Itaque vbicumque in diuina scriptura sub typo terrenæ huius Ciuitatis ad literam intellectæ innuitur aliquid mysticum de cælesti, sensus oritur anagogicus. Est autem hoc in Prophetis, & Psalmis frequentissimum, & per integros Psalmos aliquando; vt in eo, cuius initium est: *Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion*, & in altero, qui incipit: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi:* orditur & alius à fundamentis: *Fundamenta eius in montibus sanctis*; & ad eius admirandas excellentias statim attollitur: *Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei*; quæ licèt in sensu literali de terrena Hierusalem vera esse intelligantur, quòd nimirum illa esset Ciuitas Regia, & Sacerdotalis, quòd in ea Templum Domini, & arca Testamenti contineretur, quòd ibi Redemptor noster Christus Dominus potissimum Euangelicam doctrinam tradiderit, miracula præcipua ediderit, & opus nostræ redemptionis consummauerit: tamen adhuc illa gloriosiora sunt, quæ de superna Dei Ciuitate dici possunt, & pia meditatione cogitari. In tanta itaque varietate sensuum, vt hanc materiam cum sancto Bernardo concludamus. *Nihil est negligendum, dummodo veritas omnibus patrocinetur, & charitas, cui scripturas seruire oportet coædificet plures, pluresque in opus nostrum nos erudierint intellectus. Cur enim hoc displiceat in sensibus scripturarum, quod in vsibus rerum assiduè experimur. In quantos, verbi causa, sola aqua nostrorum assumitur corporum vsus? Ita vnus quilibet diuinus ser-*

Sensus anagogicus qualis sit.

Ad Galat. 4. 26.

Psal. 147. 1.

Psal. 121. 1.

Psal. 96. 1.

S. Ber. ser. 51. *in Cant.*

mo non erit ab re, si diuersos faciat intellectus, diuersis animarum necessitatibus, & vsibus accommodandos. Hæc sanctus Bernardus, quibus vnum addere ad rem nostram oportet: etiamsi ad huiusmodi sensus eruendos multum conferat exquisita eruditio, linguarum cognitio, ingenij perspicacia; tamen diuinum illud lumen adesse tempore meditationis maximè oportebit, *cui*, inquit sanctus Petrus loquens de sana intelligentia scripturarum, *bene facitis attendentes, quasi lucernæ ardenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris*. Quare de radijs huius superni luminis multiplicibus, quibus adiuuari debet noster intellectus, & accendi affectus in tam ampla materia, & tot formis meditandi iam expositis, agendum erit toto libro sequenti.

Ep.2. c.1.19.

DE

DE CAELESTI CONVERSATIONE, PER INTERNAM ORATIONEM, ET EXERCITIA SPIRITVS.

Liber Quartus.

DE VARIIS AVXILIIS DIVINAE gratiæ pro perficiendo intellectu, & voluntate ad bene meditandum.

CAPVT PRIMVM.

Qua ratione intellectus noster ad bene meditandum collustrari debeat multiplici lumine supernaturali.

1 INTER alia, quæ viro iusto Deus per Isaiã benignissimè pollicetur, est copia superni luminis maxima, & requies animi imperturbata: *orietur*, inquit, *in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies, et requiem tibi dabit Dominus semper, & implebit splendoribus animam tuam.* Hac requie iusti, vt numquam magis, quàm contemplationis tempore in hac vita perfruuntur, cùm abscondit eos Deus *in abscondito faciei suæ, à conturbatione hominum*; ita nullibi melius, quàm in oratione supernis huiusmodi splendoribus eorum animæ perfunduntur. Et sicut ex diurno solis lumine in speculis repercusso, tantò facilius ignis accenditur, quantò plures in vnum quasi punctum radij coadu-

Isai. 58.11.

Psal. 30.25.

Concursus illustrationũ intellectus, sicut radij in speculo reflexi accendunt volũtatis affectum.

nantur, ita quò plures anima orantis, quasi speculum, ante iustitiæ solem constituta, diuinas illustrationes circa punctũ, quod meditatur exceperit, & replicata consideratione reflexerit, eò citius sentiet accendi sibi voluntatem, & varijs pijs affectibus inflammari. Hos affectus antequã singillatim exponamus, quod ordinatè suo loco fiet inferius, prius hìc auxilia diuina ex parte intellectus sunt exponenda, deinde ex parte voluntatis. quæ autem spectant ad intellectum, consistunt in illustrationibus, & luminibus quibusdam supernaturalibus multiplicibus. Videndum est igitur in hoc capite primùm, qualia sint hæc lumina: secundò quotuplicia: tertiò qua ratione à naturali lumine, & ab humanis discursibus, nempe naturalibus ingenij viribus tantùm formatis, discernantur: quartò, quomodo ab anima, & in anima sine vllo obstaculo recipiantur.

Quæ sint hæc lumina supernaturalia.

2 Primùm itaque, vt quæ, & qualia sint hæc lumina intelligamus, nosse oportet, lumen in sacra Scriptura secundùm spiritualem acceptionem (neque enim alia ad rem nostram facit) solere sumi dupliciter. Primò latissimè pro quocumque supernaturali Dei dono animam ditante, & exornante, siue per modum qualitatis in animæ substantia immediatè receptæ, siue per modum habitus, & virtutis in potentia intellectus, aut voluntatis permanentis, siue per modum actus, & operationis transeuntis. Qua ratione S. Iacobus in sua Epistola dixit: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descẽdens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*. Quibus Apostoli verbis tres videntur indicari nobis rationes, cur luminis similitudine hæc supernaturalia Dei dona conuenientissimè declarentur. Prima ratio illis vocibus, *optimum, & perfectum*: insinuatur, cum dicitur: *omne datum optimum, & omne donum perfectum*: nam quemadmodum inter materiales qualitates lumen in præstantia, & perfectione obtinet principatum, vt meritò omnium sensibilium optima, & perfectissima qualitas dici possit; sic inter res spirituales dona gratiæ, & virtutum à Deo puris mentibus infusarum, longè alijs omnibus naturalibus Dei donis supereminent. Secunda ratio illis verbis innuitur: *de sursum est, descendens à Patre luminum*: nihil enim clarius, quàm radios diurni luminis ab alto Cælo ex sphæra Solis lucidissima in terras prouenire, & ab eo pendere in esse, fieri, & conseruari magis, quàm vlla alia entia corporea soleant dependere; quæ tamen, & ipsa suam aliquam inde habent dependentiam: vt propterea sapienter

Iacobi. 1. 17.

dixerit

dixerit Aristoteles: *oportere mundum hunc inferiorem supernis Cæli lationibus esse contiguum, vt omnis eius virtus inde gubernetur*: & huiusmodi cælorum lationibus generationes incessanter fieri, quia Solem adducunt, & reducunt rerum omniũ generatiuum. Ita licet vniuersa, Dei omnipotentis virtute sint condita, & sine ipso sit nihil: inter omnia tamen entia producta, illa, quæ ad dona supernaturalia pertinent, auctorem Deum sibi maximè vendicant, & requirunt; adeo vt in huiusmodi effectibus aliæ causæ secundæ vel nihil se immisceant, vel exceptis quibusdam vitalibus operationibus, non nisi per modum instrumenti adhibeantur, supra virtutem propriam ab omnipotentia Dei tam mirabiliter, quàm misericorditer eleuati. Tertia ratio illis verbis eiusdem Apostoli continetur: *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*. Nam quemadmodum nullæ fiunt eclipses, nullæ tenebræ, vel vmbræ diurnæ, siue nocturnæ à sole ipso per se; qui semper vndique lucidissimus existens, radios suos omni ex parte diffundit; sed propter inferiora obstacula corporum sublunarium sibi lumen eripientium, & se inuicem opacantium: ita quantum ex se Deus nemini gratiæ suæ radios omnino subtrahit, nemini se totum abscondit, est enim *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: *& super quem non surget lumen illius?* dicebat S. Iob: sed ipsi se homines ab eo mala voluntate subducunt, oculos mentis claudunt, & radijs diuinæ gratiæ pertinaciter obsistunt: Deo interim in suæ iustitiæ splendidissimo candore, & irreprehensibili bonitate perdurante; quippe *qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. *Hoc est autem iudicium*, dicebat de se Christus Dominus, *quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem*. Sed nomen lucis, vel luminis in tam ampla significatione hoc loco non accipimus; verùm tantummodo pro diuino auxilio, & virtute quadã interna, intelligendi vim in nobis perficiente, ad supernaturalia in cõtemplatione percipienda. Sicut aliud est lumen solis vniuersalissimum, vnde habent colores suas visibiles species in medium emittere, & mundi pulchritudinem ostentare; aliud verò dicimus esse lumen intimum, quo acies ad hæc discernenda perficitur oculorum. Quamuis diuersitas in hac re non modica inueniatur, quia acies, & lumen internum oculorum nihil est à visiua potentia re ipsa distinctum: hoc autem supernaturale cæleste lumen, quo acies nostræ mentis multipliciter adiuuatur, varijs constat habitibus

Arist. 1. meteor. c. 2.
Arist. lib. 2. de gen. tex. 25.
Ioan. 1. 9.
Iob 25. 3.
1. ad Tim. 2. 4.
Ioan. 3. 19.

multùm

multùm ab ipsa intelligendi potentia, & naturali virtute distinctis, quos proinde explicare secundo loco proposuimus.

Quotuplex sit lumen supernaturale, ad intellectum in contemplatione collustrandum.

Quinque defectus nostri intellectus quinque luminibus infusis corrigendi.

3 Vt igitur secundò videamus quotuplicia esse debeant hæc lumina contemplationi adeo necessaria, quinque notabiles defectus sunt obseruandi, quos patitur in contemplatione rerum diuinarum humanus intellectus. Primus est, quòd natura sua mens nostra ad ea, quæ supra naturam sunt, planè cæca esse inuenitur. Si enim cæcus ille ob omnibus existimatur, qui res splendidissimas nullo modo potest intueri; cùm mens nostra ad supernaturalia fidei mysteria, sine fidei lumine planè cæcutiat: iure, quod spectat ad illa, debet cæca reputari. Id nobis Deus in sancto Paulo Apostolo prius Saulo infideli videtur significare voluisse, cùm illum Ecclesiam suam insanè persequentem repentina oculorum cæcitate percussit; nec ab ea, nisi Christi fide suscepta liberatus est: tunc enim ceciderunt ab oculis eius tamquam squammæ, & corporis visum, in signum interni luminis fidei à Deo recepit. Est igitur primum lumen ad mysteria diuina dignè sicut oportet contemplanda pernecessarium lumen supernaturale nostræ fidei. Quod non propterea potentiæ visiuæ comparatur, quasi aliqua animæ sit potentia, cùm verè sit virtus, & lux quædam à potentia, cui à Deo infunditur, valde distincta. Sed quia sicut nihil prorsus videri potest sine potentia visiua, ita nihil sine hoc lumine de rebus supernaturalibus à nobis diudicatur, atque discernitur. Adhuc tamen fide Christiana suscepta, alius secundus defectus inest humanæ menti, quæ licet omnia ad salutem necessaria in simplicitate credat, intelligere tamen per altissimas causas porfunda mysteria sine alio diuino auxilio non potest: & ad hoc donum sapientiæ tribuitur, quod est primum ex septem donis Spiritus sancti, à quo multum exercitatio fidei, eiusque perfectio adiuuatur. Sed neque hoc sufficit, nam alius superest tertius defectus in penetrandis, & ponderandis omnibus mysterijs, quorum causas dono sapientiæ iam peruestigauit; & est quædam mentis obtusio, ad quam corrigendam aliud donum sancti Spiritus à Deo tribuitur, quod donum intellectus appellatur. Sed etiã si altiora mens penetret in communi, & speculatiuè, fieri tamen potest, vt practicè, & in singulari nequeat homo recta inire cõsilia, sed vel tardus, vel preceps esse inueniatur; qui est quartus animi nostri defectus: ideo contra hunc datur donum consilij. Quod donum etiamsi multa suggerat expeditè, & sine temeritate pro animæ salute facienda; tamen vt optima quæque rectè concludat, requiritur quintum,

Act. 9. 18.

quod

quod inter dona sancti Spiritus donum scientiæ nominatur. Cùm igitur oratio interna, & contemplatio tunc censeri debeat cum emolumento, & fructu spirituali peragi ex parte intellectus, quando in ea mens habet exercitium viuæ fidei, notitiam mysteriorum eius per causas altiores, penetrationem singulorum, expedita in bonis exequendis consilia, & in vnaquaque re optimas conclusiones: mirum non est, si præter lumen fidei, lumen quoque sapientiæ, intellectus, consilij, & scientiæ adeò sit necessarium. Quæ quidem lumina aliud nihil sunt, quam quinque habitus diuinitus infusi (vt postea singillatim exponemus, & quomodo contemplationi deseruiant ostendemus) ad quinque notabiles defectus nostræ mentis corrigendos; nempe cæcitatis, insipientiæ, hebetudinis, tarditatis, & perpelexitatis. Sed quando hic agitur de lumine intelligibili, & merè spirituali, vt per similitudinem lucis visibilis rerum corporearum quanta possumus cum claritate procedamus: notant in hac diurna luce, qui perspectiui nominantur, aliud esse, si propriè, & distinctè loquendum sit, lucem, aliud lumen, aliud radium, & aliud splendorem. Dicunt enim lucem appellari propriè, quæ est in corpore luminoso; lumen, quod extra, & procul à lucenti corpore diffunditur; radium non esse quodcumque lumen, sed per aërem, vel aliud corpus diaphanum recta productum; splendorem verò esse lumen ab opaco intermixta vmbra reflexum. Hæc omnia lumini spirituali ad rem nostram commodè applicando, sic erunt accipienda. Primùm lux in ipso Deo tamquam in Patre luminum, vt dixit S. Iacobus, est consideranda, lux inaccessa, lux incircumscripta, *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Ideo ait de se Christus Dominus: *Ego sum lux mundi; qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*. Quæ verba ex Euangelio sancti Ioannis ipsemet Euangelista Ioannes in sua prima epistola magis exponens: *Hæc est*, ait, *annunciatio, quam audiuimus ab eo, & annunciamus vobis: quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ:* & hæc est eius immẽsa bonitas, infinita sanctitas. Atq; in omni genere illimitata perfectio: inde verò tripliciter nobis eius claritas cõmunicatur. Primùm per lumen extra se in apto medio diffusum, idest per habitus intellectui nostro supernaturaliter infusos. Secundò per traiectos cælestes radios transeuntes; hoc est per actuales illustrationes gratiæ nos excitantis, & nostrum liberum consensum anteuertentis. Tertiò per gratiam comitantem, & cooperantem, quasi

Notauit etiã S.Th. in 2. d. 15. quæst. vn. art. 3.

Iacobi 1. 17.

Ioan. 1. 9.

Ioan. 8. 12.

Ioan. 1. 1. 5.

quasi per splendorem vmbra nostri consensus intermixtum, & in opaco humanæ voluntatis plena deliberatione reflexum. Quæ cum ita se habeant, tres huiusmodi supernarum illustrationum differentiæ, si per quinque illas luminum species superius enumeratas multiplicentur, fidei videlicet, sapientiæ, intellectus, consilij, atque scientiæ, quindecim efficient illustrationum varietates, quieti contemplationis conuenientes, & à Deo per Isaiam verbis illis benignè promissas: *& requiem dabit tibi Dominus Deus tuus, & implebit splendoribus animam tuam.*

Quindecim differentiæ illustractionum supernaturalium.

Isa.58.11.

Vnde discernatur illustratio spiritualis intellectus à lumine naturali.

4 Sequitur iam, vt tertium videamus, vnde tot species, & differentiæ supernarum illustrationum à merè naturalibus cogitationibus, & ab humanis discursibus, hoc est, à solo naturali lumine profectis, & naturæ tantùm viribus elicitis, discerni possint. Non agimus autem hoc loco de falsis reuelationibus dignoscendis, & à veris secernendis, id enim alium opportuniorem locum requirit; sed de naturalibus cogitationibus, à supernaturalibus illustrationibus nostræ mentis distinguendis. Posset autẽ hoc aliqua ratione declarari per comparationẽ huius inferioris, ac remissi luminis, quod ab igne nostro terrestri producitur, cum lumine superiori, & cælesti solis, lunæ atque stellarum. Est enim inter hæc discrimen multiplex: primùm, quia sicut lux ignis inferioris nostratis non producitur, nisi cum aliqua corruptione, nempe combustione lignorum, aut alterius materiæ exardescentis absumptione; lumen verò cæli quasi incorruptibiliter in momento sideris orientis sine vllo dantis labore, vel molestia recipientis effunditur: ita humanæ scientiæ, acquisita prudentia, sapientia naturalis, non nisi diuturnis laboribus, virium consumptione, & attritione valetudinis comparatur. Ideo dicebat de harum scientiarum laboriosa acquisitione Ecclesiastes: *faciendi plures libros nullus est finis; frequensque meditatio, carnis afflictio est.* At verò fides, aliaque sancti Spiritus ad intellectum perficiendum supernaturalia Dei dona, in momento simul cum iustificante gratia insensibiliter infunduntur. Secundò sicut lumen ignis, aut quamtumuis benè accensæ facis, ad illustranda valde remota non pertingit, solùm enim aliqua terrestria, nullo verò modo cælestia, vel quæ in ætherea sunt regione illuminabit; cùm tamen alta cæli luminaria primùm quidquid ibi micare potest, deinde etiam inferiora faciant apparere: ita lumen nostrum naturale deficit ad supernaturalia, lumen verò fidei, & infusæ

Eccl.12.12.

diuini-

diuinitus sapientiæ circa altiora maxime proficit, illa principaliter respicit, & in illis tamquam in sua propria materia, & obiecto potissimum occupatur. Tertiò, quemadmodum ex solo lumine vnius lucernæ, candelæ, aut facis quamtumcumque luminosæ ignis accendi numquam poterit, bene autem ex radijs Solis in vnum aptè conuenientibus: ita per humanos discursus, & ratiocinationes tantum naturales, pius affectus ad diuina vix vmquam accenditur. Vnde sæpe integros Aristotelis, & aliorum Philosophorum libros etiamsi acutissimè scriptos euolues, nec aliquid in illis ad affectum incitans veræ pietatis inuenies, nihil ad compunctionem cordis, vel ad animi in Deum conuersionem, aut aliquam eius inuocationem reperies: vt meritò proinde Apostolus illos grauiter accusauerit: *quia cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt: aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum*. Atque ita lucere desierunt, quia accendi, & ardere diuino igne nesciuerunt. *Ad Rom. 1. 21.*

5 Quartum iam superest explicandum: quanam ratione tot supernæ illustrationes in anima sine obstaculo recipiantur, Discutit multis hanc quæstionem Cassianus in ea collatione, quam de spirituali scientia inscripsit, & in ea persistit opinione, vt velit animam peccato mortali, aut vitijs aliquibus obnoxiam huiusmodi luminum illustrationibus non esse capacem. *Nemo enim*, inquit, *in vas fœtidum, atque corruptum, vnguentum aliquod nobile, aut mel optimum, aut pretiosi quidquam liquoris infundit: & quæ participatio iustitiæ cum iniquitate, aut quæ societas luci cum tenebris?* Quare sic ipse concludit; *non ergo alias ad scientiam spiritualem, nisi hoc ordine peruenitur, quem vnus Propheta eleganter expressit, dicens: seminate vobis ad iustitiam, metite spem vitæ, illuminate vobis lumen, scientiæ. Primùm enim seminandum est nobis ad iustitiam; hoc est, actualem perfectionem operibus iustitiæ propagemus: deinde metenda nobis est spes vitæ, idest virtutum spiritualium fructus, expulsione vitiorum carnalium congregandi; & ita illuminare nobis lumen scientiæ poterimus*. Addit in huius rei confirmationem Cassianus, propterea fuisse dictum in quodam Psalmo à Dauide: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini: Beati qui scrutantur testimonia eius:* non enim prius dixit: *Beati, qui scrutantur testimonia eius*, & postea intulit: *Beati immaculati in via:* sed prius inquit: *Beati immaculati in via:* per hoc euidenter ostendens, neminem rectè posse ad perscrutanda Dei testimonia

Quæ sint huius superni luminis obstacula. *Cass. coll. 14. ca. 15. & seq.* *2. Cor. 6. 14.* *Osee 10. 12. iuxta 70. interpretes.* *Psal. 118. 1.*

stimonia

ſtimonia peruenire, niſi prius per actualem conuerſationem in via Chriſti immaculatus incedat. Sed Salomon loquitur hac
Sap. 1. 4. de re in libro ſapientiæ adhuc manifeſtius, dicens: *In maleuolam animam non intrabit ſapientia: nec habitabit in corpore ſubdito peccatis*. Videtur tamen in ſententia Caſſiano contra-
S. Aug. lib. 1. ſoliloq. c. 2. ria fuiſſe ſanctus Auguſtinus; qui cùm in ſuis ſoliloquijs aliquando ſic loquutus fuiſſet: *Deus, qui niſi mundos verum ſcire voluiſti:* poſtea hoc à ſe dictum improbauit in libro primo
S. Aug. lib. 1. retract. c. 4. ſuarum retractationum: *non approbo*, inquit, *quod dixi: Deus qui non niſi mundos verum ſcire voluiſti: reſponderi enim poteſt, multos etiam non mundos multa ſcire vera, neque enim à nobis eſt ibi definitum, quid ſit verum, quod niſi mundi ſcire non poſſint, & quid ſit ſcire*. Quare vt breuiter hanc difficultatem ſecundùm veritatem explanemus: primùm, diſtinguenda eſt veritas, deinde ſcientia veritatis. Eſt autem quantum ad præſens facit inſtitutum, veritas duplex, naturalis, quæ nimirum obiecta reſpicit naturalia; & ſupernaturalis, quæ de myſterijs eſt noſtræ fidei, & Chriſtianæ pietatis. Eſt igitur certum multas veritates naturales ſine Dei gratia ſaltem habituali animam ſanctificante ab hominibus poſſe, & ſolere cognoſci; ſic enim Deus ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos; & malis quoque, non ſolis bonis, quæ ſint bona manifeſtat. Atque hoc eſt, quod multis hac de re interrogantibus legimus in Pſalmo à Dauide reſponſum: *Multi dicunt: quis oſtendit nobis bona? ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine*. Ideſt, vt Patres interpretantur, lumen naturale, quod quaſi à vultu Dei hauſimus, quia per id à belluis diffierimus, quòd ratione, & libero arbitrio præditi ſumus, & Deo, ad cuius propterea imaginem conditi ſumus, per hoc aſsimilamur. Non eſt tamen id illud ſupernaturale lumen, quod facit nos certò, & ſine ambiguitate cognoſcere, penetrare, & benè percipere altiſsimas fidei noſtræ veritates, & Chriſtianæ pietatis cæleſtem diſciplinam: ſed hoc eſt lumen Euangelicæ fidei cum quatuor donis ſancti Spiritus, ſapientiæ, intellectus, conſilij, atque ſcientiæ. Quæ dona cùm gratiam habitualem ſanctificantem, veluti proprietates eſſentiam conſequantur, illa per lethale peccatum amiſſa, etiam perduntur hæc dona. Et hoc fuit à
Sap. 1. 4. Salomone illis verbis ſignificatum: *In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis: Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet*

feret se à cagitationibus, quæ suut sine intellectu. Idque solùm hoc testimonio, sicut etiam alio Dauidis, atque Oseæ Prophetæ superius allato conuicit Cassianus. Nam quod ad fidei Christianæ infusum habitū specialiter pertinet, ipsa fide catholica docente didicimus, non quolibet peccato, etiamsi mortifero eius lumen extingui, nisi fortè peccatum esset infidelitatis. Sed neque propterea hic habitus fidei per se solus, ei de qua agimus, contemplationi sufficit: tum quia suas etiam in hoc studio præcipuas partes obtinet sapientia, scientia, consilium, & intellectus, vt suo loco inferius est declarandum: tum etiam quia ipse per se habitus fidei in actum, atque exercitium non procedit sine influxu, & fauore gratiæ actualis; quæ in statu peccati mortiferi existentibus nō ita facile, nō tam frequenter, nec adeo copiosè iusto Dei iudicio concedi solet, sicut in charitate, & Dei amicitia per sanctificantem gratiam constitutis. Quamquam nec illud est hoc loco prætermittendum, si contingat hominem per peccatum mortale habituali gratia spoliatum conari auxilio gratiæ actualis, actibus pœnitentiæ resipiscere, tunc suppleri à Deo per huiusmodi auxilia id ipsum, quod habitus infusi theologicarum virtutum, & dona sancti Spiritus inhabitantis animam præstitissent. Quare nec magnis peccatoribus diuinum adiutorium ad meditanda, quæ Christianæ pietatis sunt, denegari dicimus, sed non nisi in ordine ad salutarem pœnitentiæ spiritum concipiendum solere concedi; per quem vbi fuerint diuinæ amicitiæ restituti, facilius, frequentius, & copiosius suo quodam iure fauoribus huiusmodi, atque illustrationibus diuinis perfruentur; eòque frequentiores erunt, & copiosiores; quò fuerit dilectio purior, & quotidie perfectior cum Deo amicitia.

Trid. sess. 6. can. 28.

* *
* * *
* *

CA-

CAPVT SECVNDVM.

Qua ratione lumen fidei nos illuminet in meditatione.

Fides tripliciter adiuuat intellectum in contemplatione.

1 NON vno simplici modo, sed triplici ratione fidem conferre ad meditationem, sicut etiam alia quatuor dona sancti Spiritus, quæ ad intellectum pertinent, iam antea indicatum est. Primùm enim adiuuat per habitum in intellectu permanentem. Secundò per transeuntem actum illustratione sua præueniēte exercitium libertatis, aut etiam motum voluntatis. Tertiò per actum similiter transeuntem, & mentem, illustrantem, non voluntatem, vel libertatem anteuertendo, sed comitando, & subsequendo. Horum primùm dicebamus esse veluti lumen in aëre: secundum, veluti radium fenestram cordis nostri penetrantem: tertium verò quasi splendorem in consensu voluntatis plena deliberatione reflexum. Nunc idipsum alijs tribus similitudinibus, vel exemplis de lumine fidei in particulari ostendemus, vt melius hac ratione percipiatur, quibus potissimum modis fides pro sua parte adiuuare soleat meditationem. Supponere autem debemus animam nostram inter orandum, in genere loquendo, tripliciter posse se habere: aut enim quieta contemplationis pace perfruitur, & tunc virtus fidei exhibet Christo quamdam habitationem, de qua scribens Apostolus ad Ephesios: *Det*, inquit, *vobis Deus secundùm diuitias gloriæ suæ virtutē corroborari per spiritum eius in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris*. Secundò solemus inter meditandum aliquando pati dæmonum aggressiones, & pugnas, vt propterea strenuè pugnandum cum illis sit, bello saltem, quod vocant, defensiuo. Vnde cautos hac de re nos reddidit S. Petrus dicens: *Vigilate, quia aduersarius vester diabolus, tamquam Leo rugiens circuit quærens, quem deuoret, cui resistite fortes in fide*. Et iam satis à nobis ostensum est supra testimonio Nili, Climaci, Sophronij, & aliorum, videri etiam pro tempore orationis illa Psalmi verba de aëreis potestatibus esse intelligenda: *quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt*

Ad Ephes. 3. 16.

1. Petri c. 5. 8.

Sup. lib. 1. c. 6. & 7.

Psal. 10. 3.

rauerunt

rauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde. Et *intenderunt arcum rem amaram, vt sagittent in occultis immaculatum*. Tunc verò fides oranti pro scuto militari deseruiet, quò propterea nos armat Apostolus ad Ephesios scribens: non tam esse nobis colluctationem, siue certamen aduersus carnem, & sanguinē, quàm aduersus Principes, & potestates tenebrarū, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus: quare sumendum scutum fidei, in quo possimus omnia tela nequissimi ignea extinguere. Tertiò erit interdū oranti pugnandum bello spirituali aggressiuo, & tunc eadem fides erit illi pro gladio, de quo ibidem subdit Apostolus: *& gladiū spiritus assumite, quod est verbum Dei, per omnem orationem, & obsecrationem orantes omni tēpore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni constantia*.

Psal. 63. 4.

Ad Ephes. 6. 16.

Ad Ephes. 6. 17.

2 In primis itaque construit diuina fides exercitio quietæ contemplationis in anima nostra, Christo Domino spiritualem quandam habitationem, eamque non mole ædificij, sed virtute sanè maximam, amplissimam, & sublimissimam. Nam propterea, vbi dixisset S. Paulus, debere habitare Christum per fidem in cordibus nostris, quatuor illas dimensiones mysteriorum fidei nostræ subiecit, cum omnibus sanctis comprehendendas: quæ nimirum sit *longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum*. Has dimensiones alibi cùm de formis varijs meditandi ageremus, explicatas, si modo cum illis angustijs cōferamus, quibus humana sapientia, & scientia, præsidio tantùm luminis naturalis ædem sibi exædificare tentauit in mentibus gentiliū Philosophorum; facilè intelligemus, cur eam intrare, ne dum inhabitare dignatus nō sit Deus, qui suprema veritas est, & summa sapientia, de qua propterea dicitur in libro sapientiæ: *quoniam in maleuolam animam non introibit, nec habitabit in corpore subdito peccatis: & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu*. Primùm ergo per fidei nostræ longitudinem possemus intelligere eius extensionem ad Creatoris, & creaturarum percipiendam sine errore durationem, tùm sæculis præteritis antecedentem, tum in futuris subsequentem. Qua in re adeo hallucinati sunt Ethnici sapientes, quia nostra fide caruerunt, vt Apostolo gentium teste, dicentes se esse sapientes, stulti facti sint. Nam vt absurda relinquamus de ortu, & genealogijs tot inanium Deorum, quos nec enumerare quisquam posset indigenas, alienigenas, cælestes, terrestres, infernos, marinos, fontanos, fluuiales, & vt Varro apud sanctum Augustinum ait, certos, atque incertos, in omnibusque generibus Deorum, sicut in animalibus mares, & fœminas; de mundi, & morta-

Virtus fidei in meditatione est pro spirituali Domini in corde habitatione.

Ad Ephes. 3. 16.

Sup. lib. 3. c. 4.

Sap. 1. 4.

Fidei nostræ extensio, & longitudo.

Ad Rom. 1. 22

Varro apud S. Aug. l. 3. de ciuit. c. 12.

mortalium origine quid illi non ſunt fabulati, potius quàm philoſophati? ſolùm in hoc aliquo modo laudandi, quia non tam in ſua firmanda, quàm in aliorum refellenda opinione ſtrenuè ſe geſſerunt. Fatetur alicubi Ariſtoteles omnium antiquorum fuiſſe perſuaſionem, mundum hunc aliquando genitum: ſed fabuloſos modos huius generationis examinans: vt quod alij putarent cælum, terras, animalia, & omnia fortuitò concurſu athomorum eſſe producta: alij omnia mixta, & confuſa infinito tempore quieuiſſe, poſtea mentem quamdam ea diſtinxiſſe: alij mundum hunc per amicitiam generatum, alio prius per litem corrupto, atque hunc etiam lite eſſe corrumpendum, alio, & alio deinceps in infinitum per amicitiam renaſcente: ipſe putauit potius mundum ab æterno, ſicut modo ſe habet extitiſſe. Sed & hoc alibi aſſeruit videri dialecticum problema, vtrum æternus ſit mundus, an non: tum in libro tertio de generatione animalium ita ſcripſit: *Quamobrem de prima hominum, atque quadrupedum generatione, ſi quando primùm terrigenæ oriebantur, vt aliqui dicunt, non temerè exiſtimaueris altero de duobus his modis oriri: aut ènim ex verme conſtituto primùm, aut ex ouo.* Et ad extremum concludit multò eſſe probabilius ex terreſtri verme primùm animal tùm rationale, tum irrationale coaluiſſe. Quam doctrinam, quænam catholica anus, quis puer, qui prima Apoſtolici Symboli verba didicerit: *Credo in Deum Patrem omnipotentem Creatorem cæli, & terræ*, non ſtatim reijceret, atque etiam irrideret? poſſetque veram exponere rationem, qua primus homo non ex verme, vel ouo, ſed de limo terræ à Deo ipſo formatus eſt, cunctaque animantia, & virgulta diuino illo præcepto extitere ſuper terram: *producat terra animam viuentem in genere ſuo: germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum fructiferum faciens fructum iuxta genus ſuum.* Sed nihilo minores errores, immo adhuc multò pernicioſiores tenuerunt de mundi fine, mundi ſapientes, neſcientes numerum animarum hominum quotidie naſcentium, & morientium cum ficta mundi æternitate, cum vera animarum immortalitate, & cum numero, qui inde ſequi debuiſſet ſine numero infinitarum iampridem exiſtentium animarum concordare. Quare ſapientiæ apud ipſos Antiſtes Plato annum excogitauit, quem propterea platonicum appellarunt, triginta ſex millium annorum, vel ſecundum alios quadraginta nouem millium annorum, quo tempore tardiſſima nonæ ſphæræ circuitio ab occaſu in ortum compleatur: & in eo puncto omnia prorſus indiuidua ad idem in ſpecie, & numero,

Ariſt. 1. cœli tom. 102.

Ariſt. 1. top. cap. 9.

De gen. anim. lib. 3. c. 11.

Gen. 1. 12. 24.

numero, ſub quo antea fuerant cenſuit eſſe reditura. Quod ſanè figmentum repugnat humanæ, immo etiam diuinæ libertati, pythagoræorum inducit fabuloſiſſimam palingeneſiam, tollit veram mortuorum reſurrectionem, perturbat omnia myſteria gratiæ, euertit ſanctorum gloriam, & æternam fœlicitatem. Sed facilè à quocumque pio fidei noſtræ, licèt ſimplici cultore extremis illis Apoſtolici Symboli verbis: *Credo ſanctorum communionem, carnis reſurrectionem, vitam æternam:* vniuerſa hæc errorum caligo diſcutitur.

3 Nec minor eſt exceſſus in latitudine, ſiue in amplitudine fidei noſtræ ſupra omnes alias profanas ſcientias, vel humanas diſciplinas: ſiue de ijs loquamur, quæ ſpectant ad hiſtoriam præteritorum, ſiue ad prophetiam futurorum, ſiue ad dogmata, & doctrinam de omnibus. Nam quod ſpectat ad profanas hiſtorias rerum præteritarum, miratur etiam Ethnicus Poeta, ſi ante tot annos, vt dicitur, mundus extitit, & ſæcula illius quàmplurima tranſierunt. Fidei noſtræ latitudo ſiue amplitudo. Lucret. lib. 5.

Cur ſuprà bellum thebanum, & funera Troiæ,
Non alias alij quoque, res cecinere Poëtæ?

Sacra verò noſtra hiſtoria ab ipſa mūdi naſcentis origine incipit, omneſque illius ætates ita proſequitur, vt ex ea liceat numerum non modo ſæculorum, ſed etiam annorum vſque ad hāc diem ordinata rerum ſerie computare. Si verò agatur de hiſtoria non præteritorum, ſed futurorum, quam prophetiam appellamus, hæc tota noſtra eſt, nihil tale in humana ſapientia, vel ſcientia reperies. *Non enim voluntate humana, allata eſt aliquando prophætia; ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.* Dogmata deinde noſtræ ſanctiſſimæ fidei, quæ non ſolùm veteri, & nouo teſtamento continentur, ſed etiam traditionibus, & concilijs, nihil planè relinquunt ex ijs, quibus debet homo perduci ad veram ſanctitatem, ad perfectā animæ ſalutem, & ad æternam futuræ vitæ fœlicitatem. Cùm tamen omnes aliæ humanæ inſtitutiones, doctrinæ, ac diſciplinæ minimè ſufficiant: quippè quæ vel in multis deficiant, vel ea, quæ tradunt aliqua ſemper falſitate, ſæpe etiam improbitate, ac impietate inficiant, nec ita vnquam ad bonum, & honeſtū, ſicut documenta diuinæ legis afficiant: de qua propterea peculiariter in Pſalmo dicitur: *lex Domini immaculata, conuertens animas, teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis: iuſtitiæ Domini rectæ lætificantes corda: præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* 2. Petri 1. 21. Pſal. 18. 8.

4 Sed quid pro tertia dimenſione dignum profunditate, ac

R 2 ſubli-

Sublimitas, & profunditas nostræ fidei.

ſublimitate myſteriorũ fidei noſtræ dicemus, cuius tantummodo rudimentis imbuta mens cuiuſque ſimplicis, & idiotæ ſuperat non ſolùm maximorum philoſophorũ, ſed etiam ſupremorum Angelorum, & Archangelorum, vſque ad Cherubin, & Seraphin naturalem cognitionẽ. Myſteria ſiquidem auguſtiſſimæ Trinitatis, & mirabiliſſimæ Incarnationis nullus creatus intellectus propria, & naturali perſpicacitate, niſi ex diuina reuelatione valet attingere. Nec eſt quòd aliquis dicat, extitiſſe inter Ethnicos ſapientes nonnullos, qui de myſterio Trinitatis aperte meminerunt, vt Mercurius Trimegiſtus, ideſt ter maximus appellatus alterius Mercurij Dei cõmentitij nepos, & Orphæus inter gentiles Poëtas habitus maximè Theologus, Plato quoque, qui non ſemel de Verbo, & amore diuino ſublimiter eſt locutus, & quidam alij Platonici, in quorũ libris teſtatur ſe legiſſe S. Auguſtinus; quia in principio erat Verbũ, & Verbũ erat apud Deum, & Deus erat Verbum. His fortè addet aliquis Ariſtotelẽ, qui ternarium numerum, quem ipſe nominat Trinitatis, myſteriosum eſſe iuxta Pithagoræos affirmauit, vt propterea in veneratione pro ſacrificijs haberetur. Sed ex his omnibus aliud nihil infertur, niſi hæc à diuinis oraculis ſacrorum librorum hos gentiles ſapientes mala fide eſſe mutuatos. Vnde quia non affectu veræ pietatis, ſed vana quadam curioſitate, & licentia, opinandi quidquid placuiſſet arripuerunt, varijs ea fabellis, & grauiſſimis erroribus miſcuerunt. *Nam quis Pöetarum, quis ſophiſtarũ* (ait Tertullianus in apologetico aduerſus gentes) *qui non omnino de prophetarũ fonte potauerit? Inde igitur philoſophi ſitim ingenij ſui rigauerunt. Sed homines gloriæ, & eloquẽtia ſolius libidinoſi, ſi quid in ſanctis ſcripturis offenderunt digeſtis, pro inſtituto curioſitatis ad propria opera verterunt, neque ſatis credentes diuina eſſe, quominus interpolarent: neque ſatis intelligentes, vt adhuc tùm ſub nubila etiã ipſis Iudæis obumbrata, quorum propria videbantur.* Hæc Tertullianus, vbi etiam profitetur, ea omnia ſe potuiſſe inductis exemplis per ſingula demonſtrare, niſi orationis ſuæ longitudinẽ temperare debuiſſet. Addit Ioſephus in lib. 12. Iudaicarum antiquitatũ, cum Rex Aegypti Ptolomæus vellet pro ſua celeberrima Bibliotheca libros ſacros veteris teſtamenti ab Hebræa lingua in Græcam, per interpretes ſeptuaginta fideliſſimè conuerti, teſtatum illi Demetrium Phalereum eius Bibliothecæ præfectum; quoſdam, quos ibi nominat, auſos mala fide aliqua ex illis ſacris libris in ſua ſcripta transferre, vel fabulis admiſcere, quas exhibebant; fuiſſeq. à Deo punitos, cæcitate, furore, atq; demẽtia. *Vt fides noſtra*, ſicut ſcribit Apoſtolus

S. Iuſtinus in paran. ad gentes.

S. Aug. lib. 7. confeſſ. c. 9.

Ariſt. l. 1. cæli. tex. 2.

τῆς τριάδος

In apol. c. 47.

Ioſeph. lib. 12. antiq. c. 2.

ad Corinthios: *non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei: sapientiã autem loquimur inter perfectos: sapientiam verò non huius sæculi: neque principiũ huius sæculi qui destruuntur, sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est.* 1.Cor.2.4. Quapropter Magnus Dionysius in libro, quem scripsit de diuinis nominibus, dogma sanctissimæ Trinitatis superarcanum appellauit, & superincognitum, & doctam ignorantiam nostram; Lib. de diu. nom.c.2. & in libro de mystica Theologia ponit illa caligine fuisse significatum, in qua Deus Moysi in vertice montis Sinai loquebatur, Lib.de mystica theolog.c.1. & in illis tenebris, de quibus in Psalmo dicitur: *posuit tenebras latibulum suum.* Psal.17.12. Hinc est, quod asserunt nostri Theologi, nullum inueniri iuxta naturalia, principium, nullum apparere in rebus creatis effectum, vnde possit humanus, vel Angelicus intellectus sine diuina aliqua reuelatione in tanti mysterij non solum assensum, vel opinionem, sed etiam suspicionem venire. Eademque ratione, quia mysterium Incarnationis in vnitate perfecta simplicissimæ Deitatis Trinitatem supponit personarũ, & vni earum, nempe secundæ, hypostaticam addit vnionem per extremorum inter se maximè distantium, Verbi nimirũ, & carnis arctissimam, & nunquam amplius dissoluendam diunctionẽ, sine vlla prorsus ex parte diuini Verbi, mutatione, informatione, modificatione, accidentis vllius receptione: ideo rectè concludunt; sine altiori lumine vix in mentem, aut coniunctionem puræ creaturæ, etiam sub ratione tantùm possibilis, venire potuisse. Vt meritò appelletur res ista ab Areopagita ineffabilis, S.Dion.de diu. nom.c.2. & ante reuelationem ignota omni intelligentiæ, etiam ipsi antiquorum Angelorum primati, & nouitatum omnium superemi. nens nouitas. Sublimissimus verò Prophetarum Isaias, cùm de aduentu filij Dei in mundum vehemens desiderium suum inspirante numine conceptum illis verbis expressisset: *Vtinã dirumperes cælos, & descenderes: à facie tua montes defluerent:* Isai.c.64.1. statim difficultatem adiecit intelligendi rem, de qua tantã conceperat expectationem: *A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te.* Quæ verba de eodem altissimo Incarnationis mysterio loquens Apostolus in prima Epistola ad Corinthios, sic interpretatur: *scriptum est, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum; nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum: spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominis scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso* 1.Cor.2.9.

est, ita & quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus Dei. Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis. Atque hæ sunt diuitiæ gratiæ Christi in nobis, hæc longitudo, latitudo, sublimitas, amplitudo ædificij spiritualis in nostro corde, per quod exercitio contemplationis spatiari intra cancellos, atque parietes reuelatæ à Deo veritatis vnicuique conceditur: vbi elegit Rex pacificus Christus habitare per fidem in cordibus nostris.

Fides nostra quomodo sit oranti pro scuto.

5 Sed quia non semper euenit, vt fides nostra, inuidia & malignitate Dæmonum, has nobis exhibeat quietas in contemplatione mansiones: immo tunc temporis aliquando magis, quàm vmquam Principis tenebrarum nequissima tela, & ignita iacula repellenda sunt: ideo secūdo loco dicebamus solere diuinā fidem orantibus esse pro scuto. De hoc in Psalmo dicitur: *Scuto circūdabit te veritas eius.* Et vbi quæso magis diuina veritas continetur, quam in verbis sacrarum Scripturarum? Vnde legimus in Prouerbijs: *omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperātibus in se.* Quando verò melius hoc armamur clypeo, quàm dum sacrarum Scripturarum cælestes veritates viua fide, & ardenti spe in meditatione pertractamus, & illis nos contra omnes Dæmonum insidias, & agmina vitiorum præmunimus? vt propterea dixerit Apostolus: in omnibus, idest contra omnia tentamenta sumendum esse scutum fidei. Sunt autem in his tribus testimonijs Dauidis, Salomonis, & S. Pauli tria consideratione dignissima. Primùm, quod fuit dictum à Dauide: *Scuto circumdabit te veritas eius:* hæc est enim differentia inter scutum, & alia arma, quibus se milites obtegunt, & muniunt ad bellum; nam alijs armorum generibus certā corporis partem tantummodo protegūt, vt galea caput, thorace, vel lorica pectus: at verò mobili ad omnem partem scuto facilè totum circumquàque corpus protegitur, ac defenditur: ideo est dictum: *Scuto circumdabit te veritas eius,* & additum, *non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & Dæmonio meridiano.* A nullo videlicet genere tentationis, siue occultæ, siue manifestæ: siue paruæ, siue magnæ, siue in nocte aduersitatis, siue in die aggrediatur prosperitatis. Nam quis deficiat in aduersis, & non potius omnes mundi calamites, & quascumque tribulationes vitæ præsentis toto affectu cordis exposcat? qui benè per fidem, Apostoli dictum illud meditetur, & expendat: *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: Id enim, quod in præsenti est*

Psal. 90. 5.

Prou. 30. 5.

Ad. Rom. 8. 18

momen-

momentaneum, et leue tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Quis mundi huius inanes prosperitates, fallacia sæculi blandimenta, iniqua lucra temporalia, æterna esse detrimenta non ducat, qui verbis illis Magistri cælestis aures cordis præstet intentas? *Quid prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quā dabit homo commutationem pro anima sua?* Quis nō facilè mundanum omnem timorem expellat à corde, & diuinum inducat; qui verba illa Christi Domini ex Euangelio toties audita, semel bene perceperit? *Dico vobis amicis meis: ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius, quid faciāt. Ostendam autem vobis, quem timeatis: timete eum, qui postquā occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: Ita dico vobis, hunc timete*. Nec inuenietur vlla siue à mundo, siue à carne, siue à Dæmone tam insidiosa tentatio, cui veritas aliqua sacrarum Scripturarum seriò considerata, & bene cordi applicata non medeatur. *Cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos*, dicebat in Euangelio Magister veritatis. Sed addit Euangelista, hæc dixisse Christum ijs, qui in eum crediderunt, vt intelligamus, hāc liberatricem notitiam aliam non esse, nisi firmæ fidei benè cognitam veritatem, & hoc esse impenetrabile scutum militi fideli promissum: *Scuto circumdabit te veritas eius*. Quapropter ipsemet Saluator cùm ter à Diabolo fuisset tentatus, singulis tentationibus tale scutum opposuit: Primæ, *scriptum est non in solo pane viuit homo*; Secundæ: *scriptum est: non tentabis Dominum Deum tuum*. Tertiæ: *scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis*. Adderem hoc loco, si quid conferre possent fabulæ veritati, à Poëtis quoque celebratos esse quosdam clypeos diuina arte fabricatos, quibus Achilles, & Aeneas armati reddebantur inuulnerabiles: erant autem in illis insculpta egregia quæque magnorum virorum facinora; vsque adeo, vt Iustinus Martyr in oratione sua parænetica ad gentes testetur, in clypeo Achillis quædam expressa per Vulcanum ab Homero describi, quæ ex diuinæ Scripturæ libris, sed non ea, qua debuisset fide, à poëta fuerunt accepta. Quid ergo mirum, si relictis fabulis hortetur nos S. Paulus vt in omnibus sumamus scutum fidei, in quo possimus omnia tela nequissimi ignea extinguere? Sed est in testimonio ex Salomone prolato illud præterea obseruandum, quod dicitur: *omnis sermo Dei ignitus clypeus est*: vt intelligamus tantam esse vim cælestis fulgoris in clypeo fidei nostræ, & scuto reuelatæ veritatis radios superni luminis in meditatione refle-

[Marginal notes: 2. Cor. 4. 17. — Matth. 16. 26. — Luca. 12. 4. — Ioann. 8. 32. — Matth. 4. 3. — Deut. 8. 3. — Deut. 6. 16. — Deut. 6. 13. — S. Iust. in oratione paræn. ad gentes. — Prou. 30. 5.]

ctentis, vt facili negotio noster affectus inde possit incalescere, ad ignem diuinum protinus accendendum; non secus atque aliquando videmus scuta ex calybe, aut alio fuluo metallo fabrefacta, radijs Sole aduerso reflexis materiam ad exardescendum idoneam incendisse. Legimus quoque in sacra historia Machabæorum, micantes ab hoc armorum genere aliquando splendores non parum ad terrorem bellicum contulisse: *nam vt refulsit*, inquit, *Sol in clypeos aureos, & æreos resplenduerunt montes ab eis, & resplenduerunt sicut lapades ignis*. Neque huic repugnat gnat vlla ratione; quod in tertio Apostoli testimonio admonemur, omnia tela nequissimi ignea huius clypei oppositione restinguere. Adeo enim isti duo ignes diuini amoris, & mundanæ concupiscentiæ sibi inuicem aduersantur, vt vnus per alterum, non minus, quàm ignis per aquam innata quadam contrarietate extinguantur. Quia cùm cor humanum diu sine aliqua delectatione, quam communiter dilectione venatur, esse non possit; statim hæc infima, & vilia fastidiat necesse est, vbi rerum cælestium amore, atque gustu detinetur: & sicut melle gustato, vix alia sapere dulcedinem sentiuntur; ita gustato spiritu desipit omnis caro. Hoc est enim augmentum diuinæ charitatis, diminutio quædam mundanæ cupiditatis: *nam quanto magis regnum cupiditatis destruitur*, ait S. Augustinus, *tantò magis regnum charitatis augetur: & si attentè*, sicut ait S. Gregorius; *consideremus, quæ & quanta sint, quæ nobis promittuntur in cælis, vilescũt omnia, quæ habentur in terris: terrena namque substantia æternæ fœlicitati comparata pondus est, non subsidium: temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda, quam vita*.

Machab. 1. 6. 39.

S. Aug. lib. 3. de doct. Christ. S. Greg. hom. 37. in Euang.

Fides quomodo seruiat oranti pro gladio.

6 Sed videamus iam, quod postremo loco explicare proposuimus, qua ratione in exercitio contemplationis eadem infusa diuinitus fide vti pro gladio spiritus debeamus. Quis autem sit hic spiritualis gladius ibidem indicauit Apostolus dicens: esse verbum Dei. Sed magis alibi declarauit, cùm dixit: *Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus, compagum quoque, & medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis*. Quibus verbis, & virtus diuinæ fidei in nobis, & forma pugnãdi, & hostes varij contra quos gladius iste distringitur, conuenientissimè significãtur. Inprimis autẽ oportet aduertere, quia sicut frustra gestatur gladius contra inimicos, si maneat reconditus in vagina, & non exeratur, vbi pugnandũ est, ac forti dextera teneatur: ita non prosunt audita verba, & veritates

Ad Ephes. 6. 17.

Ad Hebr. 4. 12.

ritates creditæ ſcripturarum, niſi ex habitu ad actũ fidei eductæ, intenta meditatione, & iudicio practico firmiter teneãtur. Deinde non ſine myſterio dictum eſt, ancipitem eſſe gladium ſcripturarum: acies enim, qua feriunt diuinæ Scripturæ, ſenſus eſt proprius ſacrorum verborum: hic autem, ſicut antea vidimus, eſt duplex in vniuerſum, literalis vnus, alter verò myſticus, ſiue ſpiritualis. Ferit autem ex vtrâque parte hic gladius quinque noſtros hoſtes capitales: primum, amorem proprium, ideo dicitur: *pertingens vſque ad diuiſionem animæ, & ſpiritus:* Eſt enim perpetua quædam inter partem noſtram animalem, vitæque præſentis inordinatum affectum, animæ, ideſt vitæ appellatione ſignificatum, cum parte ſpirituali, diſcordia; donec præualeat contra inordinatum amorem ſui, gladius iſte ſpiritualis; quem propterea toties nobis Chriſtus Dominus verbis Euangelicis ſubminiſtrat. Itaque ait: *nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram; non veni pacem mittere, ſed gladium;* & addit inferius: *qui inuenit animam ſuam, perdet illam, & qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam,* & iterum alibi: *qui amat animam ſuam perdet eam, & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. O magna, & mira ſententia,* inquit S. Auguſtinus, *quemadmodum ſit hominis in vitam ſuam amor, vt perdat, odium ne pereat. Si male amaueris, tunc odiſti, ſi benè oderis, tunc amaſti; fœlices qui oderunt cuſtodiendo, ne perdant amando.* Secundus hoſtis eſt, pro ſtipendo peccati, & mortis amori proprio militans iraſcibilis: tertius verò eidem amori pro eodem ſtipendio deſeruens concupiſcibilis: illa dura nimis, & impatiens ad triſtitias, hæc nimis mollis, & reſoluta ad delitias; ideo illa compagum, hæc medullarum nomine fuit ſignificata. Sed neutri parcit viuus Dei ſermo, & efficax penetrabilior omni gladio ancipiti: cuius enim quamtumuis duri, & indomiti cordis feritatem non emolliat illa Chriſti Domini oratio, & adhortatio: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris?* Audiamus hæc verba quomodo penetrauerint cor eximij doctoris Eccleſiæ S. Auguſtini, qui ea expendens in libro de S. Virginitate ſic exclamat: *O doctrinam ſalutarem, o magiſtrum Dominumque mortalium, quibus mors poculo ſuperbiæ propinata, atque transfuſa eſt. Noluit docere, quod ipſe non eſſet, noluit iubere, quod ipſe non faceret. Video te bone Ieſu oculis fidei, quos aperuiſti mihi, tamquam pro concione generis humani clamantem, atque dicentem: venite ad me, & diſcite à me. Quid* obſecro

Matth. 10. 34.
Ioann. 12. 25.
S. Aug. tr. 51. in Ioann.
Matth. 11. 29.
S. Aug lib. de S. Virg. c. 35.

obsecro te, per quem facta sunt omnia Fili Dei, & idem, qui factus es inter omnia Fili hominis; quid vt discamus à te, veniemus ad te? quoniam mitis sum, inquit, *& humilis corde. Huccine redacti sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi in te, vt hoc pro magno discamus à te, quia mitis es, & humilis corde? ita ne magnum est, esse paruum, vt nisi à te, qui tam magnus es fieret, disci omnino non posset? ita planè.* Sed est quartus, & quintus hostis eodem gladio compescendus, vagus scilicet intellectus, & peruersa voluntatis intentio; propterea de eodem gladio spirituali subiungitur: quod sit quoque discretor cogitationum, & intentionum cordis. Et sane cuius mentem non percellant, cuius intentionem non corrigant illæ diuinorum oraculorum prophæticæ voces? si altiori, quam humana fide percipiantur: *filij hominum vsque quò graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Erat adhuc S. Augustinus Cathecumenus dum hæc verba in Psalmis Dauidicis meditaretur: *& eliquabatur*, inquit ipse in suis confessionibus, *veritas tua Deus in cor meum; & ex ea æstuabat affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & bene mihi erat cum eis: & insinuati sunt mihi in profundo nutus tui, & gaudens in fide laudaui nomen tuum*. Sed hæc satis de fide excitanda, & exercenda in meditatione.

Psal. 4. 3. S. Aug. lib. 9. confess. c. 5. & 6.

CAPVT TERTIVM.

Qua ratione donum sapientiæ nos illuminet in meditatione.

1 POST virtutem theologalem fidei, summopere adiuuatur in contemplatione noster intellectus à dono cælestis sapientiæ, quod inter septem dona S. Spiritus primo loco numeratur. Id qua ratione contingat, vt ex toto explicetur, primum declarandum erit, quomodo à virtutibus theologalibus, atque in vniuersum ab alijs virtutibus non solùm naturalibus, & acquisitis, sed etiam supernaturalibus, & infusis dona, quæ dicuntur S. Spiritus, etiam ipsa supernaturalia, & infusa distinguantur. Secundò in particulari, quid sit, & in quo propriè consistat hoc donum, quod

dicitur

dicitur Sapientiæ. Tertiò demum qua ratione inter meditandum hæc infuſa diuinitus ſapientia adiuuet contemplationem.

2 Scire igitur circa primum oportet in hominis iuſtificatione, ſecundùm doctrinam ſacri Concilij Tridentini, ſemper infundi animæ hominis, qui iuſtificatur gratiam, virtutes, & dona. Eſt autem hæc, de qua nunc loquimur, gratia iuſtificans, & ſanctificans, vt afferam verba Romani Cathechiſmi, *quemadmodum Tridentina ſynodus ab omnibus credendum pœna anathematis propoſita decreuit, diuina qualitas in anima inhærens, veluti ſplendor, & lux, quæ animarum noſtrarum maculas omnes delet:* & per hanc, ait in ſua ſecũda epiſtola S. Petrus: nos fieri diuinæ conſortes naturæ, & S. Dionyſius Areopagita in libro de Eccleſiaſtica hierarchia docet infuſione huius gratiæ iuſtificantis ſecretiſſima, & ineffabili quadam operatione vitam ſupra humanam, ſtatum ſupra naturam, & eſſe quoddam diuinum in nobis ineffabiliter creari. Ex qua doctrina, quam à S. Paulo præceptore ſuo ſe accepiſſe indicat Areopagita, intulit Angelicus Doctor S. Thomas, gratiam iuſtificantem non eſſe in nobis principium operandi, ſed eſſendi in ſtatu, & vita ſupernaturali: charitatem verò, & alias virtutes eſſe principia operandi: quapropter gratiam quaſi vitam primam ſpiritualem, ipſi ſubſtantiæ animæ immediatè inhærere, eam exornare, & per totum, quaſi ſtolam illam conueſtire, de qua in Euangelio dicitur: *citò proferte ſtolam primam, & induite illum*; ſicut Tridentinum Concilium eodem, quo ſupra dictum eſt loco, interpretatur: virtutes verò infundi immediate potentijs ſpiritualibus intellectus, & voluntatis ad exercitium vitæ ſecundæ, & ad operationes tali vita dignas eliciendas. His dona ſeptem S. Spiritus ſuperadduntur ſimiliter in potentijs, quædam intellectui, quædam voluntati ad complementum iuſtificationis infuſa; nempe ſapientia, ſcientia, intellectus, & conſilium pro perfectione intellectus: fortitudo, pietas, & timor pro perfectione voluntatis. Hæc autem non ideo dona nominantur, quaſi non ſint etiam virtutes Dei dona, cùm propterea S. Iacobus in ſua Epiſtola dixerit: *omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt*: ſed quia multò plus habent de ratione doni, quàm virtutis. Cùm enim virtus tota ſit actuoſa, & in dando magis, atque operando, quàm in accipiendo poſita: donum magis in accipiendo conſiſtit. Quare loquens Areopagita de Ierotheo viro ſanctiſſimo, & virtutis abſolutiſſimæ, vt oſtenderet illum non ſolùm virtutibus infuſis, ſed etiam donis S. Spiritus valde

fuiſſe

Dona S. Spiritus quomodo à virtutibus diſtinguũtur.

Trid. ſeſſ. 6. cap. 7.

Catech. Rom. p. 208.

S. Pet. ep. 2. c. 1. 4.

De Eccl. hier. cap. 2.

S. Thom. 1. 2. q. 110. art. 3. & 4.

Luca. 15. 22.

Iacobi 1. 17.

S. Dion. de diu. nom. c. 2.

fuisse insignitum, ait assueuisse non solum discere, sed etiam pati diuina, idque mirabili quodam instinctu, consensione, & coniunctione, ad ea, quæ doceri non possunt. Hanc rem non adeo facilem ad intelligendum, commodius pro nostro instituto duplici quadam similitudine declarabimus. Prima sit pictoris vtentis suo penicillo: dum enim illo circa imaginem secundùm artẽ, & ideam, quam mente gerit operatur, pictor ipse ex sua virtute dicitur operari; penicillus verò, quia nec artem habet operis faciendi, nec ideam, sed tamquam instrumentum agitur potius, quam agat, non dicitur sua propria virtute operari, sed dono potius artificis, vt causæ superioris. Ita cum Iustus bonum opus ex habitu infuso, exempli gratia charitatis, aut alterius virtutis, secundùm regulas infusæ sibi prudentiæ operatur, propriè dicitur ex virtute operari: cùm autem ad aliquid honestum à Deo impellitur supra regulas non solum acquisitæ, & naturalis, sed etiam infusæ sibi prudentiæ supernaturalis, & supra omnia humana consilia, tunc non tam ex virtute, quàm dono sancti Spiritus operatur: nec tam agere, quàm agi quoad illam actionem dici debet. Hinc illud à diuino spiritu S. Appolloniæ immissum consilium, quod Ecclesia tamquam supra humanam prudentiam ac sapientiam veneratur: cùm enim comprehensa, & à carnificibus detenta, vt in accensum rogum viua arsura conijceretur, paulisper stetisset quasi deliberando quid esset agendum; repente ex illorum manibus elapsa in ignem sibi paratum maiori Spiritus sancti flamma intus accensa se proiecit. Sed mirum est aliquid in hoc genere intra ordinem naturalem prouidentiæ Dei erga mortales à gentili quoque Philosopho Aristotele fuisse obseruatum: hic enim agens in quodam libro suorum moralium de instinctu diuino, ait non expedire ijs, qui diuino instinctu ad agendum aliquid permouentur, secundum humanam rationem consiliari, quia mouentur à meliori principio, quàm sit humana ratio, & prudentia. Propterea non male aliqui asseruerunt dona S. Spiritus hominem disponere, ac perficere ad altiores actus, quàm sint virtutum: quod tamen non ita est intelligendum, quasi dona huiusmodi virtutibus etiã theologalibus sint præstantiora. Nam quamuis dona meritò virtutibus moralibus præferantur, quarum munus est vires appetitiuas perficere ad obediendum rectæ rationi: quamuis etiam præstantiora sint virtutibus intellectualibus, quibus ratio ipsa in se perficitur: dona verò S Spiritus ad hoc infunduntur, vt animæ vires aptè subdantur diuinis motionibus: non tamen virtutibus

Habetur in martyr. Rom. 9. febr. & in lect. officij.

l. 7. mor. eud. cap. 18.

tutibus theologalibus hæc dona ſunt anteponenda: quia per virtutes tgeologales homo in ſe directè ad Deum ordinatur: per dona verò ad diuinas motiones in materia quarumcumque virtutum recipiendas altiori modo, quàm fieri ſoleat ſecundùm dictamina rationis, & humanæ prudentiæ, atque in multis deficientis noſtræ prouidentiæ. Sed videamus an hoc idem alia ſimilitudine magis declaretur. Nauis intra aquam dupliciter mouetur, remigio, & velificatione; oſtenſum eſt autem alibi contemplationem nauigationi rectè comparari, quando itaque curſum ſuum peragit nauis ſola remigantium virtute, benè moueri à ſe ipſa dici poteſt, hoc eſt intima ſua vi, & eorum, quos in ſe continet, propria virtute. Cùm autem fertur impetu ventorum per expanſa vela receptorum, non tam mouere ſe dici debet, quam moueri aliunde, ventorum ſcilicet fauore, beneficio, & dono. Sic ergo vbi mens noſtra ex habitu propriarum virtutum iuxta regulas, & dictamina rectæ ſuæ rationis honeſta operatur, dicitur homo ipſe à ſe moueri, & ex virtute operari: cùm autem extrinſeca quædam Dei vis, vltra has regulas animam hominis iuſti altiori quodam, & vehementiori modo prouexerit, tunc dono aliquo S. Spiritus dicitur promoueri. Vnde ait Saluator in Euangelio: *Spiritus vbi vult ſpirat; & vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quò vadat: ſic eſt omnis, qui natus eſt ex ſpiritu. Et quicumque Spiritu Dei aguntur*, ait S. Paulus, *ij ſunt filij Dei*. Ex quo præſtantiores theologi collegerũt dona huiuſmodi propria eſſe filiorum Dei, & gratiæ iuſtificanti, ac virtutibus ſuperinfundi. Vt quemadmodum ad excipiendos ventorum flatus vela in naui expanſa præſupponuntur, ita etiam, rem ſpiritualiter intelligendo, ad recipiendas motiones S. Spiritus, hæc dona iuſtorum animis apponantur, quæ ſunt ſupernaturales qualitates per modum habitus permanentes ad ſpirituales noſtras potentias habilitandas, vt inde reddantur facile mobiles à cæleſti motore; cui etiamſi nihil videatur eſſe difficile, non vult tamen, niſi modis conuenientiſſimis, & non minus ſuauiter omnia diſponendo, quam fortiter operari.

Ioann. 3. 8.

Ad Rom. 8. 14

S. Thom. 1. 2 q. 68. art. 2. & 5.

3. Sed iam videamus, quod ſecundo loco propoſuimus explicandum circa donum ſapientiæ in particulari, quomodo à virtute fidei, & ab alijs donis S. Spiritus, præſertim intellectualibus diſtinguatur. Et quidem ſapientia, ſi latiſſima ſignificatione accipiatur, quandam ſignificat intellectus habilitatem ad iudicandum in qualibet materia ſecundùm cauſas in illo genere altio-

Donum ſapiẽtiæ quomodo à fidei virtute & ab alijs donis diſtinguatur.

re altiores: ita dicimus aliquid factum sapienter, idest iudicio secundùm rei causas in ea materia profundo: ita etiam dicitur
1.Cor.3.10. sapiens pictor, & architectus, sicut, inquit Apostolus, *vt sapiens architectus fundamentum posui*. Adeo verò latè patere potest hæc sapientiæ sic acceptæ significatio, vt in malam, quæ mundi sapientia dicitur, & stultitia est apud Deum, atque in bonam, quæ solùm est propriè sapientia, diuidatur: Mundi ma-
Ierem.4.22. la, atque adeo falsa sapientia est illa, de qua Ieremias: *sapientes*,
Iacob.3.15. inquit, *sunt, vt faciant mala*: & S. Iacobus, *non est*, ait, *ista sapientia de sursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica*. Quibus verbis mundana omnis sapientia in tres species est subdiuisa: prima est terrena, quæ terrenis negotiationibus, & lucris temporalibus, spretis cælestibus, omni studio est intenta.
Luce.16.1. Talis fuit in illo Villico iniquitatis sapientia, atque prudentia, quam Christus Dominus filijs lucis proposuit in bono æmulandam, ne in malo à filijs huius sæculi superentur. Animalis sapientia illa est, quæ in huius vitæ transitoriæ exquisitis delicijs procurandis, & varijs oblectamentis sensuum adinueniendis tota occupatur. Tales erant pro sua stulta prouidentia, qui in libro
Sap.2.6. sapientiæ referuntur inter se dicentes: *Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt, vtamur creatura tamquam in iuuentute celeriter. Vino, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis, coronemus nos rosis, antequam marcescant*. Tertia species falsæ sapientiæ diabolica à S. Iacobo appellatur: hæc in captandis honoribus, venandis dignitatibus, & gradibus altioribus est posita, circa illam tertiam mundi regionem à
S.Ioann.ep.1. S. Ioanne descriptam, cùm ait: *omne quod est in mundo concu-*
c.2.16. *piscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*. In hac excelluit Lucifer superbissimus à sapientia Cherub
Isai.14.13. appellatus, *qui dicebat in corde suo; in cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo*. Hac multos ex supernis ciuibus in suam sententiam pertraxit, eisque bellum contra Deum suscipere, & prælium in ipso cælo committere, sed exitu infœlicissimo, & ruina irreparabili persuasit. Quare hæc falsa sapientia, quæ & stultitia, & mors in sacris Scripturis appellatur, siue terrena sit, siue animalis, siue diabolica, vt S. Iacobus ibidem admonuit, habet zelum in se amarum, tædia multa, implacabiles contentiones. Cùm vera sapientia sit illa, de qua Salomon protesta-
Sap.8.16. batur expertus: *quod non habet amaritudinem conuersatio illius, nec tæ-*

nec tædium conuictus illius, ſed lætitiam, & gaudium: generoſitatem quoque illius glorificat contubernium habens Dei: ſed & omnium Dominus dilexit illam; doctrix enim eſt diſciplinæ Dei, & electrix operum illius, & ſi multitudinem ſcientiæ deſiderat quis, ſcit præterita, & de futuris æſtimat, ſcit verſutias ſermonum, & diſſolutiones argumentorum. Itaque & hanc quoque in tres ſpecies, ſiue gradus oportet diſtinguere, infimus eſt ſapientiæ naturalis, cognitio videlicet ſcientifica rerum naturalium per cauſas altiores vſque ad Deum, quæ à Philoſophis metaphyſica, ſiue naturalis theologia nominatur, & in ea naturalem hominis beatitudinem ſitam eſſe ipſi voluerunt, ſed non eſt hæc, quam modò quærimus, ſapientia. Secunda igitur ſpecies nobilior, atque perfectior eſt, quæ theologia ſcholaſtica nominatur. At neque eſt illa, propriè, quæ à nobis modo quæritur, ſapientia, quia licet nō parum ad ratiocinandum de diuinis rebus conferre videatur, & ex certiſſimis fidei principijs concluſiones deducat in ſubſtantia ſupernaturales, in modo tamen acquiſitionis, & exercitij eſt naturalis, nec donum eſt S. Spiritus, de quo agimus, ſed virtus intellectualis mediæ cuiuſdam naturæ inter fidem theologicam, & ſcientias naturales. Tertia demum ſpecies ſublimior ſapientiæ, & quæ primo loco inter ſeptem dona S. Spiritus numeratur, eſt habilitas quædam noſtræ mentis infuſa diuinitus ad inueſtigandas, rationes perſpicaci oculo diuini amoris, & ad iudicandum per altiſſimas cauſas de myſterijs noſtræ fidei: circa quæ habitus fidei relictis rationibus ſimplicem tantùm producit aſſenſum. Propterea ſapientiam aliqui à ſapore, quaſi ſapidam ſcientiam dictam eſſe voluerunt, & ad affectum magis, quàm ad intellectum pertinere: vnde hortatur nos Apoſtolus: quæ ſurſum ſunt ſapere, non quæ ſuper terram; & certe S. Auguſtinus in quadam epiſtola ad Honoratum: *Sapientia*, inquit, *eſt charitas Dei, quæ diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis; initium autem ſapientiæ timor Domini.* Re tamen vera, ſicut non eſt initium ſapientiæ timor Domini, niſi vt illius cauſa, & origo, quatenus à terrenis ad cæleſtia, à temporalibus ad æterna mentem reuocat, & intellectum, vt ſapere incipiat, & intelligere, ac nouiſſima prouidere; non quaſi timor ex ſe, cùm inſit voluntati, forma ſit aliqua ſapientiæ in intellectu: ita nec eſt ipſa charitas propriè ſapientia, ſed eius comes indiuidua, vniens cum Deo regulatiſſimam voluntatem, vt in intellectu dono ſapientiæ prædito inſtinctus, & dictamina S. Spiritus connaturaliter recipiantur,

Sap. 8. 3. 8.

Ad Coloſſ. 3. 2.

S. Aug. ep. 120 cap. 18.

1.Cor.6.17. S.Basil.de vera virg. tur, quia, *qui adhæret Deo, vnus spiritus fit cum illo*. *Et anima*, inquit, S. Basilius, *quæ Christo copulata est tamquam sapientiæ Verbi Dei sponsa, sapiens, & prudens sit necesse est; vt omni stultitiæ, & insipientiæ nota, iugi diuinarum rerum meditatione explosa, sapientiæ, cui coniuncta est, ornetur pulchritudine, donec æternam sapientiam sibi penitus iungat, vnumque cum eo, cui inhæsit effecta, ex corruptibili fiat incorruptibilis, ex imperita prudens, & sapientissima*. Atquæ hæc est illa, quam propriè quærebamus, sapientia, de qua tam multa, & tam admiranda in libro sapientiæ à Salomone prædicantur, præsertim in capite septimo, vbi dicitur: neminem diligere Deum, nisi qui cum sapientia inhabitat; Sap.7.28. *est enim hæc speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum luci comparata inuenitur prior, cui nox non succedit, & est in illa spiritus intelligentiæ sanctus, vnicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, suauis, benignus, certus, stabilis, atque securus*.

Quomodo sapientiæ dono iuuetur meditatio. 4 Tertium superest, quod exponere potissimum intendebamus, qua ratione tam insigni sapientiæ dono vti oporteat, vt inde meditatio adiuuetur, ac perficiatur. Hoc autem contingit multis, vltra id, quod præstare soleat fides, rationibus. Primùm enim fides facit nos promptè assentiri mysterijs ad credendum propositis, absque alia rationum inquisitione, simplici tantùm suadela captiuando intellectum in obsequium reuelatæ sub obscuritate veritatis. At verò sapientia iudicium superaddit multò perspicacius, atque perfectius, secundùm altissimas talis mysterijs causas, rationes, & conuenientias. Secundò solet hoc dono mens orantis rerum sublimitate suspendi, & in quandam sensim admirationem induci, quæ gradus est altioris contemplationis, vt postea, cùm de hoc affectu, in particulari agetur, fusius explicabitur. Tertiò sequitur inde in appetitu rationali gustus, & sapor quidam exuperans omnem sensum, qui nihilominus solet redundare, cùm est vehemẽtior, in appetitum sensitiuum. Primùm itaque aperit hoc donum sapientiæ in aliquo mysterio, exempli gratia, Incarnationis æterni Verbi, conuenientias propemodum infinitas: vt quod natura boni sit esse sui communicatiuum; summa igitur Dei bonitas melius declarari nobis non potuit, quàm summè se per hoc mysterium communicando. Immensus siquidem erga nos Dei amor, & eius infinita dilectio quomodò melius potuit creaturis rationalibus ab ipso Deo monstrari, quàm dando mundo, sicut dedit Vnigenitum Filium suum. Vnde ipse dicebat: sic Deus dilexit mundum,

mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Charitas prorsus inæstimabilis, quam propterea nimiam S. Paulus appellauit: *propter nimiam*, inquit, *charitatem suam, qua dilexit nos, cùm essemus mortui peccatis conuiuificauit nos in Christo*. Misericordia plusquam paterna, propter quam vocat ibidem Apostolus Deum nostrum diuitem in misericordia. Liberalitas, & magnificentia planè diuina: *vt ostenderet*, addit ibidem S. Paulus, *in sæculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Iesu*. Summa iustitia, qua Deo pro peccatis plenissimè satisfactum est, cùm aliter ex toto satisfieri non potuisset. Virtus omnipotentis, in edendo miraculo omniũ miraculorum maximo: *nihil enim maius*, ait Damascenus, *quàm Deum fieri hominem*. Prouidentia erga genus humanum singularis, & inde etiam quodammodo effusa in alias res propter hominem conditas vniuersas. Vnde per antonomasiam Græci patres hoc mysterium appellant œconomiam, idest regimen huius magnæ domus, & familiæ vniuersi, totiusq. humani generis sapientissima gubernatio: *per quam primum in Sancto Sanctorũ*, ait sanctus Augustinus libro de prædestinatione Sanctorum, *prædestinata est ista natura humanæ tanta, & tam celsa, & summa subuectio, vt quò attolleretur altius non haberet: sicut pro nobis ipsa diuinitas quousque se deponeret humilius non habuit.* Deinde sic exhibitus est nobis Vnigenitus Dei pro Redemptore, pro Saluatore, pro Magistro, & Doctore, pro Duce, Rege, Imperatore, pro verò animarum pastore, pro sponso cælesti, pro summo sacerdote, pro luce, speculo, exemplo, bonorum fonte, & malorum omnium medicina. Denique *factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. Omnia igitur habemus in Christo*, ait S. Ambrosius, *& omnia Christus est nobis: si vulnus curare desideras, medicina est, si febribus æstuas, fons est: si grauaris iniquitate, iustitia est: si auxilio indiges, virtus est: si mortem times, vita est: si cælum desideras, via est: si tenebras fugis, lux est: si cibum quæris alimentum est.* Scripsit quidem B. Anselmus duos de hac materia libros, quos inscripsit: Cur Deus homo; sed alij plures scribi potuissent, & adhuc concludi verbis illis, quibus suum concludit Euangelium S. Euangelista Ioannes: *Sunt & alia multa, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Vbi verò animus contemplantis non satis habens inquirere: cur Deus homo, examinare etiam vult, cur Dei filius homo, secunda persona videlicet potius, quàm prima, vel tertia

Ioann. 3. 16.
Ad Ephes. 2. 4.
Ad Ephes. 2. 4. 7.
Damasc. l. 3. fid. cap. 1.
οἰκονομία
S. August. lib. de prædest. SS. cap. 15.
1. Cor. 1. 30.
S. Ambr. lib. 6. exem. c. 4.

ſanctiſſimæ Trinitatis, donũ ſapientiæ adhuc vlterius magis congruẽtes, & cõuenientes poteſt ſuggerere rationes: cuiuſmodi eſſet, recogitare, quia quemadmodum artifex per verbum mentis, quod eſt exemplar operis faciendi, ſuum perficit opificium, eodemq. ſi deſtruatur, quod antea fecit, inſtaurat; ita cùm Deus
S. Ioann. 1. 1. per Verbum ſuum condiderit vniuerſa: nam *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt:* oportebat etiam, quod erat reficiendum in opere primario per humani generis redemptionem, hoc Diuino Verbo reficeretur: *vt notum faceret*, ait S.
Ad Epheſ. 1. 9. Paulus, *nobis Deus ſacramentum voluntatis ſuæ ſecundùm beneplacitum eius, quod propoſuit in eo in diſpenſatione plenitudinis temporis, inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cælis, & quæ in terra ſunt, in ipſo*. Atque has, & ſimiles ex parte ipſius Verbi; ſed aliàs quoque ex parte noſtri habet donũ ſapientiæ inſpirare contẽplanti rationes. Vt quod propria hominis perfectio in eſſe rationali ſita ſit, per hanc Deo aſſimiletur, propter hanc dicitur ad imaginem factus ſui conditoris, ab hac peccando ma-
Pſal. 38. 13. xime deſciuit: *quia homo cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis;* idq. propter inordinatum appetitum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quam illi verſutiſſimus Dæmon falsè pollicebatur. Fuit igitur hoc quoque diuini conſilij ſacramentum, vt nobis potiſſimum ſubueniret increata ſapientia Verbi ſui: & quia non tamquam ſaxa, vel ſtipites per illud, & ſecundum illud exemplar, quod eſt imago Dei viuẽtis reformari debebamus, ſed intelligendo, conſentiẽdo, efficaciſſimæ gratiæ ipſius cooperando; & Verbum erat apud Deum, hoc eſt à nobis per quàm remotum, & humanis ſenſibus prorſus ignotum; ideo fuerat noſtra viſibili natura veſtiendum,
Ioann. 1. 14. *& ita Verbum caro factum eſt, & habitabit in nobis: & vidimus gloriam eius.* Vbi verò vlterius mens orantis inſtinctu eiuſdem ſpiritus ſapientiæ ad alias inueſtigãdas progreditur rationes: cur Dei Verbum noſtra mortali carne veſtitum, cum potuiſſet vnica ſui pretioſiſſimi ſanguinis gutta tantùm in circumciſione fuſa, immo vna qualicumque lachrymula, quin etiam ſolo primùm in mundum ingreſſu, & voluntaria noſtræ carnis in vtero immaculatæ Virginis ſuſceptione, à peccatis ſufficientiſſimè nos redimere, & pro illis infinito pretio ſic perſoluto pleniſſimè ſatisfacere: tamen adeo multa elegerit ad ignominiam indigniſſima, ad dolorem ſæuiſſima, & crudeliſſima ſuſtinere: tum

demum

demum abſorpta mens remanet in profundo virtutum altiſſimarum, cui aliorum ſanctorum virtutes comparatæ, ſicut ſtellæ in conſpectu Solis vix lucere videbuntur. Eſt ſummæ admirationis,& ſtuporis illa charitas Creatoris erga vilisſimas ingratisſimas, & nocentisſimas creaturas: illa obedientia vſque ad mortem, mortem verò Crucis: illa humilitas inæſtimabilis, illa patientia incomparabilis, illa paupertas Dei in nuda Cruce nudi morientis, qua maior eſſe non potuit, ille contemptus rerum omnium mundanarum, quo maior intelligi nequit. Hinc animus in contemplatione ſuſpenſus ſatius habet ceſſare iam à diſcurſibus, ratus nimis multum eſſe quod intelligit, nimis parum eſſe quod diligit, non eſſe quid dicat, non eſſe cur taceat. Itaque taciturnitati nonnulla fortè illis Iſaiæ verbis ſimilia interſerit: *Domine Deus es tu: exaltabo te, & confitebor nomini tuo: quoniam feciſti mirabilia, cogitationes antiquas, fideles, Amen.* Iſai.25.1. Et cum Chriſtifero Ignatio identidem repetit; *amor meus Crucifixus eſt.* Et hæc eſt ſapientia, quam inter perfectos loquebatur Apoſtolus: ſicut ad Corinthios ſcribit: *Sapientiam autem loquimur inter perfectos: ſapientiam verò non huius ſæculi, neque principum huius ſæculi, qui deſtruuntur: ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio abſconditam:* 1.Cor.2.6. quam ſe ait potiſſimum prædicare: *prædicamus Chriſtum Crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam, ipſis autem vocatis Iudæis, atque Græcis Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam,* 1.Cor.1.23. quam ſe tantum noſſe profitebatur: *non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc Crucifixum.* 1.Cor.2.2. Et hæc tanto impetu ſancti Spiritus in quibuſdã puriſsimis animabus impreſſa ſcimus fuiſſe aliquando, vt etiam in corpore veſtigia expreſſa, & ſtygmata exterius apparerent: ſicut de Seraphico S.Franciſco nouimus,& Beata Catherina Senenſi, & de altera ſimiliter eximiæ ſanctitatis Virgine Clara dicta à Montefalco Italiæ oppido, in cuius corde vſque ad hunc diem videri poſſunt, ſicut etiam ego ipſe diligenter obſeruaui, expreſſa inſtrumenta Dominicæ Paſsionis, nempe ex ipſa carnea cordis ſubſtantia diſtinctè formata. Sed hactenus de primo dono ſancti Spiritus.

CAPVT QVARTVM.

Qua ratione donum intellectus nos illuminet in meditatione.

1 INTER dona sancti Spiritus secundo loco numeratur intellectus, & est tertium lumen, quo mens orantis in contemplatione diuinitus illustratur: occurrunt autem de ipso tria potissimum explicanda. Primum in quo propriè consistat hoc donum. Secundò, quid illud in nobis impediat, quid actum, & exercitium eius promoueat. Tertiò, qua ratione in progressu contemplationis ad praxim, Dei affluente gratia, reducatur.

Donum intellectus in quo propriè consistat.

2 A primo igitur incipiendo, est obseruandum verbum hoc intelligendi, & vocabulum intellectus ab intus, & lego, iuxta nominis etymologiam fuisse dictum, ad notandam huius nostræ spiritualis potentiæ intellectiuæ differentiã à sensibus, qui solùm versantur veluti circa extimam corporũ superficiem, ac prima rerum lineamenta, atque accidẽtia, quæ propterea sensibilia nominantur, neque ad intimum substantiæ percipiendum possunt peruenire. Id enim proprium munus est intellectus, cuius proinde obiectum esse quod quid, siue essentiam aut substantiam rerũ, Philosophi cum Aristotele solent asserere. Hinc autem factũ est, vt tripliciter hoc nomen intellectus accipiatur: primùm pro ipsa potentia spirituali intellectiua, sed hæc non est donum, quod à nobis quæritur in præsentia: nam quamuis inter maxima naturæ bona nobis à Deo gratiosè donetur, supra naturã tamen non est, sed ipsi animæ connaturaliter inseritur, ac debetur. Secundò, sumitur intellectus pro habitu primorum principiorũ: quæ principia nihil aliud sunt, nisi quædam vniuersalissimæ propositiones ex ipsorum terminorum prima apprehensione facilè, & sine discursu innotescentes, quibus tum scientiæ speculatiuæ, tum practicæ, & morales disciplinæ nituntur: vt est, vel nõ est aliquid: fugiendum est malum, prosequẽdum est bonũ. At neque hoc donũ S. Spiritus appellamus: tum quia similiter naturale est, & humanæ naturæ debitũ, tum quia non est infusum propriè, sed naturaliter inditum, vel acquisitũ, tum denique, quia nemo illo habitu caret, qui facultate non careat intellectus, aut omni vsu rationis.

tionis. Tertiò igitur ſumi ſolet nomen hoc intellectus ad rem nostram faciens, pro quadã ſupernaturali qualitate per modum habitus dono ſancti Spiritus pijs mentibus cum gratia ſanctificante,& virtutibus ſimul infuſa,ad intelligenda, ideſt intimè inſpicienda, & penetranda fidei noſtræ profundiora myſteria, aliaſque altiores veritates ad finem æternæ beatitudinis conferentes. Quare in hoc à theologali fidei virtute, & ab alijs donis ſancti Spiritus intellectum perficientibus propriè diſtinguitur: quòd fides circa ſupernaturalia,& diuina aſſenſum elicit intellectus,ſapientia iudicium eiuſdem facultatis inclinat ad ſublimiter de illis per primas,& altiſſimas cauſas ſentiendum; ſcientia per cauſas ſecundas inferiores; conſilium, vt ritè ad opus, quod practicè iudicatum eſt,animus applicetur: at verò donum intellectus,vt intimè,ſicut iam dictum eſt,res fidei apprehendantur,melius penetrẽtur,& perſpicacius intelligantur. Cùm igitur aliud ſit aſſentiri alicui veritati,aliud ſapere circa illã, aliud ſcire,aliud conſiliari,aliud intimè, & profundo iudicio penetrare, ſiquidẽ actus ſunt noſtræ mentis inter ſe ſpecie diuerſi,atque ita diſtincti,vt facilè vnus ab alio cõtingat ſeparari; diſtincti omnino quinque habitus pro illis ad plenam ſanctificatæ mẽtis perfectionẽ infundi debuerũt.His porrò quinque notabiles imperfectiones, grauiſſimiq. defectus animi noſtri circa ſupernaturalia fuerunt abolẽdi.Primus defectus eſt cæcitas mẽtis,contra quam data eſt fides,ſine qua planè circa ſupernaturalia ſumus in tenebris: deinde eſt ſtultitia,quæ eſt defectus iudicij cõtra quam donatur ſapientia:tertiò eſt temeritas,cui medetur conſiliũ: quartò eſt ignorãtia,contra quã eſt ſciẽtia;denique mentis quædã eſt hebetudo,cui donũ opponitur intellectus.Habemus igitur in quo ſitum ſit hoc donum,& qua ratione,ab alijs,de quibus magis dubitari poterat, perfectionibus noſtri intellectus diſtinguatur.

3 Sequitur iam videamus quid in nobis hoc donum impediat,quid iuuet,atque promoueat: ſunt autem tria maximè impedientia,quorum totidem contraria ſunt adiuuantia. Primùm inter impedimenta grauiſſimum, & quò non minuitur tantùm, vel obſcuratur,ſed prorſus extinguitur hoc ſpirituale lumen intellectus,eſt ſtatus peccati mortiferi,& culpa lethalis. Eſt enim donum hoc intellectus, ſicut alia quoque dona ſancti Spiritus, proprietas gratiæ habitualis nos iuſtificantis,atque animam vita ſupernaturali viuificantis: quare ſicut vbi ab humano corpore per mortem anima ſeparatur, non ſolum vita,ſed etiam vitales potentiæ,ſenſuſq. tolluntur; ita ſublata per peccatũ gra-

Quid iuuet donum intellectus,& quid impediat.

tia iustificante, dona sancti spiritus auferuntur. Significauit hoc ipse de se loquens Spiritus sanctus, & de duobus primis donis suis, nempe sapientia, & intellectu in libro Sapientiæ illis verbis:
Sap. 1.4. *Quoniã in maleuolam animã non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis: Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictũ, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu.* Propterea etiam verbis illis monentur in Psalmo à Dauide
Psal. 31.9. peccatores: *Nolite fieri, sicut equus, & mulus, in quibus non est intellectus:* quod de ipsa potentia, & intelligendi facultate dictũ accipi non potest; quasi hæc peccantibus auferatur, cum animæ inseparabiliter sit inserta; neque de illius vsu, vel exercitio circa transitoria, & mundana, quod ipsi præ cæteris habere solent expeditissimum: vt propterea dixerit in Euãgelio Christus Domi-
Luca. 16.8. nus: *quia filij huius sæculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt.* Igitur quia tales sine intellectu sunt circa spiritualia, & æterna: nec à delictis coerceri possunt, nisi tanquam belluæ, capistro mundani timoris, aut fræno ferreo iustitiæ temporalis:
Psal. 31.10. & propterea statim Propheta subiecit: *In chamo, & fræno maxillas eorũ constringe, qui non approximant ad te.* Indicat præterea duplex illa species belluarum, quæ sint peccata maximè huic dono sancti Spiritus aduersantia: illa nimirum, quæ nos belluis effrænatis reddunt similiores: cùm alia sint peccata spiritualia, nempe, quæ circa materiam spiritualem admittuntur, & non tam sensu, quàm spiritu interius consumantur, vt superbia, inuidia, accidia; quibus homines potiùs Dæmonibus similes efficiuntur. Propria igitur quasi basis, & necessarium huius doni fundamentum est, gratia Dei habitualis animam instificans, & sanctificans, eamque diuinis oculis acceptam, amabilemq. constituens. Quapropter antequã in eodem Psalmo peccatores admoneantur, ne belluinis moribus donum prostituant intellectus, Deus viro iusto, & sua gratia à se donato adiunxit: *Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris: firmabo super te oculos meos.*

Doni intellectus aliud impedimentum.

4 Secundum huius doni impedimentum, saltem, quod spectat ad illius expeditum vsum, & exercitium, sunt animi indomitæ passiones, & non dum superatæ malæ inclinationes ab homine licet iam per gratiam iustificato. Quamuis enim gratia iustificationis in quocumque gradu infundatur, expellat ab anima lethale quodcumque peccatum, non minus, quam radio solis tenebræ nocturnæ discutiuntur: non tamen propterea statim deficiunt habitus vitiosi, & similes animi prauæ dispositiones, quæ

sicut

ſicut excreuerunt in habitus exercitio vitiorum, ita decreſcant neceſſe eſt contraria exercitatione virtutum. Quare veluti aqua licet ex ſe limpidiſſima, ſi in vaſe agitato inquieta contineatur, ſolis radios non recipit, nec reflectit, niſi perturbatos; nec ſpecies viſibiles colorum obuerſantium, niſi diſtortas emittit: ita mens prauis affectionibus interturbata, etiamſi culpis grauioribus non inquinetur, exercere tamen donum intellectus adeo expeditè non poteſt; nullo verò modo ſi luto peccatorum, ex quo donum huiuſmodi prodigitur, fuerit inquinata. Propterea dicebat Apoſtolus: *animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere: quia ſpiritualiter examinantur.* Atque hinc vnum magnæ nobis conſolationis, & in catholica veritate cõfirmationis percipiemus: quæ nimirum ſit ratio, vt homines alioquin haud ineruditi, & liberalibus diſciplinis interdum exculti, in ſacris quoque literis, & ſtudio doctrinæ Patrum aliquo modo verſati, poſteaquàm bonã conſcientiam repellẽtes, improbitati, & nequitiæ fræna laxarũt, vt multi hæreticorum, & maximè hæreſiarchæ, in libris, quos ædiderunt vix vnam pagellam ſine turpiſſimis, & craſſiſſimis erroribus cõſcribere potuerunt. Cõtra verò ſimpliciſſimæ mulieres, quæ nullas Academias frequentarunt, nullas ſcholas vmquã adierunt, ſolum vitæ ſanctimonia, puritate, innocentia, interna cum Deo conuerſatione, ſic dono ſapientiæ, & intellectus profecerunt, vt cùm varios libros conſcripſerint, vbi materias ingrediuntur altiſsimas, & difficillimas de gratia, & libero arbitrio, de diuina prouidentia, & præſcientia, de vſu, & abuſu Sacramentorum, de arcano myſterio ſanctiſsimæ Trinitatis, & humanæ redemptionis, nihil tamen in illis inueniatur, quod à ſacra doctrina, catholicis dogmatibus, & bonis, pijſque moribus appareat alienum. Quia nimirum talibus Deus illud donat, quod in Pſalmo legimus eſſe pollicitum: *intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac, qua gradieris, firmabo ſuper te oculos meos:* alijs verò decantatur, quod ſequitur: *nolite fieri, ſicut equus, & mulus, in quibus non eſt intellectus, in chamo, & fræno maxillas eorum conſtringe, non approximant ad te.* Tertium obſcurius huius doni impedimentum poteſt eſſe aliqua occulta ſuperbia, ſiue quæ iam lateat in animo, ſiue quæ à Deo præuideatur alicui adfutura, ſi hoc ei donum in tota perfectione cõcederetur. Non quaſi velit vmquam Deus illud donum quoad habitũ homini iuſto, in ſtatu gratiæ perſeueranti ſubtrahere; cùm id non faciat, niſi ob culpam mortiferam; neque ita, vt velit gradus il-

1. Cor. 2. 14.

Pſal. 31. 8.

lius aliquos diminuere; crescere enim in intensione, sicut aliæ virtutes infusæ potest, decrescere autem per partes, aut gradus aliquos intensionis, etiamsi posset, numquam solet: *sine pœnitentia enim sunt dona Dei*: sed tamdiu in nobis perseuerant, quãdiu steterit habitualis gratiæ fundamentum. Præterea neque deficit hoc donum vmquam ante peccatũ, quoad exercitium, & actum primarium circa ea, quæ sunt necessaria saluti, vt est digna æstimatio de vltimo fine; quæ nõ amittitur, nisi ab eo, qui per peccatum se auertit ab vltimo fine: facilè tamen deficit quoad extẽsionem ad alia multa percipienda: quæ tantò profundius ab illuminato homine intelliguntur, quantò humilior est corã Deo, *qui humilia respicit, & alta à longe cognoscit.* Propterea loquens cũ æterno Patre Christus Dominus de suis Apostolis, quos mũdi luminaria, & Ecclesiæ suæ primarios Magistros constituebat: *Confiteor*, ait, *tibi Pater Domine cæli, & terræ, qui abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea paruulis*: Et de se ipso Apostolus Paulus sentiens demisissimè: *mihi*, inquit, *omnium sanctorũ minimo data est gratia hæc in gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi, & illuminare omnes, quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à sæculis in Deo.* Neque se solũ minimum Sanctorũ, atque iustorũ faciebat, sed gradu etiã Apostolatus prorsus indignũ: *ego enim*, ait, *sum minimus Apostolorũ, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei*; & iterum alibi, *qui*, inquit, *prius blasphæmus fui, & persecutor, & contumeliosus.* Vnde quid mirum, si qui se adeo infra omnes humiliabat, supra alios vsque ad tertium cælum eleuaretur, & arcana Dei, quæ non licet homini loqui, altius intelligeret, & profundius penetraret.

Ad Ro. 11. 29. S. Thom. 2. 2. q. 45. art. 5. Caiet. ibi. — Psal. 137. 6. — Matth. 11. 25. — Ad Eph. 3. 8. — 1. Cor. 15. 9. — 1. Ad Tim. 1. 13.

Donum intellectus quomodo ad praxim in meditatione reuocetur.

5 Sed superest iam tertio loco videamus praxim huius doni, siue vsum in ipso exercitio contẽplationis. Scire igitur oportet circa quamcumque materiam habituum menti infusorum siue fidei, siue sapientiæ, siue consilij, siue etiã scientiæ, posse hoc donum, & solere versari; præstando videlicet intellectui, vt quæ sunt in illa materia veritates, non in cortice, vel superficie tantùm, sed intimè penetrentur, & perfectè intelligantur. Potest autem id contingere tripliciter: primùm, vt cùm verba sacrarum Scripturarum contemplanda suscipimus, ad eius multiplices, & reconditos sensus, de quibus antea dictum est, beneficio huius doni perducamur. Hinc est quod post resurrectionem suam Christus Dominus Apostolis tamquam in schola Spiritus pronectioribus, *aperuit sensum*, ait S. Lucas, *vt intelligerent Scripturas*:

Luc. 24. 45.

pturas: cum antea sæpè viua eius verba iuxta verũ sensum percipere minimè potuissent. Vt quãdo de cordis, & cõscientiæ munditia per parabolam ipse loquebatur dicens: *non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem*, ipsi nihil horum perceperunt: ideò audierunt: *adhuc & vos sine intellectu estis*, & parabolã clarius explicauit Petro postulante: *edissere nobis parabolam istam.* Similiter cum de mysterio Crucis, & propinquæ iam passionis aliquandò satis apertè, illis verbis, loqueretur duodecim discipulis suis secum Hierosolimã versus gradientibus: *Ecce ascendimus Hierosolimam, & consummabitur omnia, quæ scripta sunt per Prophætas de filio hominis: tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellauerint occident eum, & tertia die resurget: & ipsi*, ait Euangelista, *nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur*: non quasi dono isto S. Spiritus quoad habitum caruissent, qui nec ipso deifico Spiritu in singulis inhabitante caruerunt; sed quia iuxta prouidentiæ diuinæ dispositionem vsus illius doni, & expedita exercitatio per temporum incrementa perficiebatur, & extensio ad oraculorum cælestium, & sacrarum Scripturarum intelligentiam in dies augebatur. Secundò pertinet ad hoc donum intellectus mentem ex consideratione creaturarum ad inuestigandas perfectiones Creatoris, & à visibilibus ad inuisibilia indaganda perducere. Dicitur enim, vt antea exposuimus intelligere, quasi intus legere: quare sicut non homo, sed brutum animal est, à quo accidentia tantùm corporũ sensibilia percipiuntur, nihil autẽ de intima substantia, cuius notio pertinet ad intellectũ, penetratur; & planè puer non vir est habendus, qui solùm elegantia externa, & picturatis integumentis alicuius libri delectatur, nihil de jis, quæ intus scripta cõtinentur legere curans; & homo est valde rudis, atque idiota, qui librum apertum ante se conspiciens, quid illis characteribus significetur nihil prorsus intelligit. Ita animalis homo ille censendus est, non spiritualis, qui nescit in creaturis, tamquam in vestigijs, imaginibus, & characteribus quibusdam, perfectiones Creatoris illarum, legere, & intelligere. At non sic Propheta Regius, qui propterea dicebat: *Delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Quam magnificata sunt opera tua Domine? nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ: Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.* Ob id etiam sapientissimus eius filius Salomon

Matth.15.11.

Luc.18.31.

Psal.91.5.

Sap.13.1.5. lomon scripsit in libro sapientiæ: *vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est; à magnitudine enim speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Tertiò est etiam huius doni sapientiæ munus, ac beneficium, ex vno diuino attributo, alterius attributi peruestigare, & penetrare magnitudinem, excellentiam, & sublimitatem; ex vnius diuinæ personæ perfectionibus, perfectiones, proprietates, & notiones alterius, atque ita secundum Apostoli consilium, *comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, & latitudo & sublimitas, & profundum, vt impleamur in omnem plenitudinem Dei.* Qua de re dicta sunt satis multa superius, dum de quadruplici forma orandi ab Apostolo commendata, propositis ad eam rem explicandam aliquot exemplis ageremus.

Ad Ephes.3.18.

CAPVT QVINTVM.

Qua ratione donum Consilij nos illuminet in meditatione.

Circa quam materiam versetur hoc donum, qua ratione, forma, & quo tēpore potissimū ad actum reducatur.

1 HOc est tertium donum S. Spiritus, & quartum lumen, quo noster intellectus in meditatione diuinitus illustratur: de quo præter ea, quæ in communi de septem donis S. Spiritus antea sunt dicta, tria propria huius loci nunc remanent explicanda. Primum circa quam materiam versentur consilia S. Spiritus, hinc enim magna huius doni necessitas apparebit. Secundò qua ratione, vel forma à nobis, & in nobis instinctu diuino donum hoc exerceatur, vnde facile constabit eius supra omne humanum consilium excellentia. Tertiò, quo maximè tempore ad praxim debeat reuocari, hinc enim quàm illi accommodatum sit, & oportunum tempus internæ orationis, & meditationis intelligetur.

Consilium S. Spiritus aliquando sumitur pro dono habituali, aliquando pro actu, aliquando pro materia circa quā versatur.

2 Vt autem materiam diuinorum consiliorum, idest auctore diuino spiritu menti nostræ immissorum, primo loco exponamus, præmittendum est, nomen consilij, etiam si non in tota sua latitudine accipiatur, sed ad diuina tantummodo, quæ ad rem nostram faciunt, referatur, sumi posse tripliciter. Primum pro habitu iustorum menti diuinitus infuso, de quo Propheta

Isai.11.2

Isaias

Isaias illis verbis loquebatur: *requiescietsuper eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilij, &c.* Verbum enim quiescendi non transeuntem actum, sed habitum significat permanentem: & id quidem licet de capite ecclesiæ potissimùm Christo Domino dictum intelligatur, tamen alijs quoque iustis eadem dona S. Spiritus participantibus, non est dubium conuenire. Vnde cum ex hoc mundo discessurus Saluator Apostolis Spiritum sanctum polliceretur, spiritum veritatis, *quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, neque scit eum: vos autem,* inquit, *cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Ioann.14.17. Secundò accipitur consilium pro actu ipso illius habitus à quo diuino Spiritu operante, & coperante procedit: qua ratione dicimus inspiratum alicui fuisse diuinum consilium, & Deum seminatorem esse casti consilij, Beata Cecilia dicebat. Quare sicut si posset ager agnoscere benefactores suos, non tam sibi, & suæ virtuti deberet adscribere fruges & fructus in se manentes, quàm fateri esse dona sibi collata, à seminante, plantante, irrigante, à cælo, sole, sideribus diu, noctuque influentibus: ita huiusmodi casta consilia à cælo puris mentibus sæpe ante omnem, aut ante plenam deliberationem immissa, & gratia præueniente quasi proseminata, comitante aucta, consequente fota, & irrigata, non tam opera nostra dicenda sunt, quàm dona Dei. Quæ proinde iure optimo illi summo Spiritui, qui donum est per proprietatem, & amor, & bonitas, tribuuntur. Tertiò sumitur consilium etiam pro ipsa materia, circa quam actus inspirati consiliorum occupantur: quemadmodum nomine medicinæ non solùm artem medendi, sed etiam eius materiam, videlicet medicam potionem significamus: atque hac ratione, paupertas, castitas, vita à sæculo remota, Euangelica consilia solent appellari. Ex hoc quanta sit huius doni necessitas deduci potest: nam etiamsi communiter dici soleat, consilijs homines non obligari, sed præceptis: vnde loquens Apostolus de seruanda Virginitate dixit: *de virginibus* 1.Cor.7.25. *autem, præceptum Domini non habeo: consilium autem do*: adeo tamen late patet, ac tanti momenti est hæc materia diuinorum consiliorum, vt inter iustos nullus inueniatur, qui ex toto circa ipsam aberrando, ad perfectam obseruantiam mandatorum Dei, & ad finem æternæ beatitudinis possit peruenire. Duplex enim in moralibus necessitas solet distingui, vna medij, & altera præcepti: quamuis ergo non sint consilia de præceptis, idest ea necessitate admittenda, qua tenemur adimplere præcepta, sunt

tamen

tamen de medijs ad finem neceſſario proſequendum, & ad præcepta neceſſario obſeruanda, ſæpe neceſſarijs. *Et conſilium*, ait S.Thomas, *ſecũdum quod eſt donum Spiritus ſancti dirigit nos in omnibus, quæ ordinantur ad finem vitæ æternæ, ſiue ſint de neceſſitate ſalutis, ſiue non*. Et quamuis ea, quæ ad aliquem neceſſarium finem ita ſunt neceſſaria media, vt eſſe talia cognoſcantur, non ſolum ex neceſſitate medij, ſed etiam præcepti ſint aſſumenda: ijs tamen, qui talem non poſſunt agnoſcere neceſſitatem, ſolum ſunt ex neceſſitate medij propriè loquendo neceſſaria. Ita Baptiſmi Sacramentum in re, vel in voto dicitur omnibus eſſe neceſſarium tempore legis Euangelicæ, neceſſitate ſaltem medij ad finem obtinendæ ſalutis; ijs verò, qui talem agnoſcunt neceſſitatem, eſt etiam in præcepto, ita vt peccent contra diuinum præceptum, ſi ſacramentum illud non curent accipere, cùm infantes ea omiſſione non peccent, qui tamen finem ſalutis ſine illo medio non conſequentur. Simili ratione plurimæ poſſnnt eſſe diuinæ inſpirationes de medijs ad ſalutem certæ perſonæ deſtinatis, quæ cum ab ea perſona cognoſci non poſſint eſſe cum illo fine ſalutis conſequendæ infallibili Dei prouidentia & prædeſtinatione connexæ, veluti conſilia negliguntur, nec in ea negligentia grauiter delinquitur; à fine tamen obtinendæ ſalutis grauiſſimè aberratur. Quæ cum ita ſint, valde amplam eſſe oportet, & latè admodum patentem hanc diuinorum conſiliorum, & huius doni S. Spiritus, de quo loquimur materiam: neque enim ineuntur conſilia de fine, qui debet intendi, & non in conſultationem vocari, ſed ſunt conſilia de medijs ad finem, qui quò remotior eſt, eò plura, & magis inter ſe varia media videtur admittere; & quò firmior eſt in intentione, eo in conſilijs, & electione mediorum magis ſolet pati diuerſitatem, & multiplicitatem. Talis eſt finis vltimus, de quo nemo deliberat, an velit illum adipiſci, atque eſſe beatus: nam vt ait S. Auguſtinus ad prima illa primi Pſalmi verba: *Beati immaculati in via: quis vnquam vel poteſt, vel potuit, vel poterit inueniri, qui nolit eſſe beatus? eſſe quippe beatum tam magnum eſt bonum, vt hoc & boni velint, & mali*; & addit propterea bonos eſſe bonos, vt ſint beati, & malos eſſe malos, quia ſic putant ſe poſſe eſſe beatos, tanta eſt in medijs ad hunc vnicum finem non ſolum multiplicitas, & diuerſitas, ſed contrarietas, & diſcrepantia. At numquam mali finem illum aſſequentur, niſi deſinant eſſe mali, & eſſe incipiant boni, neque boni, niſi quatenus diuinis conſilijs circa ſibi in particulari prædeſtinata media conſequendæ bea-

2.2.q.52.art.4.ad 2.

S. Auguſt. in Pſal. 118. enar. 1.

dæ bea-

dæ beatitudinis acquiescant. Alijs enim medijs id assecuti sunt Confessores, alijs Virgines, alijs Martyres, alijs Apostoli, & Prophetæ: & inter Confessores non eadem in multis secuti sunt familiarum religiosarum Institutores, Benedictus, Franciscus, Dominicus, aut Ignatius; etiamsi omnes in vnum eumdemque finem vltimum tenderent, & conspirarent. Immo etiam inter vnius, eiusdemque instituti sectatores, si internas vniuscuiusque inspirationes videre possemus, quibus vir iustus, vt dicitur ab Ecclesiastico, *in absconditis suis consiliatur*, & à salmograho: *disponit ascensiones, in corde suo, in valle lachrymarum, in loco, quem posuit*, inueniremus non minorem in his, quam in externis corporum, & facierum lineamentis esse diuersitatem: vt merito proinde illud, quod de vno Abrahamo dicitur in libro Ecclesiastici, ab Ecclesia omnibus sanctis confessoribus peculiari modo tribuatur: *Non est inuentus similis illi, qui conseruaret legem Excelsi*. Non est igitur mirum, cùm talis sit, & per tot ambages tàm varius progressus creaturæ rationalis ad finem suum, si tantopere hoc dono S. Spiritus supra humana consilia nos dirigente, indigeamus.

Eccl. 39. 10. *Psal. 83. 7.* *Eccl. 44. 20.*

3 Iam verò vlterius exponendum sequitur, quod secundo loco proposuimus explicare, qua nam forma, vel ratione hæc diuina consilia piorum mentibus inspirentur. Est autem ea ratio duplex, vna extrinseca, & vniuersalis, altera intrinseca, & particularis; prima continetor in Euangelio, & Scripturis sacris, maximè noui testamenti, quod non parum in hac materia differt à veteri: fuit enim vetus testamentum lex timoris potius quàm amoris, ideo plurima in illo præcepta naturalia, moralia, ceremonialia, iudicialia; consilia verò pauca tradebantur. At nouum testamentum, quia lex est amoris, potius quàm timoris, præcepta continet admodum pauca; non alia, quam Decalogi naturalia, & positiua sacramentorum, consilia verò quàm plurima. Quæ quidem nec antea suaui Dei prouidentiæ visum est mundo manifestare, quàm ad nos Vnigenitus, qui est in sinu Patris, mitteretur, vt ea non solum verbo traderet, sed etiam opere in se ipso exprimeret perfectissimè. Hoc tamen ad donum Spiritus Sancti proprium vniuscuiusque iusti, & quasi passiuum non spectat, pertinet tamen ad actiuum, & vniuersale nostri capitis Christi Redemptoris, qui propterea ab Isaia admirabilis consiliarius, & secundum interpretes septuaginta, magni consilij Angelus est appellatus. Secunda forma, & ratio diuini consilij est illa, quæ vnicuique iustorum particulari-

Consilia sancti Spiritus duplici ratione nobiscommunicantur, & inspirãtur.

S. Thom. 1. 2. q. 108. ar. 2.

Isai. c. 9. 6.

ticulariter, & intrinsecus infunditur: & hoc est donum consilij, quod gratiam sanctificantem, virtutesque supernaturales comitatur ad infusæ prudentiæ adiumentum, & complementum.

Arist. 6. ethic. cap. 9. ἀβουλία

Sicut ad prudentiam acquisitam perficiendam, atque complendam, quædam virtus adiungitur, quæ à bono consilio eubulia nominatur. Quod si propterea quis obiecerit quemadmodum acquisitæ, sic etiam infusæ prudentiæ in statu perfecto virtutis suam esse solere adiunctam eubuliam, & ideo non videri aliud donum ad recta, vel pia ineunda consilia necessarium: cum S. Thoma respondebimus, per prudentiam, atque eubuliam, siue sit acquisita, siue infusa dirigi hominem in inquisitione consilij secundùm ea, quæ potest humana ratio comprehendere, sed quia in multis hæc deficit; neque enim valet comprehendere singularia contingentia, maximè quæ ad supernaturalem Dei prouidentiam spectant, & ad arcanum referuntur æternæ vniuscuiusque prædestinationis, vt merito dixerit in libro sapientiæ Salomon: *Quis hominum poterit scire consilium Dei, aut quis poterit cogitare, quid velit Deus? cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ nostræ:* Ideo indiget homo, ne in multis consilijs, & quidem de rebus grauioribus decipiatur, dirigi ab illo spiritu, qui omnia comprehendit, & scrutatur etiam profunda Dei, & à quo, qui aguntur, ij sunt filij Dei. Id autem Deus operatur in nobis hoc dono, cùm inspiratis ab ipso consilijs, & huius doni gratia libenter admissis, ad vltimum finem æternæ salutis per conuenientia, & ab eodem præordinata media dirigimur. Sicut etiam euenit in rebus humanis; nam qui sibi ipsis non sufficiunt in inquisitione consilij, à sapientioribus diriguntur. Non est autem hoc loco prætermittendum, ab aliquibus in ea perfectione hoc donum consilij obtineri, vt illo non tantùm is, qui accipit, verum etiam alij ad sanctitatem, & perfectionem promoueantur. Hoc verò non pertinet ad eius doni perfectionem, quam vocant intensiuam, sed potius extensiuam, & ad gratiam non tam gratum facientem, quàm gratis datam, & discretio spirituum ab Apostolo in prima epistola ad Corinthios appellatur. Ex quibus facile est intelligere quale sit huius doni non pro se tantùm emolumentum, & quanta necessitas; sed etiam pro alijs vtilitas, & in se ipso excellentia: de quo bene illud in sacris prouerbijs dictum accipiemus: *Vnguento, & varijs odoribus delectatur cor, & bonis amici consilijs anima dulcoratur.* Nam sicut vnguenta pretiosa, & odores suauiter olentes non solent communiter ad

S. Thom. 2. 2. q. 51. art. 1. & 2.

Sap. 9. 13.

2. Cor. 2. 10.

Ad Rom. 8. 14

1. Cor. 12. 10.

Prou. 27. 9.

necessi-

necessitatem, sed ad quamdam iucunditatem, & delitias adhiberi; aliquando tamen multùm ad vitæ conseruationem, conferunt, & ad arcenda pericula mortiferi languoris, sunt remedia præsentissima: vt vbi cogitur aliquis vitam degere in aëre pestilenti, vel cum hominibus morbo contagioso infectis conuersari. Sic inspirata hoc cælesti dono diuina consilia, quamuis ad salutem non vsque adeo necessaria, vt præcepta esse videantur: vbi tamen habenda sunt pro antidoto morborum animæ valde periculosorum, ad arcendas immundorum spirituum venenatas suggestiones, ad mundi præcipitia declinanda, quæ cùm homini non appareant manifesta, ad remedium non adigunt, nisi ex consilio, necessario tamen, si non necessitate præcepti, saltem necessitate medij ad salutem: quia iam præuidit Deus, si inspirato nobis ab ipso consilio non acquiescamus, in ea pericula nos infallibiliter esse casuros.

4 Superest iam tertium videamus, quo maximè tempore hoc donum, quod vnicuique iusto infusum per modum habitus in anima perseuerat, ad actum, & exercitium suum debeat reuocari. Dubitari autem non potest proprium, & maximè opportunum id esse tempus orationis: ita enim diuina scriptura nos docet, probat ratio, & confirmat experientia. De homine iusto, sic legimus in Ecclesiastico: *Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur, & in oratione confitebitur Domino, & ipso diriget consilium eius, & disciplinam, & in absconditis suis consiliabitur*. Id ipsum probat ratio fundata similiter in diuina scriptura asserente, sicut iam supra retulimus; *Vnguentis, & varijs odoribus delectari cor, & bonis amici consilijs animam dulcorari*. Quis autem nesciat ab amico tunc accipi solere consilia, cùm aliquis illum alloquitur, cum illo agit, & familiariter conuersatur: & quis cum Deo, nisi orando, & meditando tractat? vt propterea orationem definiant, esse colloquium, & sermocinationem cum Deo, & ascensum mentis à terrestribus ad cælestia, vt inquiramus, & audiamus, quid loquatur in nobis, quid velit, & requirat à nobis Dominus Deus. Propterea de populi Israelitici Duce, & Legislatore Moyse legimus in exodo, solitum illum ad montem se conferre, vt ibi oraculo diuino doceretur, quid facto opus esset in regimine tantæ sibi commissæ multitudinis. *Loquebatur autem*, inquit scriptura, *Dominus ad Moysem facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*. Eadem quoque ratione alij viri sancti, præsertim animarum pastores

Donum consilij ad actum reuocatur maximè in meditatione.

Eccl. 39. 6.

Prou. 27. 9.

Exodi. 24. 2.

Exodi. 33. 11.

pastores

pastores à Deo constituti, & religiosarum familiarum Patriarchæ, atque institutores prudentiam spiritus, & in rebus gerendis, altiora, quàm humana consilia, frequenti ad orationem recursu obtinuerunt. Quin etiam eorum aliqui lege sancitum pro tota religiosa familia voluerunt, vt in dubijs ad Deum identidem per orationem omnes confugerent: sicut humanis consilijs deficientibus pij quondam Israelitæ fecisse leguntur, illis vocibus

2.Paralip.20.12. Deo supplicantes: *cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, vt oculos nostros dirigamus ad te*. Et quia posset facilè contingere, vt etiam si quis ante Deum in genua deuolutus, pias ad eum preces fundere sibi videatur, & à Deo vicissim infundi sibi tale consilium falsò persuadeatur, hoc autē à Deo re vera non sit, sed à proprio spiritu; ideo quasdam regulas bonæ sanctæque electionis illi ipsi sancti, & à Deo illuminatissi-

B.Ignatius in exerc.2.hebd. mi viri nobis reliquerunt. Prima est: vt puro, & simplici mentis oculo antea spectemus quorsum fuerimus à Deo creati, nempe ad maiorem eius gloriam, & æternam animæ nostræ salutem in omnibus procurandam; quia cùm consilia non sint de fine, sed de medijs aptis ad consequendum finem, malum erit, & à malo, non à bono spiritu consilium, quod obesse potius, quam prodesse, aut conferre quidquam appareat ad hunc finem. Quare ne præpostera, & peruersa sit electio, minusque sanum consilium, valde obseruandum est, ne medijs propter solum finem appetendis, aliquid aliud præter ipsum finem, vel etiam contra ipsum, fucatam, ac fallacem tribuat appetibilitatem. Secunda regula poterit esse, quia propter inordinatum affectum erga nosipsos, vix habere possumus circa propria iudicium incorruptum, vt causam nostram, & consilium nobis inspiratum in alium transferamus, considerando, si quis vir mihi amicissimus, cui nihil non perfectionis inesse cupiam occurreret dubius super huiusmodi electione, vtrum hoc illi consilium, non aliud esse suscipiendum suaderem: quo animaduerso, agendum mihi quoque erit, sicut alteri suasissem. Tertia regula erit, proponere sibi ante mentis oculos personam, quam nouimus prudentissimam, vitæ integerrimæ, & moribus probatissimis; aut alium quem in hac vita non nouimus, certò tamen scimus magnæ fuisse perfectionis, & sanctitatis: tum omni humano affectu deposito erga rem illam, de qua consultamus, attendere vtrum ille vir optimus, & sapientissimus id consilij ea de re suscepisset. Quod si aliud illo relicto magis probaret, nobis quoque idem faciendum, nisi decipi velimus persuadeamus. Quarta regula,

secum

secum ipse reputare, si mors instaret, quem modum in tali deliberatione mallem obseruasse: iuxta hunc igitur animi sensum, consilium erit admittendum. Quintò denique prouida mente prospiciendum esset, quando ante Dei tribunal sistar iudicandus, rationem de omnibus meis operibus redditurus, quo me consilio vsum esse in hac re voluissem; eoque agnito, & bene intellecto vtar nunc animo tranquillo, & pro eo tempore securiori. Hæc si homines in consilijs ineundis, præsertim magni momenti, & ad lucra, vel detrimenta spiritualia pertinentibus diligenter obseruarent, non tam multos sera, & inutilis argueret pœnitentia, eorum etiam, quæ cum aliquo gesta consilio videbantur: quia non erat dono sancti Spiritus immissa deliberatio, sed quædam fortuita, vel humana, & fallax incertæ prouidentiæ nostræ persuasio. Quòd si nobis obiecerit quispiam ea, quæ paulò superius dicebamus, pertinere videlicet ad dona sancti Spiritus, vt illis agamur potius, quam agamus, & qui Spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei, & quod alibi idem Apostolus ait: *Deus est, qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate:* nos autem videmur inspirata diuinitus consilia, ad regulas humanæ prudentiæ, & ad quasdam nostras industrias reuocare. Ad hæc ita respondemus, aliud esse diuina consilia secundum se humano iudicio, & regulis contractæ prudentiæ nostræ velle metiri, quod fieri non debet: *nunquid enim*, ait Iob, *consilium Dei audisti? & inferior te erit eius sapientia?* Aliud verò est ipsa humana consilia orta à proprio spiritu per prudentiæ regulas explorare, ne nos decipiant, & veluti essent in nobis dono sancti Spiritus excitata recipiantur. *Non te itaque fallant*, inquit sanctus Augustinus in libro de correctione, & gratia, *qui dicunt, vt quid nobis prædicatur, atque præcipitur, vt declinemus à malo, & faciamus bonum, si hoc nos non agimus, sed id velle, & operari Deus operatur in nobis: sed potius intelligant, si filij Dei sunt, spiritu Dei se agi, vt quod agendum est agant, & cùm egerint, illi, à quo aguntur, gratias agant: aguntur enim, vt agant, non vt ipsi nihil agant. Et ad hoc illis ostenditur, quid agere debeant; vt quando id agunt, sicut agendum est, idest cum dilectione, & delectatione iustitiæ, suauitatem, quam dedit Dominus, vt terra eius daret fructum suum accepisse se gaudeant. Quando autem non agunt, siue omnino non faciendo, siue non ex charitate faciendo, orent, vt quod non dum habent accipiant.* Hæc sanctus Augustinus. Sed iam à Dono Consilij ad Donum Scientiæ transeamus.

Ad Rom. 8. 14.
Ad Philip. 2. 13.
Iob. 15. 8.
S. Aug. lib. de corr. & gratia cap 2.

Massut. de cœlesti conuersat. T CAPVT

paſtores à Deo conſtituti, & religioſarum familiarum Patriarchæ, atque inſtitutores prudentiam ſpiritus, & in rebus gerendis, altiora, quàm humana conſilia, frequenti ad orationem recurſu obtinuerunt. Quin etiam eorum aliqui lege ſancitum pro tota religioſa familia voluerunt, vt in dubijs ad Deum identidem per orationem omnes confugerent: ſicut humanis conſilijs deficientibus pij quondam Iſraelitæ feciſſe leguntur, illis vocibus

2. Paralip. 20. 12. Deo ſupplicantes: *cum ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te*. Et quia poſſet facilè contingere, vt etiam ſi quis ante Deum in genua deuolutus, pias ad eum preces fundere ſibi videatur, & à Deo viciſſim infundi ſibi tale conſilium falsò perſuadeatur, hoc autē à Deo re vera non ſit, ſed à proprio ſpiritu; ideo quaſdam regulas bonæ ſanctæque electionis illi ipſi ſancti, & à Deo illuminatiſſimi viri nobis reliquerunt. Prima eſt: vt puro, & ſimplici mentis oculo antea ſpectemus quorſum fuerimus à Deo creati, nempe ad maiorem eius gloriam, & æternam animæ noſtræ ſalutem in omnibus procurandam; quia cùm conſilia non ſint de fine, ſed de medijs aptis ad conſequendum finem, malum erit, & à malo, non à bono ſpiritu conſilium, quod obeſſe potius, quam prodeſſe, aut conferre quidquam appareat ad hunc finem. Quare ne præpoſtera, & peruerſa ſit electio, minuſque ſanum conſilium, valde obſeruandum eſt, ne medijs propter ſolum finem appetendis, aliquid aliud præter ipſum finem, vel etiam contra ipſum, fucatam, ac fallacem tribuat appetibilitatem. Secunda regula poterit eſſe, quia propter inordinatum affectum erga nos ipſos, vix habere poſſumus circa propria iudicium incorruptum, vt cauſam noſtram, & conſilium nobis inſpiratum in alium transferamus, conſiderando, ſi quis vir mihi amiciſſimus, cui nihil non perfectionis ineſſe cupiam occurreret dubius ſuper huiuſmodi electione, vtrum hoc illi conſilium, non aliud eſſe ſuſcipiendum ſuaderem: quo animaduerſo, agendum mihi quoque erit, ſicut alteri ſuaſiſſem. Tertia regula erit, proponere ſibi ante mentis oculos perſonam, quam nouimus prudentiſſimam, vitæ integerrimæ, & moribus probatiſſimis; aut alium quem in hac vita non nouimus, certò tamen ſcimus magnæ fuiſſe perfectionis, & ſanctitatis: tum omni humano affectu depoſito erga rem illam, de qua conſultamus, attendere vtrum ille vir optimus, & ſapientiſſimus id conſilij ea de re ſuſcepiſſet. Quod ſi aliud illo relicto magis probaret, nobis quoque idem faciendum, niſi decipi velimus perſuadeamus. Quarta regula, ſecum

B. Ignatius in exerc. 2. hebd.

secum ipse reputare, si mors instaret, quem modum in tali deliberatione mallem obseruasse: iuxta hunc igitur animi sensum, consilium erit admittendum. Quintò denique prouida mente prospiciendum esset, quando ante Dei tribunal sistar iudicandus, rationem de omnibus meis operibus redditurus, quo me consilio vsum esse in hac re voluissem; eoque agnito, & bene intellecto vtar nunc animo tranquillo, & pro eo tempore securiori. Hæc si homines in consilijs ineundis, præsertim magni momenti, & ad lucra, vel detrimenta spiritualia pertinentibus diligenter obseruarent, non tam multos sera, & inutilis argueret pœnitentia, eorum etiam, quæ cum aliquo gesta consilio videbantur: quia non erat dono sancti Spiritus immissa deliberatio, sed quædam fortuita, vel humana, & fallax incertæ prouidentiæ nostræ persuasio. Quòd si nobis obiecerit quispiam ea, quæ paulò superius dicebamus, pertinere videlicet ad dona sancti Spiritus, vt illis agamur potius, quam agamus, & qui Spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei, & quod alibi idem Apostolus ait: *Deus est, qui operatur in vobis, & velle, & perficere pro bona voluntate:* nos autem videmur inspirata diuinitus consilia, ad regulas humanæ prudentiæ, & ad quasdam nostras industrias reuocare. Ad hæc ita respondemus, aliud esse diuina consilia secundum se humano iudicio, & regulis contractæ prudentiæ nostræ velle metiri, quod fieri non debet: *nunquid enim*, ait Iob, *consilium Dei audisti? & inferior te erit eius sapientia?* Aliud verò est ipsa humana consilia orta à proprio spiritu per prudentiæ regulas explorare, ne nos decipiant, & veluti essent in nobis dono sancti Spiritus excitata recipiantur. *Non te itaque fallant*, inquit sanctus Augustinus in libro de correctione, & gratia, *qui dicunt, vt quid nobis prædicatur, atque præcipitur, vt declinemus à malo, & faciamus bonum, si hoc nos non agimus, sed id velle, & operari Deus operatur in nobis: sed potius intelligant, si filij Dei sunt, spiritu Dei se agi, vt quod agendum est agant, & cùm egerint, illi, à quo aguntur, gratias agant: aguntur enim, vt agant, non vt ipsi nihil agant. Et ad hoc illis ostenditur, quid agere debeant; vt quando id agunt, sicut agendum est, idest cum dilectione, & delectatione iustitiæ, suauitatem, quam dedit Dominus, vt terra eius daret fructum suum accepisse se gaudeant. Quando autem non agunt, siue omnino non faciendo, siue non ex charitate faciendo, orent, vt quod non dum habent accipiant.* Hæc sanctus Augustinus. Sed iam à Dono Consilij ad Donum Scientiæ transeamus.

Ad Rom. 8. 14.
Ad Philip. 2. 13.
Iob. 15. 8.
S. Aug. lib. de corr. & gratia cap 2.

CAPVT SEXTVM.

Qua ratione donum scientiæ nos illuminet in meditatione.

1 QVARTVM inter dona sancti Spiritus, & quintum, atque vltimum lumen supernaturale, quo noster intellectus in meditatione solet adiuuari, ponitur esse scientia. De hac erunt nobis in præsenti capite tria potissimum explicanda. Primum, quid nomine huius scientiæ intelligere debeamus. Secundò qua ratione ab humana, & naturali scientia discernatur. Tertiò praxis, & vsus huius doni pro tempore meditationis.

In quo consistat donum scientiæ.

2 A primo igitur incipiendo, nomen scientiæ latè sumptum, quamcunque notitiam intellectus potest significare: & iuxta talem huius vocis acceptionem ab alijs donis intellectus scientia non distinguetur: nam etiam aliqua, immo multa, & sublimia facit nos scire sapientia, & donum intellectus facit nos scire mysteria fidei penetrare, & consilium pia inire consilia, & virtus fidei scire, quæ credere debeamus: quin etiam opiniones, artesque tum liberales, tum illiberales, scientiæ in hac significatione dici possent. Secundò sumitur nomen scientiæ contractius pro notitia perfectiori, quæ est certa rei cognitio secundum propriam causam, vel in ipsa causa, cum qua necessariò est connexa. Et hæc si per altissimas causas habeatur vsque ad supremam, & increatam, sapientia, si per secundas, & creatas, scientia, iuxta doctrinam sancti Augustini, nominatur. Nam aliquam esse inter hæc duo differentiam, ex illis Apostoli verbis sanctus hic Doctor bene colligit: *alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ: alij autem datur sermo scientiæ secundum eundem Spiritum*. Pertinere vero sapientiam ad æterna, & diuina, scientiam ad temporalia, & humana, ex alio quodam S. Iob testimonio, idem ipse collegit; quod Septuaginta interpretes ita reddiderunt: *Ecce pietas, idest Dei cultus, ipsa est sapientia, abstinere autem à malis, ipsa est scientia. De æternis igitur*, ait sanctus Augustinus, *est sapientia, & quid est in æternis*

S. Aug. lib. 14. de Trin. c. 1.

1. Cor. 12. 8.

Iob. 28. 28.

S. Aug. l. 12. de Trin. c. 14.

æternis excellentius, quam Deus? cuius ſolius immutabilis eſt natura? Abſtinere autem à malis, quam ſcientiam Iob dixit eſſe, rerum procul dubio temporalium eſt, quoniam ſecundùm tempus in malis ſumus, à quibus abſtinere debemus, vt ad illa bona æterna veniamus. Quòd ſi quis adhuc præter Iob, & Apoſtoli teſtimonium, quærat vlterius diſtinctionis ſapientiæ, & ſcientiæ, tum in re, tum in appellatione alias rationes, tres poſſumus aſſignare. Prima eſt, nomen ſcientiæ, vt ſupra dicebamus, valde latè patere, ideo fuiſſe relictum, vt ſæpe fit ad ſignificandam ſpeciem notitiæ inferioris, inuento proprio nomine ſapientiæ pro ſpecie altiori. Hac ratione generico nomine animalis bruta ſignificamus, ſpeciem autem nobiliſſimam animalium proprio nomine hominem appellamus: & Angeli nomen, quod omnibus ſupernis ſpiritibus poteſt eſſe commune, infimo ordini ſpecialiter attribuitur, octo tamen ordines altiores proprijs appellationibus Cherubin, Seraphin vſque ad Archangelos ſignificamus. Secundò quia ſapientia iuxta ſanctum Bernardum, & alios, quaſi ſapida ſcientia eſt dicta: hic autem ſapor in cognitione rerum æternarum, atque ſublimium, & maximè perfectionum diuinarum inuenitur, potius quàm in inſipida ſcientia rerum tranſeuntium, & caducarum. Quare ſanctus Auguſtinus conferens octo beatitudines, quas ad ſeptem cenſet poſſe reuocari, cum ſeptem donis ſancti Spiritus, tamquam cum ſingulis arboribus ſuos fructus, primo dono ſancti Spiritus, nempe ſapientiæ, poſtremam vult reſpondere beatitudinem, qua dicitur: *Beati pacifici, quon am filij Dei vocabuntur;* hac enim placidiſſima pace per contemplationem rerum diuinarum ſapientiæ dono iuſti perfruuntur. Dono verò ſcientiæ tertiam facit reſpondere beatitudinem: *Beati qui lugent. Quoniam qui addit ſcientiam*, ſicut dixit Eccleſiaſtes, *addit & dolorem*. Quis enim non doleat, quis non lugeat mundi miſerias bene cognoſcens, & tot mala conſiderans, quæ inſunt creaturis, & quot inde nobis pericula, etiam ex ijs, quæ videntur bona, quot diſpendia, quot grauia damna proueniunt? Tertiò adeo coniunctus eſt ſapor huic notitiæ rerum diuinarum, quæ ob id ſapientia nominatur, vt interdum nomine dilectionis Dei à Salomone ſignificetur, cùm ait: *dilectio Dei bonorabilis ſapientia*. Quod reſpiciens ſanctus Auguſtinus in quadam epiſtola ad Honoratum. *Sapientia*, inquit, *eſt charitas Dei, quæ diffunditur in cordibus noſtris, per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis*. Nam Deum, & perfectio-

S. Aug. l. 2. de ſerm. Domini in monte c. 9.

Eccl. 1. 18. ſecundum 70. Interpretes.

Eccl. 1. 14.

S. Auguſt. ep. 120. c. 18.

nes eius agnoſcere, & non amare, magna profectò inſipientia eſt; cùm ea, quæ ſupra nos ſunt melius amentur, quàm cognoſcantur, immo fruſtra cognoſcuntur, ſi non amantur: ſicut ea, quæ ſunt infra nos melius cognoſcuntur, quam amentur; immo male cognoſcuntur, ſi non pleraque odio habeantur, & ſupernis comparata, forti animo deſpiciantur. Conſiſtit igitur hoc ſcientiæ donum in quodam lumine ſupernaturali noſtri intellectus, iudicium inclinante ad res humanas, & creatas non pluris faciendas, quàm in ſe ſint, & ex ſe mereantur. Atque hæc eſt illa eminens ſcientia, de qua ſcripſit ad Philippenſes Apoſtolus: *Veruntamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam*. Hæc eſt ſcientia ſanctorum, qua ſic ipſi nouerunt tranſire per bona, & mala temporalia, per proſpera, & aduerſa, vt nihil propter illa deflectant à ſemita rectiſſima regni cœleſtis. Ideo de vno tali dicitur à Salomone in libro Sapientiæ: *Iuſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi Regnum Dei, & dedit illi ſcientiam ſanctorum*. Quamuis autem humanæ, & naturales ſcientiæ ſuis conſtent ratiocinationibus, & diſcurſibus, hæc tamen dono infuſa ſancti Spiritus non eſt propriè diſcurſiua, ſicut neque donum ſapientiæ, & intellectus: ſed eſt lux quædam mentis, & notitia abſoluta, & ſimplex, ſimilis quodammodo diuinæ ſcientiæ, cuius hæc aliqua videtur eſſe participatio, continens in vno ſimplici intuitu iudicium verùm, clarum, & rectum de rebus creatis, de omnimoda illarum ab omnium Creatore dependentia, de inſufficientia earundem ad explendum cor noſtrum, de nihilo, quod habent ex ſe, de ſingularum fuco, inanitate, & vanitate. Dupliciter autem ditari à Deo ſolet huiuſmodi ſcientiæ dono humanus intellectus; vel in bonum proprium habentis, vel in bonum, & vtilitatem ſpiritualem aliorum, quibus per ſermonem, ſicut ſapientia, communicatur. Primo itaque modo ad genus gratiæ gratum facientis ſcientia reuocatur: ſecundo verò modo inter gratias gratis datas ab Apoſtolo connumeratur, vbi ait: *Alij quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ: alij autem ſermo ſcientiæ*; & propterea non dixit datur ſapientia, datur ſcientia, ſed ſermo ſapientiæ, & ſcientiæ, quia ſolius Dei eſt ſcientiam, & ſapientiam interius impertiri: homo autem alteri homini, non niſi ſuadendo exterius per ſermonem. Iam igitur conſtat de hoc

Ad Philip. 3. 8.

Sap. 10. 10.

S. Thom. 2. 2. q. 9. art. 1. ad 1.

1. Cor. 12. 8.

de hoc ſcientiæ dono, in quo conſiſtat, cur tali nomine appelletur, qua ratione conferat ad habentis perfectionem, & ad aliorum ſpiritualem vtilitatem, ac ædificationem extendatur.

3 Sequitur ſecundo loco videamus, quomodo hæc ſanctorum ſcientia, & ſupernaturalis, à naturali, & profana diſtinguatur, ac diſcernatur. Et quamuis id ex iam dictis colligi aliqua ratione poſſe videatur, tamen ex amborum effectibus valde inter ſe diuerſis, & ex ſingularum modo vario procedendi melius intelligetur. Et quidem ſi materia circa quam vtraque hæc ſcientia tum ſpiritualis, tum ſæcularis occupatur in vniuerſum conſideretur, vix vna poterit ab altera benè diſcerni: ambæ ſiquidem, & mundum, & quæ in mundo ſunt contemplantur; & ſæpe ſcioli mundi huius, vt curioſius, ita etiam attentius, & ſtudioſius naturæ opera examinant, atque diſquirunt, quam intenti rebus inuiſibilibus, & æternis viri ſpirituales: vt non tam de iſtis, quàm de illis dictum fuerit ab Eccleſiaſte: *Et mundum tradidit diſputationi eorum, vt non inueniat homo opus, quod operatus eſt Deus ab initio vſque ad finem. Fuiſſe enim nouimus,* ait ſanctus Bernardus; *ab initio, & adhuc multos eſſe videmus de filijs hominum, qui in bonis inferioribus ſenſibilis huius mundi tota ſenſualitate depreſſi totos ſe dederunt ijs, quæ facta ſunt, quonam modo, vel ad quid facta ſunt negligentes. Ipſi quidem ſeſe philoſophos vocant, ſed à nobis curioſi, & vani rectius appellantur.* Eſt igitur prima inter duas iſtas ſcientias differentia, quia mundana reddit hominem ſuperbum, ambitioſum, arrogantem, ſibi nimirum placentem, alios verò facile contemnentem. At ſcientia Sanctorum dono ſancti Spiritus obtenta eos reddit quotidie magis humiles, modeſtos, manſuetos, ſui non aliorum contemptores: quod paucis expreſſit Apoſtolus, vbi dixit: *Scientia inflat, charitas verò ædificat:* ideſt iuxta vocabuli vim, & proprietatem, mundana ſcientia, & quæ à charitate ſeiungitur reddit homines inflatos, tumentes, & quaſi folles vento diſtentos; ſanctorum autem, de qua loquimur ſcientia, quæ donum cum ſit inhabitantis animam Spiritus ſancti, non poteſt eſſe ſine charitate, in ſui primum, deinde etiam in aliorum ſpirituale ſemper proficit emolumentum. Quare ſicut apes in horto virenti per varios flores volitantes partim ceram, partim mella intra ſe congerunt, & inde ſuas illas domunculas exædificant pretioſo liquore complentes: contra verò in eodem horto, & per eaſdem plantas, & frondes reptantes aranei, ſuccum inde imbibunt venenoſum, quem dum ſeipſos euiſcerando ex-

Sacra hæc ſciētia quomodo diſtinguatur à profana, & merè naturali.

Eccl. 3. 11.

S. Bern. ſer. 3. in pentec.

1. Cor. 8. 2.

φυσιοῖ. inflat.

trahunt, & in tenuissima fila producunt, solum ad capiendas muscas telam efficiunt: ita mundana scientia repleti, & turgidi, quam ex horto creaturarum auidè magis, quàm prouidè collegerunt, dum eam proferre, & ostentare laboriosè nituntur, nihil aliud, quam muscas aliquas captare videntur famæ volatilis, vani honoris, fluxæ gloriolæ, & alicuius transitoriæ dignitatis. At viri iusti sanctorum scientia repleti, & spiritualiter refecti, sua inde mellis, idest dulcis, vtilisque doctrinæ salutifera conficiunt aluearia, quibus tum ipsi, tum alij plurimum adiuuentur, & mirificè recreentur. Secundò non solùm reddit mundana scientia hominem tumidum, atque superbum, sed etiam, quod inde facile sequitur, perpetuò anxium, & inquietum. Habet enim sibi male persuasum, qui talis est minus fieri, quàm ipse mereatur, nec vnquam desunt aliqua ex ijs, quæ tanto studio contemplatur, ad quæ affectu inordinato feratur, aut etiam rapiatur, quæ tamen nunquam assequi permittetur. Si verò ex his aliqua consequatur, sic illi agglutinatur, & adhærescit, vt cùm instabiles maximè sint res humanæ, siue timor eas amittendi, siue necessitas dimittendi, semper torqueat, semper excruciet: *miser est itaque omnis animus*, ait sanctus Augustinus; *vinctus amicitia rerum mortalium, & dilaniatur cum eas amittit*. At verò casta sanctorum scientia reddit illos quietissimos, & pacatissimos: norunt enim per illam, quid tandem sint omnia creata Creatori suo comparata, non propter aliud condita, nisi vt ad ei melius seruiendum nos iuuent, ad illum magis amandum, laudandum, & exaltandum excitent, atque inuitent: norunt non tàm illis, quàm Deo delectari in illis, & cum Dauide dicere; *Quia delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Quam magnificata sunt opera tua Domine? nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ. Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc*. Sciunt ipsi, nam optimè persuasi didicerunt à sapientissimo, & maximè omnium mortalium in hac materia experto Salomone, nihil veri solatij esse in creaturis absque eo, quod in Creatore quæritur, & inuenitur; cæterum *vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Quid habet amplius homo de vniuerso labore suo, quo laborat sub Sole. Generatio præterit, generatio aduenit, terra autem in æternum stat. Vidi cuncta, quæ fiunt sub Sole, & ecce vniuersa vanitas, & afflictio spiritus*. Tertiò solet scientia sæcularis esse inuida, sanctorum autem charitate plena: cùm enim mundana scientia repleat hominem cæco

S. Aug. lib. 4. confess. c. 6. — *Psal. 91. 4.* — *Eccles. 1. 2.*

amore

amore sui, & nimio, atque inordinato quodam affectu creaturarum, harum autem valde modica sit, & perangusta possessio, zelus necesse est excitetur amarus inuidentiæ, & liuoris, dum alter alteri semper apparet aliquid de honoribus, voluptatibus, lucris, & commodis cum alterius detrimento, siue incommodo præripuisse. At scientia sanctorum cor purgat, & liberat ab amore creaturarum, dum illuminatæ menti constare perspicuè facit, quàm modica, & penè nulla sint, quæ in illis apparent bona; quàm fucata, quàm fugacia, quàm fallacia: atque ita sensim disponit, & inuitat ad veri, & summi boni notitiam altiorem, atque amabiliorem; quæ cælestis est sapientia, & primum è septem donis Sancti Spiritus iam antea explicatum.

Quomodo hæc scientia ad actum in meditatione reuocetur.

4 Tertium, quod exponere proposuimus est praxis, & exercitium huius doni scientiæ inter meditandum: pro qua re oporteret ea recolere, quæ fusius antea dicta fuerunt de tribus libris copiosam materiam meditandi suppeditantibus, quorum primum posuimus esse librum creaturarum, ad cuius salutarem, & perfectam intelligentiam maximè conferre donum scientiæ, tanquam proprium huius libri, ibi etiam dicebamus, addentes perfectorum esse huiusmodi contemplationem, qui affectibus bene purgatis, accedente quoque in gradu altiori dono sapientiæ, à creaturis, *quæ*, vt Salomon ait, *in tentationem factæ sunt animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium*, expeditè nouerunt gradum sibi facere, & scalam ascensus mentis ad Creatorem. Exempla quoque variæ exercitationis in hac materia tum pro dono sapientiæ, tum scientiæ ibi sunt posita. Sed duo adhuc visa sunt hoc loco superaddenda, primum ex sancto Bernardo: hæc omnia copiosè in quodam Sermone de Spiritu sancto pertractante. *Tria*, inquit, *in magno huius mundi opere cogitare debemus, videlicet quid sit, quomodo sit, ad quid sit constitutus, & in esse quidem inextimabilis potentia commendatur: quod tam multa, tam magna, tam multipliciter, tam magnificè sint creata: sanè in modo ipso sapientia singularis elucet, quod hæc quidem sursum, hæc verò deorsum, hæc in medio ordinatissimè sunt collocata. Si verò ad quid factus sit mediteris, occurrit tam vtilis benignitas, tam benigna vtilitas, quæ etiam ingratissimos quosque multitudine, & magnitudine beneficiorum possit obruere: potentissimè siquidem ex nihilo omnia, sapientissimè pulchra, benignissimè vtilia sunt creata.* Postea verò quàm inuectus est sanctus Bernardus in vanos philosophos, qui hæc nesciunt vtiliter contemplari, & in homines voluptuosos, quibus

Sap. 14. 11.

S. Bern. ser. 3. de penit.

in muſcipulam creaturæ Dei factæ ſunt, addit qui nam ſint pij contemplatiui, ex hoc libro creaturarum ſecundum ſcientiam ſpiritus legentes, & bene proficientes: *hi ſunt,* inquit, *viri ſpirituales, ſic vtentes hoc mundo, tamquam non vtentes, ſed in ſimplicitate cordis ſui quærentes Deum. Gaudeo vos eſſe de hac ſchola, de ſchola videlicet ſpiritus, vbi bonitatem, & diſciplinam, &*
Pſal. 118. 22. *ſcientiam diſcatis, & dicatis cum ſancto: ſuper omnes docentes me intellexi, quia teſtimonia tua exquiſiui.* Alterum etiam hic ſuperaddendum eſt: Quæ in creaturis vtiliter conſideranda poſſunt occurrere in duplici eſſe differentia, vel enim ſunt earum perfectiones, & varij generis multiplicia bona à bonitate, & perfectionibus Creatoris deriuata, quæ proinde in ipſum refundere, & inde ad ipſum impenſius amandum excitari deberemus: vel ſunt omnis generis miſeriæ, imperfectiones multiplices, & mala propè innumerabilia, ex quibus bene perſpectis reddimur
Ioann. 1. 2. 15. ſolertes, & cauti, ne mundum, nec ea, quæ ſunt in mundo diligamus. Satius itaque fuerit incipientibus, minuſque perfectis exercitio doni ſcientiæ, ea quæ ſunt huius ſecundi ordinis circa creaturas perueſtigare, vt tres illos capitaliſſimos hoſtes bene cognitos habeamus, & digno odio proſequamur Dæmonem, Mundum, & carnem; primum maligniſſimum, ſecundum vaniſſimum, tertium viliſſimum, omnes nocentiſſimos. Dæmonis malignitas inde poterit deprehendi, quia nocet ex odio maximè inueterato, nocet ſine vllo proprio emolumento, ſed potius cum detrimento, afflictionis augmento, & pœnarum ſuarum incremento, nocet modis exquiſitiſſimis tygride crudelior, aſpide venenoſior, Leone, ac Dracone immanior, & truculentior. Nam propterea monſtris huiuſmodi ſæpe in diuina ſcriptura Dæmones aſsimilantur. Mundi autem multiplicem vanitatem, non habuit Salomon, qua ſufficienti ratione declararet, niſi multis ea de re congeſtis ſimilitudinibus. Itaque
Sap. 5. 9. in vno ſolo capite libri Sapientiæ comparat illam vmbræ, quæ non niſi lucis defectus, ac tenuiſsima priuatio eſt: nuncio vix apparenti, & ſine mora percurrenti: naui fluctus maris celeriter ſecanti, nec veſtigium, nec ſemitam carinæ relinquenti: aui tranſuolanti nullo itineris argumento, præter ſonitum alarum leuem aërem verberantium derelicto: ſagittæ ad ſcopum excuſſæ, qua diuiſus aër in ſe nullo notato ſigno ſtatim recluſus eſt: lanugini, quæ à vento tollitur: ſpumæ gracili, quæ à procella diſpergitur: caligini, & fumo hàc illàc repentè diſſipato, & diſperſo; denique memoriæ hoſpitis vnius

dici

diei prætereuntis, qui alijs superuenientibus non solùm ab hominum oculis, sed etiam à mente, & cogitatione disparuit. Quod si quis præter tot conuenientissimas similitudines, adhuc aliquas siue descriptiones, siue definitiones eorum, quæ in mundo sunt audire desideraret, habet breuiter illas congestas à sancto Gregorio Nazianzeno his verbis. *Insidiæ sunt opes, sublimiumque thronorum, & dignitatum fastus mera sunt insomnia; imperio alterius subesse graue, ac molestum; paupertas pedica, pulchritudo breuis, atque fulgetri similis: iuuentus, nihil aliud, quàm feruor temporis; canities, tristis vitæ occasus: gloria aër: nobilitas, sanguis vetus: robur, cum apris commune: satietas petulans: matrimonium vincula: liberorum copia, curæ necessariæ: orbitas, incurabilis ægritudo: forum vitiorum schola: quies imbecillitas: artes, abiectorum hominum: angustus alienus panis: agricultura labor: nauigantium maior pars in Orco: patria proprium barathrum: externa regio probrum.* Vilitatem denique carnis agnoscere facile poterimus, ne eadem in argumento tam abiecto repetamus, ex ijs, quæ antea in mystico libro conscientiæ circa primam, & secundam eius paginam exposuimus: solum addam S. Hieronymi testimonium satis in hac adeo male olenti materia moderatum, circa illa verba Psalmi: *mane sicut herba transeat, vespere decidat, induret, & arescat. Sicut enim,* inquit, *mane virens herba, & suis floribus vernans delectat oculos contemplantium, paulatimque marcescens amittit pulchritudinem, & in fænum, quod conterendum est vertitur: ita omnis species hominum vernat in paruulis, floret in iuuenibus viget in perfectæ ætatis viris: & repente dum nescit incanescit caput, rugatur facies, cutis prius extenta contrahitur, & extremo fine, quod dicitur vespere, idest senectute vix moueri potest; ita vt non cognoscatur, quis prior fuerit, sed penè in alium commutatur: ac denique succidimur repente, & auolamus.* Et vbi nam sunt, canebat vir quidam sanctus simplici suo stylo, sed hac cælesti scientia pleno: *Vbi nam sunt tot clari proceres, tot ora præsulum, tot membra fortia, tot mundi principes, tot rerum spatia, tanta potentia? in ictu oculi clauduntur omnia: ò esca vermium, ò massa pulueris.*

Nazianz. in tract. de vita itiner.

Lib. 2. c. 3. S. 2. & 3.

S. Hieron. in Psal. 89.

B. Iacoponus in suis cantion. italicis.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

Qua ratione donum fortitudinis nos accedat in meditatione.

Tria tractanda de dono fortitudinis, in quo consistat, qui sint eius gradus, & quomodo in meditatione actuentur.

1 HACTENVS de quatuor donis S. Spiritus intellectum nostrum in meditatione illustrãtibus dictum est, sequitur iam vt de reliquis tribus affectum accendentibus eàdem ratione differamus: & primùm de dono fortitudinis, de qno tria erunt exponenda, primum, in quo propriè consistat: secundò qui nam sint præcipui gradus huius fortitudinis, tertiò quomodo inter meditandum hoc dono animari, & accendi debeamus. Antequam autem hæc omnia explicentur, aliqua in communi supponemus ad horum donorum pleniorem intelligentiam. Primùm hæc septem dona S. Spiritus respondere quodammodo septem illis primis diebus, quibus à Deo conditum, ornatum, atque perfectum fuit hoc spectabile vniuersum: respondere etiam aliquo modo septem Ecclesiæ Christi Sacramentis, quibus opus nostræ redemptionis secundum suam virtutem, & efficaciam in iustis, & electis applicatione quotidiana completur. Nam quamadmodum primo illo dierum septenario, quod iuxta diuinarum personarum proprietates tribuitur Patri, declarata est Dei omnipotentia eductiua per creationem ex nihilo tot mirabilium creaturarum: secundò verò sacramentorũ septenario, quod adscribitur Filio, declarata est Dei sapientia, quæ nouit elicere à peccati nihilo, tamquam à profundiori abysso bona inæstimabilia ordinis longe altioris; *vt vbi abundauit delictum superabundaret, & gratia*, quæ tamquam ex septem fontibus indeficientibus copiosissimè in homines redundaret: ita hoc tertio donorum septenario, quod peculiari, & propria quadam ratione tribuitur Spiritui sancto, immensa Dei bonitas manifestatur; dum anima nostra quasi quidam paruus, & intelligibilis mundus, à Spiritu Creatore in sanctitate, & iustitia per gratiam regeneratur, virtutum firmamento stabilitur, & munere septiformi, quasi totidem planetis cælestibus exornatur.

Septem dona S. Spiritus respondet 7. sacramentis, & 7. mundi diebus.

Ad Roman. 5. 10.

Septem dona S. Sipiritus significata per

2 Secundo præsupponere etiam oportet hæc dona S. Spiritus mysticè fuisse significata per septem filios Iob, de quibus diuina

uina scriptura ait: natique sunt ei septem filij, & tres filiæ. *Quia,* inquit S. Gregorius, *cùm per aduentum Spiritus sancti sapientia, intellectus, consilium, fortitudo, scientia, pietas, & timor Domini in animo vnicuique nostrum gignitur, quasi mansura posteritas in mente propagatur. Quæ supernæ nostræ nobilitatis genus eò ad vitam longius seruat, quò amori æternitatis sociat: sed habent in nobis septem filij tres sorores suas, quia quidquid virile hi virtutum sensus faciunt, spei, fidei, charitatique coniungunt. Neque enim ad denarij perfectionē septem filij perueniunt, nisi in fide, spe, & charitate fuerit omne, quod agunt.* Adduntur verò in sacra Iob historia quinque non parum ad rem nostram facientia. Primùm solitos omnes septem filios Iob per dies singulos conuiuium in die sua celebrare. Secundò vnusquisque in die conuiuij sui ad se fratres alios inuitabat. Tertiò mittentes vocabant tres sorores suas, vt commederent, & biberent cum eis. Quartò cumque in orbem transissent dies conuiuij, mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos, consurgensque diluculo offerebat holocaustum pro singulis. Additur quintò fuisse Iob magnum inter omnes orientales, crescentibus quotidie magis eius facultatibus, & diuitijs. Quæ omnia S. Gregorius sic ad rem nostram moraliter interpretatur: primùm singuli septē filij in die sua conuiuium celebrant, quia singula hæc dona suo particulari modo mentem illuminant, & spirituali contemplationis cibo animam reficiunt. Secundò alios fratres ad secum conuiuandum inuitant, quia virtutis, & doni perfecta exercitatio sine alterius societate esse non potest. Tertiò aduocant septem fratres tres sorores suas, quia sicut etiam à nobis alibi dictum est, septem dona S. Spiritus sunt ad tres vitutes theologales in exercitatione suorum actuum subleuandas: nempe sapientia, scientia, intellectus ad perficiendam in operationibus suis nostram fidem: fortitudo ad confirmandam spem: timor, & pietas ad magis purificandam charitatem. Quartò, diluculò Iob consurgens offert pro singulis sacrificium: quia his ita bene ordinatis, atque dispositis, in matutina meditatione mens orantis tota per diuinum amorem accenditur, & purissima, ac rectissima intentione quasi holocausti flamma in Deum eleuatur. Quintò denique huiusmodi progressibus spirituales diuitiæ quotidie magis fauore diuinæ gratiæ aspirante, crescunt, & multiplicantur.

[Margin notes: septem filios Iob. — Iob. 1. 2. — S. Greg. lib. 1. mor. c. 13. — Iob. 1. 4.]

3 His ita suppositis, vt iam in particulari donum fortitudinis explicemus: scire oportet, nomen hoc fortitudinis ad animum

[Margin note: Donum fortitudinis in quo consistat.]

mum propriè referri; significat enim quamdam eius in opere honesto firmitatem, atque constantiam; nam de corpore loquendo, potius robur appellabitur: atque ita robusto corpore esse aliquem dicimus, animo autem forti. Sed hæc animi fortitudo sumi potest tripliciter: primùm generali quadam acceptione, vt vnicuique virtuti est insita substantialiter, & maximè illi connaturalis: est enim propriũ munus vniuscuiusque virtutis hominem in exercendis actibus honestis circa suam propriam materiam ex honestate speciali talis virtutis adeo firmare, & constantem reddere, vt inde à vitij contrarij praua inclinatione nõ facile dimoueatur; & qui cum hac perfectione habitum non est adeptus, nondum perfectè acquisiuisse virtutem dici potest. Vnde Aristotelis verissima doctrina est, non omnem esse virtute præditum, qui virtutis actum vtcumque operatur, sed illum tantummodo, qui firmiter, constanter, delectabiliter, & quasi irreuocabiliter operatur. Secundò sumitur fortitudo, vt est virtus quædam specialis, ab omnibus alijs distincta, cuius officium est firmare animum contra terribilia, ne propter formidinem imminentis mali, præsertim propter vitæ pericula, committat aliquid contra rationem, vel omittat facere, quod secundum rectam rationem facere debuisset. Neutra verò virtus fortitudinis ex his duabus est donum, quod quærimus S. Spiritus; nulla enim ex his virtutibus regulas rationis supergreditur: quare non possunt esse sufficientes ad animum firmandum, & perfectè stabiliendum contra quascumque difficultates, quæ à Dæmone, carne, & mundo mille nocendi artibus, & modis propemodum infinitis possunt obijci: inter quas permultæ inuenientur, quæ iuxta nostra consilia, & humanæ prudentiæ ratiocinationem planè insuperabiles debeant iudicari. Vnde sequitur vt spes nostra, quamuis vera virtus, & theologica animæ per gratiam iustificatæ infusa iam habeatur, & apta ex se sit excitare appetitum rationalem, vt in Deum feratur, tamquam ad eleuatissimũ, & summum nostrum bonum superatis omnibus difficultatibus; quia tamen non nisi iuxta regulas infusæ nobis prudentiæ mouet rationalem hominis appetitum, necesse sit, vt in aliquibus valde extraordinarijs difficultatibus, debilis, remissa, & quasi sopita, sine alio Dei dono esse sentiatur. Oportuit igitur ad nostram imbecillitatem in hac parte confortandam, vt hoc etiam donum fortitudinis gratia sancti Spiritus animæ infunderetur, cuius officium est, excitare in nostra voluntate fiduciam quamdam superandi omnes planè difficultates, quæ sunt, quæ erunt, & esse

Arist. 2. ethic. cap. 4.

& esse possunt etiam excedentes regulas humanæ prudentiæ, & prouidentiæ: vt finem propter quem creati sumus auxilio diuino tandem aliquando consequamur, nec non media, & auxilia ad eum finem conducentia, & necessaria obtineamus.

4 Sed gradus huius fortitudinis iam videamus, quos exponere secundo loco proposuimus: possent autem plurimi enumerari, sed eos omnes ad tres præcipuos reuocabimus. Primus gradus est nullis terreri quamtumuis magnis difficultatibus in salute, ac perfectione propria magis quotidie procuranda, etiamsi plura nobis occurrant aduersa, quibus in præsentia quid respondeamus non possimus inuenire. Ibant aliquando tres piæ illæ mulieres ad Christi Domini monumentum fide, ac spe resurrectionis eius præconcepta, dicentes inter se: *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?* & quamuis lapis esset, sicut ait scriptura, magnus valde, ita vt multum illarum vires superaret, tamen adiuncto virtuti spei hoc dono fortitudinis S. Spiritus, gressibus non propterea quidquam remissis, sed potius magis festinatis ad sepulchrum proficiscebantur. Atque hoc est, quod aliqui doctissimi auctores obseruarunt, huius doni esse, contra insurgentes difficultates eam inspirare animi fiduciam, & firmitatem, vt quando auxilia diuina, quæ de lege ordinaria dari solent, non habeantur, vel si habeantur, non sufficiant, extraordinaria, & miraculosa expectentur, quæ sine huius doni speciali motione, & instinctu cum temeritate, & culpa illa, quæ dicitur tentatio Dei, expectarentur. Facit ad hunc fortitudinis gradum magis intelligendum, id quod de S. Francisco refert in eius vita S. Bonauentura. Hic enim cum incensus vehementi desiderio martyrij aliquando in Syriam se contulisset, Sulthanũ Babiloniæ intrepidus adiuit, qui tamen tunc temporis implacabile bellum gerebat cum Christianis, certo etiam præmio constituto cuicumque suorum Saracenorum, qui caput hominis Christiani ad eum tulisset. Sed Vir Dei oratione præmissa, ait S. Bonauentura, confortatus à Domino illud propheticum decantabat: *Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es*: & post multa sic Sulthanum est allocutus: *Quòd si hæsitas propter fidem Christi legem Maumethi dimittere; iube ignem accendi permaximum, & ego cum sacerdotibus tuis ignem ingrediar, vt vel sic cognoscas, quæ fides certior, & sanctior non immeritò tenenda sit*. Id autem male sibi conscijs Saracenis reformidantibus, & recusantibus, iterum S. Vir Principi Maumethano ita respondit: *si velis mibi promit-*

Gradus doni fortitudinis tres.

Marc. 16. 2.

S. Bon. in vita S. Franc. c. 9.

Psal. 22. 4.

promittere pro te, & populo tuo, quod ad Christi cultum, si ignem illæsus exiero, veniatis, ignem solus introibo: & si conbustus fuero imputetur peccatis meis. Si autem diuina me protexerit virtus, Christum Dei virtutem, & sapientiam, verum Deum, & Dominum Saluatorem omnium agnoscatis. Sed neque hanc optionem infidelis Princeps acceptare voluit, timens populi seditionem. Quare Dei seruum cum honore, & admiratione à se dimisit, oblatis multis, & pretiosis muneribus, quæ S. Franciscus eâdem animi celsitudine, & constantia, quasi lutum contempsit. Neque verò tantæ fortitudinis exemplum propterea hic attulimus, vt ostenderemus in hoc primo tantum gradu factum hoc sancti Viri constitisse; non est enim dubitandum, & ad secundum, & ad tertium gradum mox explicandum ascendisse; primus tamen hic maximè habetur expressus, aggrediendi pericula vltra regulas humanæ prudentiæ ex impulsu speciali sancti Spiritus, sine quo temere humanis viribus talia susciperentur. Secundus itaque gradus eiusdem doni fortitudinis est, non solum tristitia, vel timore malorum imminentium ab honesto proposito nihil dimoueri, sed inde potius exultare, & gaudio spirituali repleri: Sicut nos Apostolus S. Iacobus initio suæ epi-
Iacob.1.2. stolæ adhortatur dicens: *omne gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis: scientes quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habet, vt sitis perfecti, & integri in nullo deficientes.* Nec verbis tantum, sed etiam exemplo suo idem nos docuit S. Pau-
2.ad Cor.7.4. lus, cùm ad Corinthios scribens ait: *repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra:* & reliqui om-
Act.5.41. nes Apostoli *ibant gaudentes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Quod quidem esse maximum inter prodigia miraculum, & gradum for-
S. Chys. hom. in c.5. act. titudinis sublimissimum docet S. Io: Chrysostomus in homilia, quam super allata iam verba scribit in Acta Apostolorum. Sed est alius tertius gradus adhuc sublimior huius fortitudinis, cùm quis non solùm difficultatibus, & periculis in procuranda propria salute occurrentibus nihil terretur, & illis potius gaudet, atque etiam in proposito animatur, sed neque vlla discrimina reformidat, nullum auersatur incommodum; immo potius ambit, quæcumque in hoc genere superanda obijciuntur, in promouendo spirituali bono, & perfectione proximorum. Qui gradus fortitudinis virorum Apostolicorum est maximè pro-
1.Cor.16.8. prius, eâque de re scribens ad Corinthios S. Paulus exemplum exhibet

exhibet in se ipso, cùm ait: *Permanebo autem Ephesi vsque ad Pentecoslem. Ostium enim mihi apertum est magnum, & euidens, & aduersarij multi*. Ac si dicere voluisset: adeo non terreor occurrentibus in animarum lucro difficultatibus, easque sic non refugio, vt propterea, quia multæ, & magnæ Ephesi contra me insurrexerunt, velim ibi subsistere, & diebus pluribus commorari, neque obstacula ea reputo, sed ostia ad inducendum Euangelium patentissima. Scribens quoque in eandem sententiam ad Colossenses ait: *gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia*. Cùm verò tanta insit mysticis Ecclesiæ Chisti membris excellentia fortitudinis, donante illo spiritu, qui huius mystici corporis spiritualis est vita; quantam existimabimus in capite ipso Redemptore nostro præcedere debuisse? qui, sicut de illo legimus, *proposito sibi gaudio sustinuit Crucem*, & ad ignominias, flagella, mortem pro nostra salute subeundam, quasi ad festiuas nuptias, ad sceptrum, & diadema regni accipiendum lætus progrediebatur. Nam hoc est illud, quod sub figura pacifici Regis Salomonis attentè considerandum pijs animabus proponitur in libro Canticorum: *Egredimini, & videte filiæ Syon Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius: nec mysterio caret non esse absolutè dictum, in die lætitiæ, sed lætitiæ cordis eius:* idest intimæ voluntatis eius, in cuius superiori parte, totum sacratissimæ illius animæ gaudium tempore passionis cohibebatur, ne in partem inferiorem, & in appetitum sensitiuum redundaret, sed esset ibi summus sine vlla admistione solatij mœror, atque tristia, qua interim inexplicabili afflictione tantam benignissimus Dominus Martyribus fortitudinem est promeritus, vt plures eorum inter exquisitissima tormenta gaudio inusitato à parte superiori appetitus rationalis in inferiorem, & sensitiuum copiosissimè redundante, vim tormentorum amplius non sentirent, sed ardentes prunas quasi rosas nudis pedibus calcarent, pectines, harpagones, & corporis totius lanienam delicias existimarent. Fuit autem hoc adeo vsitatum in Ecclesia primitiua, vt peregrinari eos in feruore scripserit in prima sua Epistola S. Petrus, qui hæc noua arbitraretur, & non potius beatos, ac donis sancti Spiritus tunc maximè repletos, cui talia contigissent: *Carissimi, inquit, nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit, quasi noui aliquid vobis contingat: sed communicantes*

Ad Coloss. 1. 24.

Ad Hebr. 12. 2.

Cant. 3. 11.

1. Petri 4. 12.

nicantes Christi passionibus gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est eius spiritus super vos requiescit.

Donum fortitudinis quomodo in oratione adductus suos reuocetur.

3 Sed videamus, quod tertio loco suscepimus exponendum, quomodo possimus inter meditandum hoc dono animari, & accendi ad fortia pro Dei gloria, pro nostra aliorumque salute, ac perfectione patienda, & agenda. Quod mirum fortasse alicui videbitur, & minimè tempore orationis opportunum, cùm fortitudinis sit in aciem, & căpum venire, manus cŏserere, ac pugnare; non in vmbra, & quiete contemplationis placido quasi somno consopiri, à quo etiam adiuratione quadam prohibemur in sacris Canticis excitare pias, & Deo dilectas animas: *Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Sed nihilominus pro certo nobis statuendum est, non facile inueniri, sicut bene quidam dixit, in bello præsidia, quæ non fuerint in pace quæsita. Docuit nos id ipsum exemplo suo Christus Dominus; *qui factus*, vt ait Apostolus, *nobis à Deo sapientia, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio*, idest auctor, causa, & exemplar omnis virtutis, omnis iustæ, & sanctæ operationis, heroicæ fortitudinis in martyribus, inuictæ perseuerantiæ in confessoribus, inexpugnabilis constantiæ in virginibus, & imperturbatæ patientiæ in omnibus; tamen imminente hora suæ acerbissimæ passionis, & mortis, eò timoris se redigi passus est, vt diceret: *tristis est anima mea vsque ad mortem, & cœpit tædere, & pauere, & mœstus esse:* Vbi verò ter orasset, hoc est, vt aliqui interpretantur, per tres horas, cùm Apostoli somno grauati, neque vna hora cum illo vigilare potuissent, inde consurgens obuiam intrepidus processit armatæ cohorti: vt ex eo disceremus, quantam ab oratione sperare possimus constantiam, & ad quæuis ardua aggredienda animi fortitudinem. Erit autem huius rei ratio attentè consideranti non obscura: quis enim dubitet instinctus, & motiones sancti Spiritus septem eius donis respondentes, nec solere, nec posse ingredi animam nostram, nisi per tres illas eiusdem animæ potentias, & quasi spirituales portas, memoriam, intellectum, & voluntatem. Hæ verò quando nam minus occlusæ, aut reseratæ magis inueniuntur, quam tempore meditationis? cuius proprium officium est, eas diuinis illustrationibus, & inspirationibus patefacere, curis, & cogitationibus huius mundi inferioris expulsis, ad liberius Deo pro illo

Cant. 3. 5.

1. Cor. 1. 30.

Matth. 26. 38
Marc. 14. 33.
Luca. 22. 43.

tempo-

tempore vacandum. Itaque per portam primùm memoriæ ingreditur ſpiritus fortitudinis, ſi beneficia nobis à Deo collata grato animo recolamus, quàm illa ſint multa, quàm magna quàm varia, quàm anticipata, quàm inexpectata, quàm immerentibus, atque etiam quodammodo inuitis vltrò ingeſtà. Vnde fiducia, quæ velut fortitudinis eſt armigera, facile excitabitur ad ſperandum, non defuturum liberaliſſimum, & munificentiſſimum Dominum in minoribus, qui non defuit in maioribus: *confidens*, ait Apoſtolus, *hoc ipſum, quia, qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu. Et Deus omnis gratiæ*, ait S. Petrus, *qui vocauit nos in æternam ſuam gloriam in Chriſto Ieſu, modicum paſſos, ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitque*. Aperitur præterea ianua intellectus eidem dono fortitudinis attenta conſideratione quorundam Dei attributorum, vt infinitæ eius bonitatis, immenſæ charitatis, liberalitatis indeficientis, & inexhauſtæ. Si quis certò ſciret habere ſe quendam ſuum amiciſſimum, à quo magis diligatur, quam diligat ipſe ſe ipſum, quem nihil latere de amico ſuo poſſit, quia ſcit omnia; in nullo ei deeſſe, quia nihil eſt, quod non poſſit, ſi velit; nihil eſt, quod non velit, ſi iuſtum, honeſtum, & cum virtute coniunctum ſit; quomodo non omnia ſibi de illo in quolibet egregio facinore aggrediendo, & proſequendo polliceretur? præſertim pro ipſius maiori gloria, & iuſtiſſimo beneplacito. Propterea Deo pſallebat Propheta Dauid: *Et ſperent in te, qui nouerunt nomen tuum, quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine*. Ex huiuſmodi clara notitia intellectus, veluti ex luminoſa face, poterit facilè voluntas meditantis accendi, vt inflammatos illos concipiat affectus, quos in pſalmis ſæpe legimus: *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? ſi conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum; ſi exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo*: & alibi: *Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo: Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam inimicos meos*. Narrat in ſuis confeſſionibus S. Auguſtinus de ſe ipſo, cùm Deo interius vocante de ſua conuerſione cogitaret, aliquandiu valde animo hæſitaſſe, timens, vt ipſe ait mori morti, & vitæ viuere, propter inolitam in malis ſuis conſuetudinem; vnde nimis ardua, & inacceſſa videbatur illi ſemita Chriſtianæ perfectionis: quouſque tandem die quadam piæ intentus meditationi ſenſit interius illas inſpiratas ſibi voces ad cor penetrare: *Quid in te ſtas, & non ſtas? proÿce te in Deum, noli metuere, non ſe ſubtrahet,*

Ad Pilip. 1.6.
1. Petri. 5.10.
Pſal. 9.11.
Pſal. 26.1.
Pſal. 117.6.
S. Aug. lib. 8. confeſſ. c. 11.

het, vt cadas, proijce te securus, excipiet te, & saluabit te. Ex quibus fiducia, & fortitudine in momento repletus, Christi iugum, quod antea iudicauerat importabile, tamquam leue in se recipiendum suscepit, non sine magna suimet admiratione, propter adeo repentinā animi sui mutationē: de qua propterea sic Deum alloquitur: *Et vbi eras tam annoso tempore, & de quo imo, altoque secreto euocatum est in momento liberum arbitrium meū, quo subderem ceruicem leui iugo tuo, & humeros leui sarcinæ tuæ Christe Iesu adiutor meus, & Redemptor meus! quā suaue mihi subitò factum est, carere suauitatibus nugarum; & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Eijciebas enim eas à me vera, & tu summa suauitas, eijciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni, & sanguini, omni luce clarior, & omni secreto interior, omni honore sublimior, sed non sublimibus in se.* Quæ cum ita sint, manifesta res est huiusmodi spiritus celsitudinem, & animi firmitatem, non alia ratione melius acquiri, quam orando, meditando, cum Deo agendo, & conuersando.

Lib 9. confess. cap. 1.

CAPVT OCTAVVM.

Qua ratione Donum Pietatis nos accendat in meditatione.

Donum pietatis ad quid præter alia dona requiratur.

QVOD non semel antea dictum est, erit hoc loco paucis repetendum, ad huius doni cum superioribus connexionem melius intelligendam. Dictum enim fuit septem hæc dona sancti Spiritus quasdam esse animæ nostræ superinductas habilitates, idest potentijs ipsius animæ supra iustificantem gratiam infusas habituales qualitates, quibus redderentur potentiæ facilè mobiles à cælesti motore spiritu Sancto, & contrariæ dispositiones impedirentur: videlicet ex parte intellectus, quædam mentis stultitia, per donum sapientiæ; hebetudo, per donum intellectus; præcipitatio, per donum consilij; ignorantia, per donum scientiæ: tum ex parte voluntatis, quia offert se primùm quædam imbecillitas, siue mollitudo animi in superandis varijs difficultatibus, hæc tolli debuit per donum fortitudinis: secundò offert se pro alio extremo quædam animi intractabilitas, & durities cordis, quæ non minus obstat internis sancti Spiritus motionibus, quàm nimia mollitudo. Si-

cut

cut enim in aqua, vel cera liquescente fieri non potest, vt constans, & stabilis figura à quantumuis perito artifice exprimatur; ita si incidat artifex in materiam nimis durã, & indomitam, antea destruet instrumenta operis, quàm aliquid eleganter elaboratum, & iuxta artem conficiat. Hanc ergo duritiem à corde nostro tollit diuinus ignis sancti Spiritus per donum infusæ pietatis, ad perfectius exercendas operationes, & implẽda exercitia charitatis. Iam enim antea dictum est singula hæc dona referri, ad aliquã ex tribus theologalibus virtutibus in suo officio, & munere subleuandam. De hoc igitur pietatis dono tria erunt explicanda: primùm in quo propriè consistat: secundò gradus eius præcipui, qui pertinent ad intensionem, atq. etiam extensionem quandam: tertiò constabit nullo alio tempore opportunius, quã in meditatione, veræ pietatis affectus solere excitari, & exerceri.

2 In primis itaque statuendum est, triplicem esse pietatis speciẽ, siue tres, vt magis propriè loquamur sub analogo genere pietatis differentias: prima est pietas innata, secunda acquisita, tertia infusa. Prima, quam innatam dicimus, est affectio quædam ab auctore naturæ indita non solùm ratione præditis, sed etiam irrationalibus animantibus, inclinans ad propriæ soboli, ac stirpi bene faciendum: quare non est hæc donum, quod quærimus sancti Spiritus, nec propriè virtus, sed neque tamen est vitium. Vnde S. Gregorius; *sunt*, inquit, *non nulli, qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis, & carnis; quibus tamen in hac dilectione sacra eloquia non contradicunt: sed aliud est, quod sponte impenditur naturæ, aliud, quod ex præceptis Dominicis à charitate debetur obedientiæ.* Solùm igitur est honesta quædam naturæ propensio, & commendabilis non tam propter eum, qui illam habet, quam propter auctorem naturæ, qui sua mirabili sapientia, & in omnibus prouidentia brutis quoque animantibus eam inseruit, alijs quidem minus, alijs verò quibusdam magis; ita vt aliquibus etiam si rationis expertibus pietas speciali ratione tribuatur: sicut referunt de Ciconijs pares vices reddentibus suis progenitoribus, tanto tempore eos alendo in extrema senectute, quantò ab ipsis fuerant recenter editæ conquisitis cibis educatæ. Sed vt est validum naturæ pondus, eique facile vitio nostro succumbimus, nisi virtutis, & rationis fræno hæc naturalis propensio cohibeatur, in vitium facile degenerat, & vergit in graue animæ nostræ detrimentum. Propterea monuit sæpius in Euangelio Christus Dominus: *Qui amat Patrem, aut Matrem plusquam me, non est me dignus: & qui amat filium, &*

Pietas triplex innata, acquisita, & infusa dono S. Spiritus.

S. Greg. hom. 27. in Euang.

Matth. 10. 37. Luca. 14. 26.

filiã super me, non est me dignus: & si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Quare vbi ad hoc discrimen adducta res est, vt falsa hęc pietas erga mortales parentes, opponat se veræ pietati erga Patrem spirituum, & immortalẽ Deum: tunc illud S Hieronymi consilium debet admitti: *Licet in limine pater iaceat, per calcato perge patre, siccis oculis ad vexillum crucis euola. Solùm pietatis genus est, in hac re esse crudelem.* Secunda pietatis species est acquisita quædam virtus, & iuxta regulas rectæ rationis animo inducta ex consideratione debiti, quod habet homo erga patriã, parentes, propinquos, similesque alios sanguine, aut affinitate coniunctos, quatenus principia quædam, & causæ nostri esse, atque educationis extiterunt; vt eis præ cæteris commodemus, & bene faciamus. Sed neque hæc pietas est donum illud supernaturale sancti Spiritus, de quo nunc agimus; tum quia virtus est naturalis, & non infusa, sed acquisita; tum quia in Deum ægre assurgit, & propriè respicit homines mortales, & carnis parentes, atque propinquos; tum denique quia malis quoque, & gratia Dei, quin etiam fide carentibus potest esse communis. Vnde aliqui inter Ethnicos maiximè in hac virtute insignes extitisse narrantur, & quasi humana conditione maiores poëtarum versibus superstitiosè celebrantur. Est ergo tertia veræ pietatis species omnium excellentissima erga Deũ, cui summo iure, & debito sine cõparatione maiori, quàm mortalibus parentibus, educatoribus, & propinquis tenemur præstare obsequium, omnemq. exhibere venerationem, ac reuerentiam. Atq. hæc demum est pietas dono S. Spiritus mentibus infusa iustorũ, ab alijs virtutibus, donisq. distincta. Quam vt clarè exponamus, animaduertendum est multis rationibus, & motiuis teneri nos obsequium, obseruantiã, venerationem, & cultum Deo optimo maximo exhibere. Primùm vt maiori, hoc autem est virtutis obseruantiæ, cuius proprium munus est maioribus nos reddere obsequẽtes. Secundò, vt Domino, cuius sunt omnia, & cui debentur omnia, quæ habemus; & hoc est virtutis iustitiæ, qualis ad Deum potest esse hominis iustitia, quæ non est sicut ad alium hominem, horum enim æqualia, & impermixta possunt esse dominia, cùm tamen ab altissimo Dei dominio eximi nihil possit. Tertiò tenemur præstare Deo omne obsequium, & reuerentiam quatenus summo benefactori, & bonorum omnium largitori: hoc autem pertinet ad virtutem, quæ dicitur gratitudo. Quartò, quatenus rerum omnium conditori,

S. Hier. in ep. ad Helliodorum.

primo

primo principio, & creatori, cui propterea supremum cultum debemus ex virtute Religionis. Quintò quatenus Patri, qui nos licet indignos per gratiam in filios adoptauit: atque id demum assequimur dono Christianæ pietatis, quod Dei filiorum est proprium, & melius donum dicitur esse, quàm virtus; quia sicut paruuli infantes, vt se parentibus suis præstent, quales esse conuenit filios erga parentes, instrui per omnia opus habent, & non tam agere, quàm agi, portari, & in quacumque re aliena manu regi, & gubernari; ita nos, vt Patri spirituum, cui comparati non infantes modo sumus, & paruuli, sed etiam penè nulli, tales exhibeamus, quales esse filios decet erga talem patrem, instinctu sublimiori sancti Spiritus agamur necesse est, doceamur quantus ille sit, quanta cum reuerentia illum inuocare, quanta ad eum cum fiducia accedere debeamus. Et hoc est planè quod ad Romanos scripsit Apostolus: *Quicunque spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei.* Habemus itaque in quo hoc donum pietatis excellentissimum propriè consistat, quod fuerat primo loco declarandum.

Ad Roman. 8. 14.

3 Secundo loco erant explicandi gradus, siue extensiones huius nobilissimæ affectionis: circa quam obseruatione dignum est, nostram per gratiam in Dei filios adoptionem, ita esse fundamentum veræ huius de qua loquimur pietatis, vt hæc pietas ordine valde diuerso progrediatur ab illa, quæ fundatur in cognatione, vel affinitate carnali: nam illa, quæ tantum in natura habet fundamentum, & est tota naturalis, primùm respicit parentes, inde ad fratres extenditur, & nepotes iuxta gradus propinquiores, deinde remotiores consanguinitatis, siue cognationis. At verò pietas infusa per Spiritum sanctum in cordibus filiorum Dei, primùm, & ante omnia respicit ipsum Deum, non sub quacunque ratione, sed vt patrem nos per gratiam in filios adoptantem. Quapropter ita ad Titum scripsit Apostolus: *Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem*, idest lethalis peccati statum, & gratiam iustificationis adepti, *sobriè, iustè, & piè viuamus in hoc sæculo: sobriè*, inquit sanctus Bernardus, *nobis, iustè proximis, piè autem Deo, cuius filij per gratiam sumus constituti*. Et hic primus Christianæ pietatis est gradus; secundus verò à Deo ad sanctos extenditur, & primùm ad illos, qui gratia, & sancti-

Gradus pietatis qui sint.

Ad Titum. 2. 11.

S. Bern. in ser. Ecce nos reliquimus omnia.

tate apud Deum sunt eminentiores: inter quos supremum sine controuersia obtinet locum Beatissima Virgo, non tam quia sanguine, quàm quia sanctitate Christo propinquior inuenitur; & in gradu virtutum omnium sublimissimo quascunque puras longè supereminet creaturas. Quare verba illa Ecclesiastici, quæ de increata sapientia à Salomone sunt prolata, iure optimo huic etiam sanctiss. Virg. ab Ecclesia tribuuntur: *Et radicaui in populo honorificato, & in parte Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine sanctorum detentio mea.* Nec vllus sanctitate insignis extitit in Ecclesia militante; qui ordinem Ecclesiæ triumphantis in hac pietate non imitaretur, singulari deuotionis affectu, & maxima veneratione post Deum Deiparam prosequendo, atque alios ad idem præstandum, ea qua posset ratione incitando. *Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus*, ait mellifluus Ecclesiæ Doctor sanctus Bernardus, *& votis omnibus Mariam veneremur, quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam.* Sed erit, qui de alijs Ecclesiæ sanctis loquendo, hic obijciat, quod sæpe contingit, vt posthabito maioris sanctitatis ordine, & gradu altiori, alio vario prætextu erga minoris sanctitatis Beatos maior quædam pietas exerceri videatur, cultu aliquo solemniori, festo celebriori, & splendidiori apparatu; siue quia ex illa oriundus est patria, siue quia ibi vixit, aut viuere desijt, & in Cælum inde migrauit, siue etiam quia placuit, vt eligeretur singulariter in patronum. Vt huic interrogationi satisfiat, supponere debemus, non posse nobis in hac vita de plerisque sanctis certò constare, qui nam eorum in gratia, meritis, & gloriæ gradibus cum Deo regnantes in Ecclesia Triumphanti sint superiores: vnde mirum videri non debet, si rationes cultus ex alijs honestis motiuis nobis propinquioribus, & notioribus interdum consectemur. Cessabunt tamen huiusmodi ambiguitates in æterna fœlicitate Sanctorum, vbi ita vnusquisque honorabitur, quemadmodum iuxta gradus sanctitatis, gratiæ, & luminis gloriæ magis, aut minus æquum fuerit honorari. Interim quia non tenemur, neque etiam possumus operari semper secundum excellentiorem virtutem, quoties honestè operamur, nec sanctos modis omnibus externo præsertim cultu venerari; bene fieri potest, vt secundum vnam virtutem, quam volumus exercere, licet non secundum aliam, quam non tenemur tunc exercere, maior quædam existat veneratio erga Sanctum ordinis inferioris, vt ex quadam pietate naturali, quæ si rectè ordinata sit supernaturali pietati non aduersatur,

Eccl. 24. 16.

S. Bern. in ser. de aquaductu.

uersatur,

uersatur, immò ad eam potius excitat, & bene disponit; vt quia conciuis, & talis quondam patriæ fuit, os nostrum, vt ille dicebat, & caro nostra; aut ex gratitudinis virtute, quia benefactor singularis; aut ex spe auxilij obtinendi, quia patronus est constitutus. Tertius gradus ad quem extenditur Christiana pietas in hac vita est, vt propter Deum non solum Sancti, sed etiam eorum reliquiæ, & imagines in veneratione habeantur. *Si enim*, inquit sanctus Augustinus, *paterna vestis, & anulus, ac si quid huiusmodi tantò charius est posteris, quantò erga parentes maior extitit affectus; nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ vtique multò familiarius, & coniunctius, quàm quælibet indumenta gestamus. Hæc enim non ad ornamentum, vel adiutorium, quod adhibetur extrinsecus, sed ad ipsam naturam hominis pertinent, ijsque tamquam organis, & vasis ad omnia bona opera, sanctus vsus est Spiritus*. Quàm verò Deo grata fuerit hæc pietas, frequentissimis omni tempore miraculis comprobatum est ab ipso primo nascentis Ecclesiæ sæculo, quãdo, vt est in actis Apostolicis, etiã vmbra S. Petri per forũ sole aduerso ambulantis, passim sanabat ægrotos ibi iacentes, & propè ad eam vtcumq. poterant accedẽtes, & S. Pauli sudaria, atq. semicĩctia dęmones expellebãt, & languores à corporibus, ac varij generis infirmitates curabãt.

2. Reg. 19. 12.

S. Aug. l. 1. de ciu. c. 13.

Act. 5. 15.

Act. 19. 12.

4 Sed iam tertium, quod præcipuè fuerat explicandum exequamur, ostendendo nimirum filialem Christianæ pietatis affectum, in oratione, ac meditatione proprium suum locum obtinere. Id autem in primis Christus Saluator edocuit, deinde Apostolus S. Paulus confirmauit, & ratio ipsa persuadet. Rogabant aliquando Christum Dominum Apostoli, sicut legimus in Euangelio: *Domine doce nos orare, sicut docuit & Ioannes discipulos suos*. Christus autem Dominus statim absolutissimam orationis formam, quæ propterea Dominica appellatur, eis tradidit, cum illo mysterioso paucorum verborum proœmio: *Pater noster, qui es in Cœlis*; satis per id aperte significans eam, quam diximus filiorum Dei erga Cælestem Patrem pietatem primas in oratione partes obtinere. Hoc autem clarius constabit, si quod iam diximus animaduertamus, donum veræ pietatis dirigere primùm cor nostrum ad Deum tamquam iustorum omnium Patrem per gratiam adoptionis: deinde extendi ad ipsos iustos, & Dei per eius sanctificantem gratiam filios, atque adeo inter se quadam sanctorum communione fratres: tertiò non esse hunc affectum terrenum, & naturalem, sed valde sublimem ad cælum vsque, & cælites eleuatum. Horum primum in proœmio Domi-

Pietas maximè in meditatione exercetur.

Matth. 6 9.
Luca. 11. 2.

nicæ orationis illa voce, *Pater*, significatur: secundum, quia *noster* dicitur: tertium per hoc, quod: *qui es in cælis*, adiungitur; ac si apertius diceretur, non solùm Dominum vniuersorum, cæli, & terræ Creatorem, sed etiam Patrem agnoscimus, appellamus, atque humi prostrati profundissimè veneramur. Non quasi comparare nos vllo modo audeamus, etiamsi filij nominemur, & simus, cum vnigenito tuo Domino, & Redemptore nostro, sed quia id ipse nos docuit diceremus, & sua passione, ac morte promeruit, vt qui prius natura eramus filij iræ, atque æternæ damnationis rei, nunc tui per gratiam filij, & eiusdem gratiæ sanctificantis pia cognatione fratres inter nos constitueremur. Atque ad hanc pietatē sectandā in exercitijs spiritus, & contemplatione rerū cęlestiū. S. Paulus hortabatur Timotheū illis verbis:
1. Ad Tim. 4. 7. *exerce autem te ipsum ad pietatem; nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis est, pietas autem ad omnia vtilis est.* Quod
S. Aug. ep. 52. respexisse videtur S. Augustinus, cùm in epistola ad Macedonium eam, de qua loquimur, pietatem ita definiuit: *Pietas est verax veri Dei cultus, vnde omnia rectè viuendi duci oportet officia.* Vbi verò melius, & opportunius huiusmodi cultum Deo exhibemus, quàm in oratione, & interna cum Deo conuersatione? vnde rectè viuendi norma, & directio, & efficacia spiritus obtinetur; vbi cum Deo agimus non solùm vt rei cum Iudice, vt ægroti cum cælesti medico, vt serui cum Domino, sed etiam, vt filij cum parente per gratiam, & misericordiam suam, benignissimo. Hunc itaque veræ pietatis spiritum, & affectum maximè à nobis Deus in oratione requirit: si quidem ab hac Patris inuocatione ordiri orationem à Christo monemur, & ad idem hunc nobis immitti spiritum testatur Apo-
Ad Galat. 4. 6. stolus: *Quoniam*, inquit, *estis filij Dei, misit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem Abba pater*, idest clamare nos facientem, & non tam magnitudine vocis, quam affectus, & deuotionis Deum, vt patrem inuocare. Hoc denique spiritu
Isai. 63. 15. prophetæ, & sancti veteris testamenti suas in Deum feruentiores preces direxerunt. Vnum audiamus Isaiam sic Deum orantem: *Attende de cælo, & vide de habitaculo sancto tuo, & gloria tua. Vbi est zelus tuus, & fortitudo tua, & multitudo viscerum tuorum, & miserationum tuarum? tu enim pater noster, & Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos: tu Domine pater noster, Redemptor noster, à sæculo nomen tuum.* Quare vt hoc caput concludamus, quandoquidem in comparatione tanti parentis planè sumus infantes, & quantum ex no-

bis

bis est rudissimi, & stupidissimi; & nihilominus hic ingenuæ pietatis affectus inter orandum, & agendum cum Deo est maximè necessarius, ideo curandum pro nostra parte, & à Deo sperandum, ac dono S. Spiritus expectandum orationis tempore magis, quàm alio, nisi per nos steterit, affectum huiusmodi pietatis adfuturum.

CAPVT NONVM.

Qua ratione Donum timoris nos accendat in oratione.

1 HOc est septimum, & postremum donum sancti Spiritus collatum iustis pro antidoto superbiæ, arrogantiæ,& vanitatis. Neque enim sufficit dono fortitudinis animum habere confirmatum, & cor dono pietatis tractabile redditum, nisi etiam contra vanam sui complacentiam, præsumptionem, & arrogantiam muniatur: id ergo dono Sancti Dei timoris pia meditatione potissimum expressi consequemur. Quare tria nobis erunt in præsenti capite hac de re explicanda: primum, quotuplex sit timor, vt quis ille sit omnium perfectissimus inter dona S. Spiritus numeratus, inueniamus: secundò quo nam modo ab interna oratione, & meditatione talis timor in animo excitetur: tertiò, qua ratione ipse vicissim timor excitet ad feruentem orationem, & contemplationem. Donum timoris ad quid detur.

2 In primis itaque vt inueniamus in quo propriè consistat timor sanctus omnium perfectissimus, qui inter septem dona S. Spiritus numeratur, distinguere oportet vsque ad sex timoris differentias: prima est timoris non mali ex se, neque etiam moraliter boni, sed indifferentis: secunda est mali timoris, & fugiendi: tertia boni, sed valde imperfecti: quarta est timoris melioris, non tamen adeo perfecti, sicut est quinta species timoris, quæ virtus cùm sit, non est tamen donum, quod quærimus perfectissimum: sexta igitur species est optimi timoris, & omnium excellentissimi, qui non nisi dono S. Spiritus cum gratia iustificante, & infusis virtutibus obtinetur. Primus timor est naturalis, nempe quædam à natura proueniens animi contractio, Sex gradus, vel differētiæ timoris.

tractio,

tractio,& tristitia propter intentata mala, vel imminentia mortis, dolorum, aut aliorum incommodorum pericula. Quare non est donum, quod quærimus Spiritus Sancti, cum ferè in vnoquoque animante etiã ratione carente à natura insitus inueniatur: neque propterea est in se malus, cùm nullam habeat deformitatem, aut vllam ex se culpam inducat, nisi agat in transuersum rationem. Vnde timor hic merè naturalis, sed nullo modo anteuertens rationem, fuit etiam in Christo Domino, qui propterea proximus morti, & tormentis suæ acerbissimæ passionis, *cœpit*, vt ait Euangelista, *pauere, & tædere*, cùm tamen in Christo, neque culpa, neque affectio animi aliqua vllo modo reprehensiblis potuerit inueniri: est igitur hic timor ex se moraliter consideratus indifferens. Secundus est malus, qui propterea timor mundanus appellatur, & est cùm timet homo aliqua mundi huius incommoda, quæ non deberet. Vnde ad aliquid committendum contra Dei præcepta, & rectam rationem impellitur: sicut qui fuga leuis incommodi imaginario timore deceptus eligit præcipitium. Propterea sæpius in diuinis Scripturis hic timor grauissimis verbis reprehẽditur. Sicut apud Isaiam cùm dicitur: *quis tu, vt timeres ab homine mortali, & à filio hominis, qui quasi fœnum ita arescet? & oblitus es Domini factoris tui*: & fortissimus ille Machabæorum Princeps Mathathias, commilitones suos contra impium Antiochum sic adhortabatur: *à verbis viri peccatoris ne timueritis, quia gloria eius stercus, & vermis est: hodie extollitur, & cras non inuenietur: quia conuersus est in terram suam, & cogitatio eius periit*. Sed & Christus Dominus in Euangelio apertè nos monuit: *nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam*: indicans alium esse timorem illi malo timori præferendum; & hic est tertius timor eatenus bonus, quatenus expellit illum malum in culpas, & peccata varia inducentem; sed imperfectus est, vnde etiam seruilis appellatur. Nam quemadmodum seruorum est, & mancipiorum, non verò filiorum, nolle transgredi mandata dominorum, ne verberibus, alioue supplicij genere malè excipiantur: ita qui nolunt à peccato desistere, nisi ex pœnarum metu, non aguntur spiritu filiorum, sed seruorum, & mancipiorum. Propterea dicebat Apostolus: *Qui spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei: Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum*. Quare neque est

Marci.14.33. Isai.51.12. Machab.1.2.62. Matth.10.28. Ad Roman.8.14.

hic

hic timor donum Spiritus sancti, quod inuestigamus: licet enim ex se malus non sit, & excludere videatur pro sua parte peccatum; ex parte tamen seruilitatis, posset includere, vt nonnunquam solet, conditionatam quandam voluntatem peccatũ illud, quod propter metum supplicij absolutè nõ committitur, admittendi, ea videlicet conditione, si non esset infernus, aut si tale peccatum non puniretur: quod culpa non vacat, quia est aliquo modo, quamuis inefficaciter, velle peccatum. Quartus timor isto melior non tam refugiens pœnam, quàm horrens culpam, dicitur initialis, & est is, qui ab ecclesiastico initium, & radix sapientiæ appellatur. Verè enim ille tunc sapere incipit, & Eccl. 1. 16. in virtute radicari, qui non tam propter euitandam pœnam, quàm ob fugiendam culpam abstinet à peccatis. Sed est consideratione dignum in eodem capite fuisse à Salomone dictum: *initium sapientiæ timor Domini; & radix sapientiæ est timere Deum:* tum fuisse adiunctum: *corona sapientiæ timor Domini, & plenitudo sapientiæ est timere Deum:* cùm tamen radix in imo, corona esse soleat in summo: initium incompletum, & imperfectum; perfecta verò, & completa debeat esse plenitudo. Nimirum vt duæ nobis hac ratione sancti timoris species indicarentur, ex duplici amore supernaturali prouenientes. Cùm enim timor nihil sit aliud, quam animi quædam fuga, declinantis amittere quod diligitur, tot ad minimum, distinguendi erunt timores, quot sunt diuersæ dilectiones, & amores. Est autem duplex amor supernaturalis, alter quem vocant concupiscentiæ, nempe Dei, vt est futura nostra beatitudo, alter charitatis, & amicitiæ, qui est amor perfectior erga Deum, non vt bonum nobis, sed in se absolutè bonum, & summum bonum. Duo igitur inde timores proueniant necesse est ambo honestissimi, sed non æquè perfecti: vnus est timor, ne propter culpam à tanto bono separemur, & eius æterna fruitione priuemur, etiam si alia pœna, quam vocant sensus, idest cruciatuum æternorum, & inferni tormentorum non sequeretur, nam huius generis pœnas timere ad tertiam speciem seruilis timoris pertinet. Alter est timor charitatis, & amicitiæ, ne Deo vllatenus displiceamus, etiamsi nulla inde nec pœna sensus, nec pœna damni peccantibus immineret, immo nec esset infernus ad puniendos malos, nec æterna beatitudo ad bonos corona, & præmio afficiendos; sed solus Deus summè in se, & ex se bonus, summè amabilis, infinitè honorabilis. Et hic est timor filialis, reuerentialis, corona prudentiæ, plenitudo sapientiæ, vt vocat Salomon,

mon, *& timor Domini sanctus*, vt loquitur Dauid, *permanens in sæculum sæculi*, alios imperfectos timores propter perfectionem charitatis, vnde nascitur excludens: sicut dilectus Christo discipulus, & in hac diuini amoris schola Magister
Eccl.1.20. affirmabat dicens: *timor non est in charitate, sed perfecta cha-*
Psal.18.10. *ritas foras mittit timorem, quoniam timor pœnam habet: qui autem timet, non est perfectus in charitate.* Et hæc est quinta differentia boni timoris, qui à charitate quoad habitum non di-
Ioann.ep.1.4.18. stinguitur; pertinet enim ad eundem habitum charitatis, & nostræ cum Deo amicitiæ actus varios producere in amici voluntate non solum erga Deum beneuolentiæ, & proximorum dilectionis propter Deum, sed etiam gaudij de illorum bonis, tristitiæ de occurrentibus malis, atque etiam timoris de aduersitatibus imminentibus, vt propterea timorem sanctus Augustinus posse definiri existimauerit, ipsum esse amorem, perdere quod diligitur fugientem. Sed quia hic timor siue ex amore nascatur supernaturalis concupiscentiæ, & ad quartam speciem superius enumeratam pertineat, siue ex amore proueniat supernaturalis amicitiæ, & in Deum charitatis, quintam constituens boni timoris speciem, quatenus per dictamina rationis iuxta regulas infusæ prudentiæ in nobis excitatur, propriè virtutis est actio, non verò doni sancti Spiritus specialis illa, de qua nunc agitur impulsio: ideo superest adhuc vltima species sancti timoris omnium præstantissimi, qui vltimo loco ab Isaia inter septem dona sancti Spiritus numeratur, & eo fuisse replendam sanctissimam animam Christi nostri Redemptoris verbis illis pronunciauit: *& replebit eum spiritus timoris Domini*. Est autem extra omnem controuersiam in Christo Domino cùm esset impeccabilis, timorem culpæ locum habere non potuisse: quis enim sapiens timeat, ne forte aliquid sibi contingat, quod certissimè nouit sibi non pos-
Isai.11.3. se contingere? proinde neque ad culpam inducentia timere ipse potuisset, nec infligendam pœnam, aut futuram à Deo separationem propter culpam. Erat nihilominus in Christi anima propter eminentem scientiam, & perfectissimam cognitionem, quam obtinebat de sublimissima Dei natura, quidam affectus venerationis, & reuerentiæ profundissimæ per modum cuiusdam internæ demissionis sub tanta maiestate, cui propter infinitum in omni genere perfectionis excessum, comparari creatura, quantumuis perfecta nobis videretur, minime potest; vnde inerat illi actui demissionis interna quædam quasi animi fuga, quæ videtur essentialis timori, & hæc erat ex instinctu speciali S. Spiritus

tam-

tamquam motoris infinitæ virtutis animam illam omnium humillimam agentis, & profundissimè dimittentis, vltra regulas infusæ prudentiæ, & ordinaria dictamina rationis. Hoc etiam excellentissimo dono reuerentiæ, & perfectissimi timoris repleta videri potest tunc fuisse anima omnium post Christi animam humillima Beatissimæ Virginis, cùm Dei mater mox futura ab Angelo nuntiaretur, mysterio superante omnes regulas creatæ prudentiæ, & infusæ sapientiæ. Ideò cùm audisset, *turbata est in sermone eius*, ait Euangelista, *& cogitabat, qualis esset ista salutatio*. Simili affectu Seraphin apud Isaiam ante solium Dei excelsum, & eleuatum duabus alis velabant faciem, duabus pedes sibi tegebant, & duabus volabant, *clamantes sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum*. Vnde etiam Ecclesia in Altaris augustissimo sacrificio præfatur quotidie: *laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt potestates, cæli, cælorumque virtutes*; eodemque imperturbato filialis timoris affectu cæteri omnes in æterna illa beatorum fælicitate sancti afficiuntur, iuxta id, quod de illis in Psalmo dicitur: *timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi*. Quem sanctum timorem propterea dari contra spiritum arrogantiæ, elationis, & superbiæ, Ecclesiæ Patres Gregorius, & Augustinus sæpe docuerunt.

Luca. 1. 29.

Isai. 6. 3.

Psal. 18. 10. S. Greg. lib. 2. mor. c. 26. S. Aug. ser. 1. de annunc. & alibi.

3 Sequitur iam secundo loco videamus, qua ratione per meditationē Dei timor perfectissimus in animam sensim introducatur. Id autem fit, primùm seruilem & mundanum eijciendo, tum bonum, deinde meliorem inducendo, demum ad optimum, & omnium perfectissimum varijs considerationibus perducendo. Primùm itaque facile expellet vanos mundi timores, qui communiter ex aliqua mentis cœcitate, aut inconsideratione oriuntur, seria meditatio nouissimorum, & iustitiæ, iræ, ac furoris Dei attenta consideratio, de qua toto sequenti capite sumus dicturi. Quapropter dicebat Christus Dominus in hanc sententiam discipulis suis: *Dico vobis amicis meis, ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius, qui faciant. Ostendam autem vobis, quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gebennam; ita dico vobis, hunc timete*. Nusquam autem melius id nobis Deus solet ostendere, quàm in meditatione, vbi homo à curis rerum temporalium, mundanisque cogitationibus absolutus, eleuat oculum mentis in sublime, & districtum ensem diuinæ iustitiæ peccantium ceruicibus impendentem intento animo contemplatur. Timere in nauigatione mercator solet, ne merces

Timor qua ratione per meditationē in animam inducatur.

Luca. 12. 4.

pretio-

pretiosas, sibique charissimas cogatur ob tempestatem ad nauem exonerandam in aquas proijcere, & propterea circa illas in ima naue cunctatur, donec frementibus diu ventis, vndisque nimium furentibus superiora conscendens, obseruat in quàm tremendo versetur perculo, naue nunc vsque ad nubes euecta, nunc depressa, & quasi præcipitata in abyssum. Itaque maiori commotus formidine timorem excutit leuiorem, ratus satis bene secum actum iri, si rebus omnibus præterquam vita spoliatus euaserit naufragium. Simili consideratione manus suas, &
Iob.31.22. labia, & cor ab iniquitate quouis tempore cohibuisse Iob de se testabatur, vt mallet quiduis perpeti, quàm Deum propter peccata indignatum, quasi mare vehementi procella, & tempestate agitatum experiri: cùm diceret: *humerus meus à iunctura sua cadat, & brachium meum cum suis ossibus confringatur. Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui*. Memini me aliquando in hominem incidisse adeo quoad animam miseræ conditionis, vt post varia crimina perpetrata, vnus ex illis euaserit, de quibus ait Apostolus: *quidam repellentes bonam conscientiam, circa fidem nau-*
1. Ad Tim. 1. 19. *fragauerunt*. Neque solùm ipse à fide catholica defecerat, sed etiam factus errorum Magister in cathedra pestilentiæ per aliquot annos luteranam hæresim publicè prædicauerat: is cùm persuaderi sibi tandem permisisset, vt relictis pro tempore disputationibus, aliquantulum ab hominum consuetudine secederet, & in cubiculo saltem per hebdomadam aliquot horis, quaternis videlicet in die vacaret meditationibus nouissimorũ, quas illi per certa puncta singillatim proponebam: planè in alium virum hæresi publicè abiurata mutatus est, vt iam vererer
2.Cor.2.7. ne nimio fletu, & sicut de simili scripsit Apostolus, abundantiori tristitia absorberetur; repetebat autem identidem, numquam futurum fuisse, vt in eas incideret miserias, si quæ tunc in illo sancto otio meditabatur, antea seriò cogitasset. Neque id mi-
Eccl.7.40. rum, cùm hac de re diuinum illud extet oraculum: *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non pec-*
Deut.32.28. *cabis*: & de peccatoribus ait Moyses: *gens absque consilio est, & sine prudentia, vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent*. Ab hoc seruili, & imperfecto timore sensim ad filialem, atque perfectum similiter inducet meditatio: nam sicut
S. Bern. lib. de septem donis S. Spiritus. affirmat sanctus Bernardus, *habet Dei timor geminum veluti lumen oculorum, sinistrum ad pœnam deorsum, dextrum verò sursum ad Deum summè bonum*, à quo timet, etiamsi alia non

esset

esset pœna, propter culpam separari. Numquam verò melius oculi mentis, quàm in meditatione aperiuntur; nullibi clarius, quàm in contemplatione illuminantur: tunc enim gustatur illud cæleste mel, quod virga Ionathæ quondam exceptum, iam prope deficientem recreauit, & eius oculos mirifice illuminauit. *1. Reg. 14. 27.*

4 Sed videamus quod pro tertio reliquimus exponendum, qua nam ratione à bono timore per meditationem inducto, bona viciſſim soleat effici meditatio: non secus ac de bona valetudine, & corporis exercitatione aliqui philosophantur, cùm dicunt ambulatione, & corporis exercitatione bonam effici solere valetudinem, hanc verò causam esse reciprocam bene ambulandi. Reddit autem timor bonam meditationem, alliciendo ad contemplationem suauiter, pertrahendo fortiter, & acriter compellendo: allicit timor filialis, pertrahit initialis, & compellit seruilis. In primis enim timor filiorum in gradu, quem diximus perfectiſſimo, quia non consistit in fuga vllius pœnæ, quam alij inferiores timores respiciunt; sed in quadam animi reuerenti demiſſione ex viua, & vehementi apprehensione magnitudinis Dei, & nostræ paruitatis, suauiſſimè allicit ad agendum cum Deo, tamquam cum Patre sublimiſſimæ quidem Maiestatis, sed beneuolentiſſimæ pietatis, & liberaliſſimæ charitatis, erga filiolos planè infantes; qui per omnia manu aliena dirigi, brachijs portari, omni ope, atque auxilio indigent adiuuari. Solet præterea hic timor filialis appellari, castus, amicabilis, & sanctus: vt ex hoc intelligamus non debere quemquam eo deterreri à conuersatione cùm Deo; sed potius inuitari ad effundendum cor suum in oratione coram illo, tali fiducia, quali non solùm decet agere filium cum patre, sed etiam sponsã cum sponso, amicum cum amico, & sanctum cum auctore, & datore omnis sanctitatis. *Nam*, sicut dicebat S. Ioannes, *si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quidquid petierimus accipiemus ab eo: quoniam mandata eius custodimus, & ea quæ sunt placita coram eo facimus. Quod si reprehenderit nos cor nostrum*, addit ibidem S. Ioannes, *maior est Deus corde nostro, & nouit omnia*: quasi diceret eius omnipotentem iustitiam effugere, eius conspectum, atque intuitum omnia obseruantem declinare non poſſumus. Quare debebimus saltem initiali timore pertrahi cum filio prodigo ad supplicandum cælesti patri: *Pater peccaui in cælum, & coram te*: & ad deplorandam infœlicem conditionem peccantis, sicut idem in se reuersus faciebat, cùm diceret: *quanti mercenarij in domo patris*

mei

Marginal notes: *Quomodo bonus timor bonã reddat meditationem.* — *Ioann. ep. 1. 3. 21.* — *Luca 15. 18.* — *Luca 15. 17.*

mei abundant panibus? ego autem hic fame pereo. Quem verò neque timor initialis pertraheret, qui tamen radix est, & initium sapientiæ, superest, vt nisi eius planè desperata sit salus, timor saltem seruilis adigat, & compellat: quandoquidem sæpe solius naturæ instinctu præueniente rationem in periculis Deum supplices inuocamus, & repentè vultum palmasque ad sidera eleuamus: vt vel ex hoc intelligere debeamus, quale oporteat esse rationalis timoris incitamentum ad orandum, & Deo pro auertendis malis grauioribus supplicandum. Nam si tantopere incitatur cor nostrum, vbi non fuerit deprauatis affectibus nimium depressum, motu solius naturalis timoris rationem anteuertentis ad cælum se conuertere, vt propterea dixerit Cassianus leuissimæ plumæ comparari, quæ si humoris extrinsecus accidentis corruptione vitiata non fuerit, vel infusa, mobilitate substantiæ suæ tenuissimi spiritus adiumento velut naturaliter ad sublimia, cælestiaque sustollitur: quanto ad id validiorem esse oportebit timorem rationabilissimum æternorum suppliciorum; quantò esse potentiorem spem, expectationem, amorem bonorum sempiternorum: quantò efficaciorem infusam dono sancti Spiritus vltra naturalis, & supernaturalis prudentiæ regulas, reuerentiam sublimissimæ Dei maiestatis? ex qua sicut ait Iob, *columnæ cæli contremiscunt & pauent ad nutum eius*. Et sicut ex hac reuerentia omnes illi sublimissimi spiritus in altiori Dei contemplatione proficiunt; ita ex contemplatione, in eàdem filiali reuerentia, & obsequentissima demissione perficiuntur. Hos itaq. imitari nos oportebit dono huiusmodi timoris, orationis donum perficiendo, & in eodem reuerentiali timore, orationis, & meditationis dono magis quotidie proficiendo.

Eccl. 1. 16.

Cass. collat. 9. de orat. c. 3.

Iob. 25. 11.

DE

DE CAELESTI CONVERSATIONE, PER INTERNAM ORATIONEM, ET EXERCITIA SPIRITVS.

Liber Quintus.

DE AFFECTIBVS INCIPIENTIVM.

CAPVT PRIMVM.

De eliciendo ex meditatione affectu horroris ob iuſtitiam, iram, & furorem Dei.

1 POSTEAQVAM egimus de ſeptem primarijs quaſi fontibus piarum affectionum, ideſt de ſeptem donis S. Spiritus, quibus irrigari debet hortus contemplationis, & meditationis, ipſos affectus veluti riuos proſequemur, & qua ratione ad internam orationem deducantur, oſtendemus. Sunt autem in tres veluti claſſes diſtributi, incipientium, proficientium, & perfectorum. Et primo loco pro incipientibus offert ſe horror, ideſt timor, non qualiſcumque, ſed vehemens iuſtitiæ, iræ, & furoris Dei. Tribus enim modis innoteſcere poteſt diuina ſeueritas in peccatis puniendis, vnde ſolet oriri prima declinatio à malo, & ad animæ ſalutẽ inclinatio. Primùm in cauſa, quæ eſt Deus ipſe non ſolùm in ſe iuſtiſſimus, ſed etiam ipſa iuſtitia. Secundò in effectibus pœnarum temporaliũ, quas infert propter commiſſa peccata. Tertiò in effectibus cruciatuum æternorum. Ex primo manifeſtatur ſeuera Dei iuſtitia, ex ſecundo tremenda ira, ex tertio formidabilis, & horrẽdus furor. Diſtinguuntur autem hæc tria, quia iuſtitia, de qua nunc agimus, eſt ipſa Dei voluntas inferendi peccantibus debitas pœnas; quæ cùm ſit vir-

Dei iuſtitia, ira, & furor quomodo diſtinguantur.

tus nullam in habente illam arguens imperfectionem, bene, & propriè in Deo inter alia eius diuinissima attributa considerabitur. Ira verò, quia quandam includit passionis tristitiæ imperfectionem, & animi, quin etiam corporis ex accenso sanguine ob desiderium vindictæ perturbationē, inueniri propriè, aut considerari in Deo non potest; sed metaphorica locutione per extrinsecam attributionem ab effectibus pœnarum, quas veluti ex ira peccatoribus infligit, iratus Deus appellatur: qui tamen, vt de

S. Aug. lib. 1. confess. c. 3. illo dixit sanctus Augustinus; *tranquillus irascitur, securus zelat, mutat opera, non mutat consilium*. Multò tamen minus furor in Deo inuenitur: est enim furor ira quædam vehementior, & cum maiori cohibendi se impotentia: ipsa verò ira breuis furor est; ideo nomine iræ per metaphoram significatur in Deo voluntas inferendi pœnas temporales, nomine autem furoris etiam per metaphoram voluntas puniendi reprobos cruciatibus sempiternis. Nec rarò de his tribus pro varia occasione in scripturis sacris, vbi de voluntate Dei puniendi peccatores agitur,

Sap. 5. 19. mentio inuenitur. Ita in libro sapientiæ dicitur: *Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum, sumet scu-*

Isai. 9. 19. *tum inexpugnabile æquitatem*. De ira, Isaias: *In ira Domini*

Isai. 30. 27. *exercituum conturbata est terra*: De furore idem Propheta: *ardens furor eius grauis ad portandum*: De vtroque ait Dauid in

Psal. 6. 1. Psalmis: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*.

Timor diuinę iustitiæ quomodo excitetur.

2 Primùm itaque ad excitandum in nobis affectum salutiferum timoris Dei vehementis, ob quem è vestigio pedem à culpa, si forte in eam prolapsi essemus, referamus, Dei iustitia quanta sit, in Deo ipso sic considerabitur. Tria sunt certa principia, & veluti capita rationum, vnde seueritas Iudicum in ferenda sententia contra commissa crimina optimè cognosci potest. Primùm, si eos commissa delicta latere nulla ratione possint, sed habeant omnia bene examinata, testibus omni fide dignis probata, & perspecta. Secundò, si velint omnino iudices, vt nihil quod ad culpas attinet dissimuletur, sed omnia seuerè puniantur. Tertiò si possint, ita vt non sit, qui obsistat, nec detur ad altius iudicium appellatio. Hæc tria in Dei iustitia facta cum humanis iudicijs, & iudicibus comparatione, mirum est quanto cum excessu inueniantur. In primis enim scientia huius supremi Iudicis talis est, vt si quid latere eum posset, Deus vtique non esset. Quare nouit non solum magnas, sed etiam paruas, & minutissimas culpas; non solum externas opere commissas, sed etiam internas corde

tan-

tantum,& cogitatione admissas;non solùm dum cõmittuntur,aut postquam commissæ sunt,sed etiam antequam committantur,& excogitentur. *Intellexisti*, dicebat Dauid, *cogitationes meas de longe: semitam meam,& funiculum meũ inuestigasti: & omnes vias meas præuidisti:quia non est sermo in lingua mea:* nempe dictum,quod non præsenseris; factum,quod non præuideris: cogitatum,quod nõ multo antea, etiam ab ipsa æternitate non intellexeris, & quasi ante oculos tuos semper gererentur,non perspexeris, altissima illa futurorum contingentium scientia superante omnem ingenij nostri vim,& facultatem; ideo subdit Propheta: *mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam.* Quare nihil indiget Deus ad extorquendam commissi criminis veritatem extraneo accusatore, confessione rei,testium plena,vel semiplena probatione: *Quoniam oculi Domini*, ait Salomon, *multò plus lucidiores sunt super Solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes. Et vultus Domini super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.* Nec solùm ea, quæ nobis non videntur mala, sed etiam, quæ bona sæpe ab hominibus iudicantur, quàm sint ob culpam aliquando damnanda discernit, atque diiudicat. In quam sententiam illa psalmi verba interpretatur S. Bernardus: *Cùm accepero tempus ego iustitias iudicabo:* & quod est apud Sophoniam: *Scrutabor Ierusalem in lucernis*; tanquam dicta de operibus, quæ iusta in specie apparent, & à iustis hominibus exercentur: *Et quid tutum*, inquit S. Bernardus, *in Babylone, si Ierusalem manet scrutinium? Verendum valde cùm ad hoc ventum fuerit, ne sub tam subtili examine multæ nostræ, quæ iustitiæ putantur, peccata appareant. Et multa laudata ab hominibus*, ait S. Augustinus, *Deo teste damnantur: cùm sæpe se aliter habent species facti, & aliter animus facientis.* Hinc facile est intelligere secundum; qualis nempe sit in Deo voluntas puniendi peccata, quæ tam attentè inspicit, & obseruat, nón vt ea prorsus dissimulet, sed vt puniat tantò grauius, quantò fuerint diutius dissimulata. *Tacui*, dicebat per Isaiam Deus, *silui, patiens fui; sicut parturiens loquar: dissipabo, & absorbebo simul.* Quàm multa mortales iudices nolunt punire delicta? vel ne maiora sequantur flagitia in Republica, vel ne nimis multæ agitentur in tribunalibus lites,vel quia cũ opere externo consummata non fuerint, interno tantum foro conscientiæ necessario relinquuntur. De quibus autem delictis actio in humano iudicio dari solet,quàm sæpe nihil potest constitui circa pœnam? testes de-

Psal. 138. 3. *Eccl. 23. 28.* *Psal. 33. 17.* *Psal. 74. 3.* *S. Ber. ser. 55. in Cant.* *Sophon. 1. 12.* *S. Aug. lib. 3. confess. c. 9.* *Isai. 42. 14.*

sunt, aut non satis in accusatione consentiunt, reus pertinaciter negat, Iudex fuit pecunia corruptus. Sola lex Domini immacu-
Matth. 12.36 lata, neque verbum admittens otiosum, de quo non sint homines reddituri, in tremendo diuinæ iustitiæ tribunali rationem. Sed quod excitare nobis horrorem maximè deberet, est consideratio altissimæ, & absolutissimæ Dei potestatis, reos cuiuscumque criminis, quomodocumque, & quandocumque voluerit puniendi:
Psal. 89.11. *Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* dicebat Dauid, qui vt hanc rem melius explicaret, vtebatur exemplo Iudicis talis, si dari posset, conditionis, vt reum semper propria sua manu apprehensum teneret, nec sineret quoquam abire, nisi eâdem ipse sua manu duceret, atque reduceret. Nam posteaquam in psalmo tribuerat Deo notitiam perfectissimam omnium nostrorum factorum, omniumq; dictorum, & intelligere cogitationes cordis à longe, cognoscere omnia nouissima, & antiqua, addit Deum posuisse super nos manum suam, vn-
Psal. 138.7. de concludit: *Quo ibo à spiritu tuo? & quo à facie tua fugiam? si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Sed erit fortassis ad altiorem Iudicem appellatio? audiamus
Iob. 9.2. quid in vno capite inter alia dicat hac de re S. Iob, *Verè,* inquit, *scio quòd ita sit, & quòd non iustificetur homo compositus Deo. Si repente interroget, quis respondebit ei? vel quis dicere potest, cur*
Iob. 9.12. *ita facis? Deus, cuius iræ nemo resistere potest, & sub quo cur-*
Iob. 9.19. *uantur, qui portant orbem; si fortitudo quæritur, robustissimus est; si æquitas iudicij, nemo audet pro me testimonium dicere: si iustificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendero, prauum me comprobabit.* Hanc ipsam Dei formidabilem in puniendo potestatem ex instrumentis diuinæ iustitiæ melius intelligemus. Solebant antiqui Tyranni ad martyres terrefaciendos suam contra illos iactare potentiam, productis in medium varijs tormentorum mortiferis instrumentis, pectinibus, forcipibus, scorpionibus ferreis, loris plumbatis, craticulis, sartaginibus. At hæc ludicra censeri possunt instrumentis diuinæ iustitiæ comparata, qualia sunt, cœli tonantia fulmina, terræmotus, & concussiones, vnde voragines interdum repente extiterunt integras Ciuitates absorbentes, eruptiones ignium, quasi barathri fauces, vel inferorum, fremitus irati maris astris minantis, procellæ, grandines, infectiones aëris inhalantis vniuersales pestilentias. Sed supra omnia, diuinæ

poten-

potentiæ instrumenta, illa spiritualia, viuentia, æterno igni, quem secum semper circumferunt destinata sunt formidabilia, & tremenda nimis; videlicet sæuissimi dæmones, draconibus immaniores, & omnibus monstris venenatis, ac bestijs mundi vniuersi crudelissimis simul sumptis, singuli nocentiores: qui si à Deo iustitiam suam misericordia temperante, non cohiberentur, modicissimo tempore omnes super terram mortales prosternere, & ad æterna tormenta secum rapere facili negotio possent: Neque multi eorum ad id requirerentur; cùm tamen adeo multi sint, vt præter plurimos inferorum carcere detentos, supersint innumerabiles hunc äerem caliginosum occupantes, qui quasi venatici canes, nisi loro diuinæ potestatis, & erga nos pietatis retinerentur, in nos statim insilirent, lacerarent, atque discerperent. Sed ab instrumẽtis iustitiæ ad effectus iræ diuinæ veniamus.

3 Posuimus enim secundo loco explicandum aliud motiuum huius timoris ex apprehensione terribilis iræ Dei, quæ quia propriæ in Deo non habet locum, in illo non potest considerari, sicut iustitiam considerauimus, sed colligi debet ex effectibus puniendi peccata grauissimis supplicijs temporalibus. Hic est enim ille zelus Dei, & ira magna, de qua apud Zachariam legitur: *Hæc dicit Dominus exercituum: zelatus sum Ierusalem, & Syon zelo magno, & ira magna ego irascor.* Hæc autem supplicia temporalia humano generi pro peccatis ab irato numine sæpius illata, primùm considerari debent in primis Parentibus culpæ originalis auctoribus. Secundò in eorum posteritate, maculam illam veluti hæreditariam contrahente. Tertiò in addentibus culpæ originali suas proprias culpas actuales, quas diuersis mundi ætatibus Deus extraordinarijs supplicijs seuerissimè vindicauit. Primùm itaque manifestata est ira Dei magna contra peccatum in nostris Protoparentibus, qui Deo adeo chari, & vnice dilecti, capita humani generis, & primarij mundi totius Monarchæ constituti, gratia, & iustitia originali copiosè ditati, omnibus virtutibus, & donis cælestibus exornati, collocati in Paradiso deliciarum, vt inde post multa fœlicissima sæcula, sine vlla, siue mortis, siue morbi, aut alterius sinistri casus iniuria, ad æternam beatorum fœlicitatem in cælum, nisi peccassent, transferrentur: culpa semel admissa vnius inobedientiæ, statim omni originali iustitia spoliati, ex Dei amicitia in capitalem inimicitiam redacti, eiecti ex paradiso, morti, & omnibus alijs mundi miserijs subiecti, compulsi sunt panem in sudore vultus sibi conquirere per annos, quibus vixit Adam nongentos, atque tri-

Iram Dei ad excitandũ timorem quomodo meditabimur.

Zacch. 1. 14.

ginta, & post tam longam, & duram pœnitentiam, venia criminis iam pridem obtenta, adhuc post mortem in obscurissimo lymbi carcere, spatio annorum plusquam trium millium, quot ab eorum morte, vsque ad Christi Redemptoris in lymbum descensum transierunt, reliquas pœnas luere debuerunt. Sanè oportet, grande malum esse peccatum, portentum immane, monstrum planè horrendum, quòd vno tantùm veluti primo afflatu homines adeo florentes, adeo fœlices, ac beatos repente sic infecit, & à tanto bonorum naturæ, & gratiæ culmine in tot mala, & miserias præcipitauit. Sed neque hic stetit quasi omnino placata ira Dei, quippe quæ plurimis alijs effectibus, quos pro secundo capite nostræ considerationis rèliquimus, in Adæ posteros longa serie infœlicium nepotum declarata est, declaratur quotidie, & vsque ad finem sæculorum in ipsis declarabitur. Propterea vocat illos Apostolus natura filios iræ, cùm ait: *Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri*, quia in peccato concepti, gratia Dei priuati fomite peccati magis quotidie inualescente, inolescit vitium pro natura. Nimis profectò magnam oporteret esse Principis illius iram, qui virum clarissimum aulæ suæ primarium, antea sibi addictissimum, & amicissimum ob vnum aliquod delictum, non solùm morti adiudicaret, sed etiam cum tota sua familia, & posteritate eidem capitali pœnæ subijceret, à suo conspectu in perpetuum vellet esse prohibitum, eiectum ex ciuitatibus, panno non nisi vilissimo vestiri, cibo vesci bestiarum in syluis, aut in stabulis iumentorum, & à quolibet posse verberari, vulnerari, interfici. Talis quodammodo reddita est propter peccatum primi parentis eius posteritas, & soboles numerosissima, spoliata diuinæ gratiæ nobilitate, cingulo exauthorata iustitiæ originalis, prohibita à Dei conspectu, idest amisso iure fruendi eius beatifica visione, destinata morti sententia ineuitabili, & statim eius ministris, ac satellitibus tradita, nempe morbis innumerabilibus, cœli iniurijs, terræ casibus, maris infortunijs, aëris inclementijs, sæuitijs bestiarum: præter alia magis domestica mala, vt sunt cæcitas mentis, infirmitas voluntatis, effrenata concupiscibilis, rabida irascibilis, anxia cura quotidiana cibi, & somni pro sustentando nimium misero corpore, & semper moribundo. Vnde *comparatus est homo iumentis insipientibus, & similis factus est illis, cùm antea in honore esset*, ac temperatissima ligni vitæ refectione floridam semper ætatem per iteratas annorum myriades iucundissimè traducere potuisset. Et hæc sunt originalis culpæ temporalia supplicia, iram Dei

Ad Ephes. 2. 3.

Psal. 84. 13.

magnam

magnam denunciantia. Sed eadem ira non minus ostenditur in tertio genere suppliciorum similiter temporalium, quæ non expectata sempiterna damnatione Deus intulit mundo propter peccata actualia superuenientia, & ab originali culpa in hominum deprauata nimium natura scatentia: deseruientibus elementis, aqua, terra, äere, igne conditori suo in vindictam malefactorum. Aqua primùm in diluuio vniuersali, cùm omnis caro corruperat viam suam, & propterea *rupti sunt omnes fontes* Genes. 7. 11. *abyssi magnæ, & cataractæ Cæli apertæ sunt; & facta est pluuia super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*, ait Scriptura diuina, ita vt omnia viuentia, tam de hominibus, quàm de animantibus, bestijs, volucribus, reptilibus, exceptis, quæ in Arca Noe seruabantur, submersa remanserint, aqua cooperiente omnes etiam altissimos montes, quotquot inuenirentur sub vniuerso Cælo. Terra deinde contra primos schismaticos Core, Dathan, & Abiron *aperiens os suum*, vt dicitur in libro Numerorum, *deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa sub-* Num. 16. 32. *stantia eorum, descenderuntque viui in infernum*. Ex inde verò non multo post ignis erumpens alios ducentos quinquaginta seditiosos absumpsit: & quia iterum seditiosus populus ausus est contra Moysem murmurare, quasi eius aliqua culpa tot homines interijssent, iterum egressa est ira à Domino, ait Scriptura, & plaga desæuijt, intantùm verò exarsit ignis immissus à Deo, vt quatuordecim millia, & septingenti viri eodem horribili incendio cremarentur. Sed ante hoc aliud extitit incendium longe maius, & memorabilius, quo infames Palestinæ Ciuitates, cum sua Metropoli Sodoma prodigioso diluuio ignis, & sulphuris, in *Vide Chrysost.* fumum, fauillas, & cineres penitus sunt redactæ: tanta illius an- *hom. 8. in ep.* tea fertilissimæ Regionis vastitate, vt vsque ad hodiernam diem *ad Tessalon.* nihil aliud toto illo tractu terrarum à peregrinis inueniatur, quam cineres, fuligo, torrida, & combusta saxa, stagnante in medio fœdissimo lacu, qui mare mortuum appellatur, vnde semper exhalat fumus quidam tenebrosus, & vapor exitialis, vt regio ipsa pœnas antiqui sceleris luere perpetuo videatur. Sed est ibi aliud in plantis continuum quoddam miraculum stuporem spectantibus incutiens, atque horrorem, quod Ethnici quoque auctores litteris prodiderunt. In illius enim infaustæ regionis, antea vberrimæ, & fertilissimæ circumquaque confinibus nullæ plantæ oriuntur, nisi prorsus infructuosæ, aut speciem fructuum colore, & cortice mentientes: poma enim ibi nonnulla succrescunt maturitatis speciem præseferentia, sed quæ gustari nullo

modo possunt:nam fuliginem,intrinsecus fauillaceã ambitio tantum externæ cutis cohibet,quæ leui tactu pressa fumum exhalat, & fatiscit in vagum puluerem, ait Solinus, confirmat Cornelius Tacitus,& ante hos Iosephus Iudæus prope illam Regionem natus,& educatus. Sed erit fortasse,qui ad hæc omnia obijciat, negari non posse iram Dei magnam sæpe huiusmodi supplicijs innotuisse,vt meritò quidam testetur apud Iob: *Vidi eos, qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, flante Deo perijsse, & spiritu oris eius esse consumptos*: cæterum, quàm multa Deus in hac vita, etiam grauissima peccata dissimulat? Respondet tamen ad id optimè sanctus Augustinus, Deum hac ratione prouidentiam suam nobis euidentius declarare: *nam si nunc*, inquit ipse, *omne peccatum manifesta plecteretur pœna, nihil vltimo Iudicio reseruari putaretur. Rursus si nullum peccatum nunc puniret aperte Diuinitas,nulla esse prouidentia diuina videretur*. Interim dubitari merito potest, peius ne agatur cum illis,quorum Deus peccata etiam grauissima dissimulat, & qui, sicut ait Apostolus, thesaurizant sibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, an cum illis, quos vltio diuina repente subsequitur: *Etenim*, ait Ecclesiastes, *quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrant mala*. Sed hæc impunitas grauior omni pœna debet existimari, nam sensim perducit ad inferni pœnas sempiternas,atque ita dum putat se peccator euitare iram Dei, furorem eius necesse erit aliquando experiatur, qui iam sequitur explicandus.

Solinus c.84. hist. *Tacitus l. 5. hist.* *Ioseph. de bello Iud. lib.5. cap.5.* *Iob.4.8.* *S. Aug.l.1.de Ciuit.Dei c.8.* *Ad Rom.2.5.* *Eccl.8.11.*

4 Tertium itaque magni huius timoris efficacissimum motiuum, Dei furorem iuxta modum loquendi Scripturarum esse dicebamus. Est autem furor, ira quædam vehementior, cum aliqua maiori cohibendi se in pœnis ab altero exigendis impotentia: & quamuis cadere in Deum omnipotentem impotentia non possit, aliqua tamen dicitur Deus facere non posse, vel in quibusdam aliter se gerere non posse, de lege saltem ordinaria, quam ipsemet sibi ab æterno præscripsit, vel promissione aliqua,siue immutabili decreto, aut alio infinitæ suæ perfectionis inuiolabili attributo,sibimetipsi quodammodo obligatus. *Nam quid*, inquit sanctus Ambrosius, *impossibile est Deo? non quod virtuti arduum; sed quod naturæ eius contrarium. Impossibile istud non infirmitatis est, sed virtutis,& maiestatis*. Ita Deus Moysi dicebat aliquando: *dimitte me, vt irascatur furor meus*, cùm tamen non à Moyse, sed potius ab ipsamet sua clementia ad exaudiendum famulum illum suum benigna propensione detine-

S. Ambr. annot.in cap.23. num. *Exodi.32.9.*

detineretur. Contra verò lege sibi imposita vindicatiuæ iustitiæ, & decreto iudicij impermutabilis adigitur, reprobos in statu peccati mortalis ex hac vita decedentes æternis tradere cruciatibus, omnes huius vitæ pœnas, ac tormenta excessu incomparabili superantibus. Quisquis igitur hunc vehementem animi timorem, & horrorem saluberrimum excitare sibi desiderat, proponat ante suæ mentis oculos barathri voragines profundissimas, circa terræ centrum sitas vastissimas, & omni genere spurcitierum refertissimas, *vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*. Ibi quidquid externos, internosque sensus summè potest affligere congestum inuenitur. Nam visus inter palpabiles tenebras, per inextricabiles cauernas, tortores dæmones semper obseruabit, *igneos vultus*, inquit sanctus Basilius, *præseferentes, atque ignem spirantes, ea re propositi, & voluntatis acerbitatem ostendentes, nocti vultu similes, propter mœrorem, & odium in humanum genus*. Auditus horrendis vociferationibus ferietur, planctu, & eiulatu tot infœlicium, blasphæmijs in Christum, sanctos, & omnes creaturas, maximè quas habuerunt in hac vita contra Dei legem chariores. Odoratus fumo, sulphure, graueolentia replebitur, & veluti ex sentina omnis fecis, marcoris, atque putredinis odores hauriet intolerabiles. Gustus felle venenato, amaritudinis acerbissimæ, & acerbitatis amarissimæ discruciabitur. Tactus vndique sentiet penetrantes, & quasi eliquatos ignes, tantæ ad vrendum virtutis, vt non solum inde corpora, sed etiam animæ incendio inextinguibili comburantur. Neque interim deerunt intermixti sensus frigoris acutissimi, nam sicut est apud Iob: *ad nimium calorem transeunt ab aquis niuium*: & propterea dicebat in Euangelio Christus Dominus: *ibi erit fletus, & stridor dentium*: fletus propter fumosum ignem, stridor verò dentium propter algorem, atque intensi frigoris rigorem. Sed nihilo mitius agetur cum infœlicibus in sensibus, & facultatibus animæ internis; siquidem imaginatio atra semper nube doloris occupata nihil valebit apprehendere, nisi doloriferum; appetitus pro remedio tanti mœroris, & tot afflictionum, mortem semper optabit instantem, numquam verò ex toto accedentem, nec in æternum accessuram; voluntas obstinata in malo, perpetuo Dei odio flagrabit, inuidia fælicitatis sanctorum contabescet, rancore, desperatione, verme conscientiæ se ipsam infœlix anima, quasi non ei sufficiant extrinseci tortores, crudelissimè cruciabit. Intelliget tunc, quam immensum bonum

Iob. 10. 22.

S. Bas. in Psal. 33.

Iob. 24. 19.

Matth. 13. 42.

bonum, quàm vili, modica, & momentanea delectatioue perdiderit: quàm multa, & quàm intollerabilia mala, nihilominus sine fine toleranda, quàm paruo, & ferè nullo labore in hac vita redimere potuisset. Quæ cum ita sint, sapienter pius quidam auctor in hac materia sic ratiocinabatur. Si aliquo diuino oraculo nobis constaret ex omnibus Adæ filijs, quotquot vmquam nati sunt, & nascentur aliquando, vnum tantum æternis illis supplicijs diuino iudicio fuisse destinatum: adeo tamen grande est hoc malum æternæ damnationis, vt meritò deberet vnusquisq. perhorescere, ne fortè ipse futurus sit ille infortunatissimus, quem sors adeo calamitosa præstolatur. Iam verò cùm tam sæpe, tam certò, tam expresse ille, qui mentiri non potest, Christus Dominus in Euangelio contestetur, esse admodum paucos, qui saluantur, plurimos, qui damnantur; profectò valde suæ salutis immemorem illum esse oportet, quem si non mouet diuinæ iustitiæ attenta consideratio, excitet saltem à somno vecordiæ magna ira Dei, & indignatio æterna, & furor eius impermutabilis. Sed ad vlteriores, & altiores affectus iam transeamus, qui nisi huic, de quo agimus adiungantur, imperfectum nostræ in Deum conuersionis, & spiritualis salutis negotium relinqueremus.

CAPVT SECVNDVM.

De abominatione peccati mortalis.

Quare hoc odiũ dicatur abominatio.

1 VOCAMVS hunc affectum abominationem, quia odium esse debebit non qualecumque, sed omnium maximum, iuxta illud, quod in Psalmo legimus: *iniquitatem odio habui, & abominatus sum:* tamquam rem odibilem supra omnia odibilia, & detestabilem supra omnia detestanda. Loquemur autem hic præcipue de peccato mortali, tum de odio peccati venialis in capite sequenti. Qua verò potissimum ratione huiusmodi peccati odium concipiatur interrogans S. Basilius, in regulis breuioribus, ita respondet. *Vbique tristis, & acerbus rei cuiusque euentus odium aduersus eos conciliat, qui eius auctores fuerunt. Si cui igitur persuasum fuerit, quot, & quàm grandium malorum causa peccatum sit, sponte sua, & ex animo aduersus illud odium concipiet, eiusmodique*

Psal.118.163.

S.Basil.in reg. breu.interrog. 11.

dique quale is indicauit, qui dixit: Iniquitatem odio habui, & abominatus sum. Hæc itaque abominatio ex quinque capitibus quæ in promptu meditanti de hac materia esse debebunt, facile excitabitur. Primum est, peccatum esse rem grauissimam omnium, quæ possunt accidere creaturæ intellectu, & ratione præditæ. Secundò esse omnium fœditatum fœdissimam. Tertiò esse rem perniciosissimam, & supra omnia mala nocentissimam. Quartò nullum esse malum in mundo, quod ab hoc malo, tamquam à fonte, ac principio non ducat originem. Quintò absolutè, ac simpliciter nihil esse in hac vita malum, nisi peccatum, alia verò tantùm esse mala secundum quid, & minus propriè mala nominari. Quæ antequam à nobis ostendatur, obseruare oportet, hunc affectum abominationis peccati propterea secundo loco post affectum timoris hic esse propositum, quia est aliquantulum illo perfectior, & ad animæ salutem conducibilior. Fieri enim potest, vt cum affectu iam exposito timoris quantumuis vehementis, voluntas quædam conditionata in corde remaneat, vt si non esset infernus, vel non tam seuerè à Deo puniretur hoc, siue illud peccatum, ego id committerem. At voluntas, quæ peccatum propter intimam eius malitiam, turpitudinem, ac fœditatem auersatur, similem conditionem non admittit, sed ipsam in se culpam, vt est ad veram pœnitentiam necessarium absolutè auersatur. Et quamuis fieri possit, vt ad malum prona, & infirma semper ad bonum hnmana voluntas, culpam absolutè nolit, & à se omnino reijciat, velit autem ipsam actionem, quæ culpæ subest, cum hac conditione, si turpis, actio illa non esset, vel adiunctam culpam non haberet, aut si à Deo non prohiberetur: tamen illa tunc actio non esset peccatum, neque dici propriè posset, siue pro parte materiali, siue pro formali talis actionis, peccati admissam esse voluntatem; sed admissa fuisset circa materiale, si conditio formalis amoueri potuisset. Quod quia fieri non potest vbi malitia intrinseca est actioni, cogitatio illa saltem speculatiuè chimerica est, & otiosa, practicè verò in materia insidiosæ voluptatis erit periculosa: dum illa conditio, si non esset hæc actio peccatum, fortè manet tantum pro executione operis externi, in interno autem mentitur iniquitas sibi, dum à se decepta voluntas sine alia conditione in mortifera delectatione illicitæ cogitationis absolutè commoratur.

Quinque motiua huius abominationis.

Psal. 26. 12.

2 Sed ad primum abominationis peccati motiuum veniamus, quod in eo consistere dicebamus, vt intelligatur nihil grauius

Primum motiuum abomi.

nationis peccati est eius mali grauitas. uius creaturæ intellectu, ac ratione præditæ posse contingere, quàm lethale peccatum. Id exemplo triplici per quãdam similitudinem posset declarari. Primùm si tale sit aliquod onus, quod humeris impositum hominis robustissimi, cogat illum valde curuum incedere, liuentibus scapulis, & vix sub pondere sinat eum respirare. Secundò si non solùm ita deprimat, sed etiam deorsum præcipitet in abyssum profundissimam, sicut lapis ille molaris, de quo dicitur præbenti scandalum in Euangelio: *expedit ei, vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Tertiò si præcipitatum ita deorsum teneat, & premat, vt nulla vi, nullàque potentia, neque si licet ita loqui, ab omnipotentia Dei, stante illo pondere, & opprimente, valeat subleuari. Primum in se ipso expertus Propheta regius deplorabat, cùm in vno ex Psalmis, quos pœnitentiales appellamus, Deum deprecaretur: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me:* atque vt illum ad miserationem inflecteret, statim adiunxit: *quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me: putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Miser factus sum, & curuatus sum: tota die contristatus ingrediebar.* Est autem hoc pondus ex eo molestissimum, quod non gestatur extrinsecus, vt onera, quibus humeri supponuntur, sed intus hæret in corde, in conscientia, ibi animam aggrauat, nec sinit, nisi deorsum terram aspicere, sicut de quibusdam alio in Psalmo dicitur: *oculos suos statuerunt declinare in terram.* Et hoc adhuc parum esse videri posset, nisi secundum accederet, quod nimirum tanta sit vnius peccati grauitas, vt non solum deprimat robustissimum quemque; sed etiam ad ima demergat, ipsoque in voluntate persistente etiam à culmine cælorum præcipitet irreuocabiliter in abyssum. Id experti sunt primùm Angeli desertores, qui cùm essent creaturæ omnium potentissimæ, & præstantissimæ per vnius peccati consensum Lucifero adhærentes, nec à firmitate cælorum, *qui tamen*, vt est apud Iob, *solidissimi quasi ære fusi sunt*, detineri potuerunt, quò minus cum suo criminis Antesignano reuerent omnes potius in infernum inferiorem. Hoc pondus *currus Pharaonis & exercitum eius deiecit in mare, electi principes eius submersi sunt in mari rubro. Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis, & sicut plumbum in aquis vehementibus.* Nec est absimile, quod Euangelistæ Ioanni apparuit in sua Apocalypsi, cùm vidit immanem draconem septem coronatis ca-

Marginal references: Matth. 18. 6. — Psal. 37. 1. — Psal. 16. 11. — Iob. 37. 18. — Exodi. 15. 4. — Apoc. 12. 4.

tis ca-

tis capitibus minacem,& formidabilem è cælo deorſum tertiam partem ſtellarũ deturbare. Monſtrum hoc eſt peccatum in alia ſeptem, quæ capitalia dicuntur, diſtinctum, cuius conſenſu implicati etiam ex illis non pauci, qui circa extrema tempora Antichriſti in Eccleſiæ cælo tamquam ſtellæ ſplendeſcere videbantur, impellente dæmone ruent ad interitum ſempiternum. Tertiò quanta demum ſit vnius mortalis peccati grauitas ita poteſt declarari,quia magnum profectò pondus illud eſſe oportet, quod quemcumque ſibi alligatum non ſolum impetu maximo deorſum præcipitaret, verùm etiam in illo profundo ſic detineret, vt nulla vi, neque humana, neque angelica, neque etiam diuina, poſſet perſona illi alligata releuari, & aſſurgere, niſi eiuſmodi vinculo diſrupto, ab illo duro pondere liberaretur. Similis autem eſt, vel etiam multo deterior conditio miſeri peccatoris, qui quamdiu vel vnius mortalis culpæ nondum per gratiam dimiſſæ reus inuenitur, etiamſi totius mundi abſolutum dominium obtineret, haberet quoque omnes virtutes morales, non deeſſent præterea fauores, & interceſſiones omnium ſanctorum; niſi inter hæc Dei, gratiam ſanctificantem acceperit ab omni lethali culpa iuſtificantem, iacebit in tenebris à Deo remotiſſimus,inuiſus illi, deſpectus, inimicus, reus perditionis,& gehennæ filius,igni æterno cum dæmonibus deſtinatus.

3 Secundum principale motiuum abominationis peccati poſuimus fœditatem, eamque talem, ac tantam eſſe in peccato, vt magno exceſſu omnes alias imaginabiles ſuperet fœditates. Dicitur enim aliquid fœdum primùm ad aſpectum,vt ſunt monſtra, quæ peccata naturæ ab Ariſtotele appellantur. Secundò ad odoratum, vt ſunt cloacæ, ſentinæ, cadauera, & id genus alia putreſcentia. Tertiò ad tactum ſi adeo inficiat, vt res quamtumuis mundiſſimas, puta vas nitidiſſimum, & pretioſiſſimum ſolo eius contactu adeo reddatur abominabile, vt ſtatim à menſa, & oculis Domini debeat remoueri, frangi, & proijci in ſterquilinium. Hæc omnia, quanto cum exceſſu inſint peccato iam videamus: in primis enim monſtrum quoddam, eſt peccatum, planè horrendum, ipſo dæmone deformius; immo non aliunde habet dæmon deformitatem ſuam, quam à peccato; cùm de cætero ſubſtantiam ſuam nobiliſſimam naturæ planè ſpiritualis, impartibilis, & immortalis non immutauerit, nec etiam potuerit immutare; niſi quòd ſpoliatus gratiæ donis ſupernaturalibus, inducta fœdiſſima peccati macula horrendè propter illam deformatus ſit. Quòd ſi adeo tetra, & monſtroſa reddita eſt

Secundum motiuum abominationis peccati eius fœditas.

Ariſt. 2. phiſ. tom.82.

ſpecies

ſpecies creaturæ tam nobilis, tam inclytæ, ac ſpecioſæ, ſicut eſt Angelus, ſolum propter adhærens peccatum, vt dæmonum apud Inferos aſpectus magna ſit pœna, & afflictio damnatorum; quid erunt, non vnicum ſuperbiæ, ſed tam multa omnis generis peccata in homine conſiderata, qui Angelo natura ſua eſt inferior, & qua parte conſtat ex luto corporis, & fœtidæ carnis, iumentis, & pecoribus aſſimilatur? augetque ſibi quotidie magis eam ſimilitudinem homo peccator, culpas iterando, quibus beſtias varias ſæpe ardentiori appetitu, quàm dæmones faciant, imitatur. Neque enim dæmones corporis, ac ſenſus prorſus expertes ijs peccatis, quæ corpore, & ſenſu perficiuntur, niſi propter reatum noſtrum delectantur. Quare ſi horrendum eſt diabolum intueri fictam ſibi ſpeciem ex condenſato aëre conflatam induẽtem hirci, draconis, aut alterius prodigioſi animantis; non minus conſeri deberet fœdum, & abominabile videre hominem deprauatis moribus referentem ob ingluuiem lupum, ob impudentiam canem, ob iracundiam, & crudelitatem tygridem, aut aliud quid huiuſmodi, non tam in ſpecie, quàm in opere ferinum, & planè brutum, ac belluinum. Secundò apparet peccati fœditas quoad olfactum non tam corporis, cui vanis ſæpe odoribus illuditur à vanis hominibus, & coram Deo fœtidis animabus, quàm odoratui ſpirituali: niſi quòd etiam illud primum ad hoc ſecundum magis declarandum, ſcimus iuſto Dei iudicio interdum contigiſſe. Refert S. Antoninus, quemdam Eremitam longum inter Angelo comite aliquando ſuſcepiſſe, vt Dei iudicia ſæpe ab humanis valde diuerſa modo aliquo inueſtigaret, & primùm in quoddam cadauer hominis non pridem mortui, tunc putreſcentis incidiſſe, ex cuius graui odore coactus eſt nares digitis compreſſas, quouſque longius recederet, continere; Aliquantò verò poſt occurriſſe illis iuuenem floridæ ætatis valde ornatum, comptum, & odoribus delibutum; & tunc primùm Angelum ſibi nares diligenter occluſiſſe, quaſi pro odore fœtorem hauriret intolerabilem, quod etiam ſocio admiranti explicauit dicens: hunc ſecundum incomparabiliter magis fœtere, quàm primum, eo quòd animam multis peccatis mortuam, & vitijs putrefactam haberet. Ad huius rei confirmationem S. Baſilius in homilia quadam contra peccatum, ait tamdiu nos Angelorum viciniori cuſtodia non priuari, nec à nobis illos recedere, quamdiu noſtris prauis facinioribus non abiguntur: *nam vt apes*, inquit ipſe, *fumus fugat, vt columbas fætor arcet, ſic cuſtodem vitæ noſtræ Angelorum lacbrymabile, ac fœtidum*

S. Antonin. 4. par. ſumma tit. 14. c. 6. §. 1

S. Baſil. or. 3. de peccato.

pecca-

peccatum repellit. Sunt & alia insignia in hoc genere exempla à Beato Petro Diamiano relata in Epistola ad Blancam Comitissam, de ijs maximè, qui tetrum suæ malæ vitæ, & corruptæ conscientiæ odorem putarunt vnguentis pretiosis, & narium delicatis oblectamentis posse contegere, vel compensare: sed iusto Dei iudicio, aut in vita morbo aliquo fœdissimo, aut in morte insolito fœtore cadaueris, aut post mortem aliqua terribili apparitione animæ teterrimè olentis, quā essent abominabiles innotuerunt. Legimus quoque in vita B. Catarinæ Senensis, eam Senis commorantem peccatorum sensisse fœtorem, quæ à multis in Romana Curia committebantur, eàque de re grauiter apud Gregorium XI. esse conquestam. Tertiò rei abominabilis fœditas ex contactu deprehenditur, si nimirum adeo inficiat, vt vas quàmtumuis pretiosum, vel quid simile pestifero illo liquore etiamsi leuiter imbutum, statim sit proijciēdum, confringendum, & inter sordes procul ab omnium oculis amandandum. Quale vas cælestium donorum, & gratiarum esset Lucifer, quàm pretiosum, exornatum, & speciosum, legimus in Ezechiele de illo scribente, fuisse operimentum eius in decore auri, & in omni lapide pretioso, atque ignito, rutilantibus vndique in vestimento ipsius pyropis, smaragdis, sapphiris, alijsque gemmis longo ordine à Propheta recensitis; quibus mysticè varia eius dona tum naturalia, tum supernaturalia indicantur: & tamen vbi primùm mortifero peccati contagio cœpit esse infectus, & alios plures ex illis spiritibus nobilissimis malo consentientibus inficere, omnes ab Empyreis sedibus ingenti ruina deturbati sunt: *Nec vlli eorum*, vt ait in sua secunda epistola S. Petrus, *Deus pepercit, sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos.* Hæc à nobis breuiter perstricta consideratio in aliam sensim inducet, quam pro tertio motiuo principali abominationis peccati explicare tertio loco proposuimus.

Petrus Dam. l.7.ep.19.

S. Catar. vita lib.3.c.7.

Ezech.28.13.

S. Petri ep.2. cap.2.4.

4 Est igitur tertium motiuum odij vehementis contra peccatum, ipsa peccati bene perspecta malignitas superans aliud quodcumque in omni genere grauissimum, & perniciosissimum malum. Id autem sic ostendi potest: quia malum nihil est aliud, quam priuatio alicuius boni; vnde mali nullam esse substantiam, speciem, vel naturam SS. Patres contra Manichæos sæpe docuerunt: *Mali*, inquit, S. Augustinus, *nulla natura est, sed amissio boni, mali nomen accepit*, & S. Io: Damascenus; *nihil*, inquit, *est malum, nisi priuatio boni, sicut tenebræ luminis*, idem quod dixit S. Dionysius Areopagita relatus ibidem à Damasceno. Est

Tertium motiuum abominationis peccati est, esse omnium malorum perniciosissimum.

S. Aug. lib. 11 de ciu. cap. 9.

S. Damas. l. 2. fidei c. 4.

S. Dionys. c. 4. de diu. nom.

no. Est autem genus triplex præsentium bonorum, vt ex his ad futura, & æterna bona facilius internoscenda veniamus; in primo genere ponuntur diuitiæ, quæ bona furtunæ vulgò nominantur: secundum genus bonorum continet famam, & honores: tertium consistit in vita, & quæ ad vitam, vt bona valetudo, & membrorum integritas, reducuntur. His proinde tria malorum genera opponuntur, paupertas, infamia, & mors, ad quæ alia omnia mala, & vitæ huius miseriæ possunt reuocari. Iam verò peccati malum hæc omnia mala, etiam simul sumpta per se superat excessu propemodum infinito. Nam in primis paupertas diuitijs quidem spoliat, sed quibus tandem, nisi fluxis, temporalibus, & caducis? quas adeo parui facit æquissimus rerum æstimator Deus, vt eas in terræ visceribus abscondisse, tamquam luce indignas, aut detectas fortunæ ludibrio reliquisse, & bonis indifferenter, ac malis, sæpe etiam liberalius malis indulsisse, per quamdam despicientiam videatur. At verò peccatum diuitijs priuat spiritualibus, idest veris, solidis, sempiternis; spoliat animam gemmis virtutum cælestium infusarum, auro inæstimabi diuinæ gratiæ, cuius vel vnicus gradus, maius est bonum, quàm bonnm naturæ totius vniuersi, teste doctore Angelico Aquinate: cui manifesta ratio suffragatur, quia si venalis esset diuina gr atia, præterquàm quòd gratia non esset, vt dixit Apostolus: *Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia, iam non est gratia:* adhuc tamen longè altiori pretio, quàm quibusuis naturæ bonis, etiam simul omnibus in vnum congestis emi oporteret. Quare de hac re disputans, sub nomine Sapientię Iob sapientissimus: *Non dabitur*, inquit, *aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius: non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi sardonycho pretiosissimo, vel sapphyro. Non adæquabitur ei topatius de Aethiopia, nec tinctura mundissimæ componetur.* Secuudum genus malorum in hac vita censetur esse infamia, dedecus, ignominia: at malum in hoc genere illatum à peccato non est priuatio famæ popularis, fucati honoris, gloriæ mundanæ, & transitoriæ, quamquam hæc etiam sæpe minuitur, & non raròtota perditur propter peccatum: sed est priuatio veræ gloriæ, quæ est apud Deum, spoliat dignitate adoptionis in filium Dei, iure supernæ Ciuitatis. Nam admissa tantum vnica lethali culpa, statim peccator proscribitur in tota aula cælesti, tamquam infamis Dei hostis, inimicus capitalis, improbus perduellis, & pro tali, nisi resipiscat, omnibus creaturis declarandus in extremo

S. Thom. 1. 2. q. 113. art. 9. ad 2.

Iob. 28. 15.

Iudicij

Iudicij magni die, seuerissima illa Dei maledictione, qua nulla potest esse funestior: *ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius:* ex qua reprobi tanto afficientur dedecore, vt sicut testatur in Euangelio Christus Dominus, dicturi sint montibus: *cadite super nos, & collibus operite nos.* Quod tandem obtinebunt, non pro consolatione aliqua, sed pro complemento omnium desolationum, & cumulo æternarum miseriarum, absorpti omnes à terræ faucibus cum corporibus, & animabus in inferni cæcas profunditates. Interim verò donec tremenda supremi Iudicis sententia proferatur, iacebunt in superficie terræ despicatissimi, illi antea sublimissimi Mundi Monarchæ, ac Tyranni superbissimi, qui pauperes Dei famulos *tamquam purgamenta Mundi huius, & omnium peripsema,* nec aspicere dignabantur. Tunc autem cogentur illos in altissimis gloriæ sedibus splendididissimos Christo Iudici pro maiestate assidentes eminus intueri: *& videntes turbabuntur timore horribili,* ait diuina Scriptura, proferentes illas inutiles, & desperatæ pœnitentiæ voces. *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. Ergo errauimus à via veritatis.* Et sanè quando etiam non ageretur de futura pœnarum, & præmiorum æternitate, sed solum de vniuersali illo certi temporis spectaculo omnium, qui vnquam vixerunt, viuent, & victuri sunt hominum, atque etiam Angelorum, tantæ pro reprobis confusionis, & pro electis commendationis, gloriæ, & dignitatis; posset, ac deberet esse plusquàm satis ad illius diei dedecus, & ignominiam omnibus huius vitæ contumelijs, & ignominijs anteponendam; & illum honorem, atque exaltationem, omnibus Mundi gradibus, & honoribus præferendum. Tertium genus malorum vitæ præsentis, & quidem maximum est, mors, quæ nihil est aliud, quam vitæ corporalis priuatio, siue animæ à corpore, quod antea viuificabat violenta separatio. Reuocantur autem ad id genus vulnera lethalia, febres, & infirmitates mortiferæ, quæ omnia peccato comparata mala inferioris ordinis, & multo minora esse inueniuntur. Est enim febris, quædam natiui caloris distemperies: At peccatum mortale totius extinctio charitatis: vulnus lethale semita quædam est vitæ à corpore secedentis; peccatum expulsio diuinæ gratiæ animam viuificantis: mors est animæ à carne disiunctio; peccatum est Dei ab anima separatio: *Mors animæ fit,* inquit sanctus Augustinus; *cùm eam deserit Deus, sicut corporis,*

Matth. 25. 41.
Luca. 23. 30.
1. Cor. 4. 16.
Sap. 5. 2.
S. Aug. l. 13. de Ciuit. c. 2.

poris, cum id deserit anima: vtriusque idest totius hominis mors est, cùm anima à Deo deserta deserit corpus. Quanta igitur differentia est inter corpus, & animam, inter animam, & Deum, tanta est inter mortem corporalem, & mortem animæ spiritualem, quam infert peccatum. Malum itaque est peccatum supra omne huius vitæ malum, siue in genere infamiæ, siue mendicitatis extremæ, siue etiam lethalis cuiusuis infirmitatis, & mortis.

Iob, 18.12. Quod totum paucis significatum legimus apud Iob illis verbis contra peccatorem prolatis: *Memoria illius pereat de terra, & non celebretur nomen eius in plateis. Attenuetur famè robur illius, & inedia inuadat costas eius: deuoret pulchritudinem cutis eius, consumat brachia illius primogenita mors*. Quod si adhuc aliquis velit compendiosius intelligere quàm grande malum sit peccatum, attendat quia diximus malum nihil aliud esse, quàm priuationem boni, quali tandem bono anima priuetur ex peccato, summo nimirum, & incircumscripto omnium bonorum bono, quod est Deus. Vnde sequitur nostrum summum malum esse peccatum, & cum alijs malis minimè comparandum, sicut infinita Dei bonitas, & immensa perfectio cum alijs creatis bonis, & perfectionibus nequaquam bene comparatur.

Quartum motiuum est esse peccatum malum omnium aliorum malorum causam.

5 Sed ad quartum vlterius abominationis peccati principale motiuum procedamus: non enim solùm adeo magnum in se malum est culpa mortifera, quale iam diximus, verum etiam omnium aliorum malorũ causa, origo, & quædam omnium aliarum miseriarum perpetua scaturigo. Non credatur mihi, nisi rem ex diuinis scripturis probauero, & manifesta ratione demonstrauero. *Deus mortem non fecit*, inquit Salomon in primo

Sap. 1. 13. capite Sapientiæ. Quis ergo illam in mundum induxit? *Inuidia*

Sap. 2. 24. *diaboli*, ait capite sequenti, *mors introiuit in orbem terrarum*,

Ad Rom. 5. 12 per quam verò portam? explicauit Apostolus ad Romanos scribens: *per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita per omnes homines mors pertransijt*. Non est autem dubitandum cum morte introductas fuisse, quæ alioquin ad nos non perueniſſent comites mortis ægritudines, & ægritudinis administras, famem, inopiam, mendicitatem, Cæli, & Elementorum inclementias, bestiarum sæuities, præter illa interna grauiora animæ vulnera, in intellectu ignorantiam nostri vltimi finis, & mediorum ad illum; in voluntate cæcum amorem sui, & veri boni, ac rerum spiritualium inappetentiam, efferatos motus in irascibili; effrænatas cupiditates in concupiscibili. Itaque si quis velit mente breuiter perlustrare quot, quantorumque malorum causa sit peccatum: consideret tot funera

nera

nera filiorum Adæ, ex quo Mundus incœpit vsque ad hanc diem: inspiciat sepulcra fœtentia, & vermibus scatentia: componat mente quasi in vnam struem carne, pellibusq. consumptis arida ossa omnium hucusque mortuorum, quæ nisi maxima ex parte etiam ipsa in pulueres rediissent, posset vsq. ad cœlum quodammodo, cumulus cadauerum peruenire. Attendat noua pro nobis constructa sepulcra, dirutis nimia vetustate antiquioribus: hæc nos expectant, non per vnam ætatem, sicut palatia, sed in angusto angulo, & tenebroso exceptura per sæcula. Lustret cogitatione mundi hospitalia, numeret ibi, si potest languidos, morbosos, vlcerosos, semineces. Intret præterea per considerationem priuatas domos, attendat discordias parentum cum filijs, fratrum inter se rixas, & contentiones, odia nouercalia venena subministrantia. Exeat deinde ad forum, & publicas vias, obseruet apertiores inimicitias, dolos opificum, fraudes vendentium, ementium iniquitates, furta diripientium: extra ciuitates obsessas à latronibus vias, & à pyratis impedita maria, quasi monstra maritima ad nostram perniciem non sufficerent, nec armatæ contra nos dentibus, & vnguibus in siluis feræ belluæ. Pro his, ac similibus malis coërcendis alia expediuntur mala, armati terra marique milites, carnifices, compedes, carceres, patibula, rotæ, lanienæ. Sed quia vix delictorum minima pars humana iustitia puniri, aut alia mortalium prouidentia potest impediri; ideo necesse fuit diuina omnipotentia construi carceres multo ampliores, & longe profundiores, vbi tormentis in omni genere exquisitissimis, & ab infatigabilibus dæmonibus perpetuo inflictis, impij meritas pœnas sine fine persoluant. Quæ cum ita sint, mihi tamen in nulla alia re magis peccati noxia, & virulenta natura videtur apparere, siue miserias vitæ præsentis in vnum conferamus, siue futuræ apud Inferos, quàm in acerbissima passione, ac morte vnigeniti filij Dei, de quo, si de vllo alio, maximè verum esse oportebat, quod à Propheta dictum fuit in psalmo: *non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo:* & tamen propter solam vmbram peccati, quam in se recepit, cùm peccatum ipsum nec admisisset, nec admittere potuisset vllo modo, quid non est passus omnium Creator à suis creaturis, earum indutus carne passibili, vt pati posset? Nam post innumerabiles pro ipsis susceptos labores, pauperiem, famem, frigora, lassitudines, captus est quasi latro in fragranti crimine, ligatus, vt fugitiuus, colapho in faciem percussus, vt male moratus, sputis, alapis, calcibus inhonoratus, & diuexatus, tamquam execrabilis: per vias publicas tractus, trusus, conculcatus, *quasi vermis, &*

Psal.90.10.

Psal.21.7.

non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis: ductus ad varia tribunalia, tamquam diuersorum criminum reus, & notorius malefactor, accusatus, vt sacrilegus, condemnatus vt blasphemus, ab Herode spretus vt stultus, à Pilato fustibus cæsus, vt vile mancipium, à militibus spineo diademate coronatus, purpura indutus, arundine in capite percussus, tãquam ambitiosus, fictus Regulus: à superbia dementatus: voce populi proclamatus indignior vita, quam seditiosus, & homicida, Cruci tandem inter duos latrones affixus, tot contumelijs, tanta ignominia, & tam barbara crudelitate, quantam Sol nunquam se aspexisse, terra nunquã se sustinuisse, insuetis ille tenebris, hæc inauditis concussionibus, ac tremoribus indicarunt. Si quis autem æternum Patrem interrogauerit, cur innocentissimum suum vnigenitũ permiserit talibus mserijs, tot supplicijs, malis tam horrendis esse subiectum: respondebit ipse per Prophetam: *propter scelus populi mei percussi eum.* Respondebit Isaias: *verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit: vulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra.* Respondebit ipse Saluator: *His plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me:* siue vt septuaginta interpretes eadem verba reddiderunt: *His plagatus sum in domo dilecti mei,* ideſt populi adeo mihi dilecti, vt credi vix possit, me ab ijs, pro quibus, & à quibus talia patiebar, non fuisse redamatum, & maxime dilectum. Quod si à pretio, & qualitate medicinæ morbi qualitas, & grauitas æstimatur, grauia planè, & plusquam dici, & cogitari possit exitialia reputanda sunt illa vulnera, pro quibus oportuit Dei filium adeo crudeliter vulnerari, vt pretiosissimo sanguinis sui balsamo pararetur nostris vulneribus medicina. *Agnosce ò homo,* inquit S. Bernardus; *quam grauia sint vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Dei filius moreretur.* Sed hæc satis de huiusmodi motiuo abominationis peccati.

Isai. 53. 8. Isai. 53. 4. Zach. 13. 6. 70. interpretes. S. Bern. ser. 3. de natiui.

Vltimum motiuum abominationis, quia peccatum est solum simpliciter malum.

6 Supereſt vltimum, vnde odium peccati maximum supra omnia odibilia concipere debeamus. Hoc autem est, ipsum solum peccatum propriè, & cum omni veritate simpliciter dici malum, alia non esse, nec proinde mala simpliciter dici posse. Non erit autem difficile hoc totum authoritate sacrarum scripturarum, exemplis, ac rationibus comprobare. Authoritas sit Isaiæ Prophetæ signum illud magnum exponentis, quod erat daturus Deus Regi Achaz, & Domui Dauid: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, butyrum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.*

Isa. 7. 10.

Emma-

Emanuel interpretatur, nobiſcum Deus: id quod arctiſſima coniunctione hypoſtaticæ vnionis eſt factum, Verbo naturam noſtram ex Deipara Virgine ſuſcipiente, & ſuo nos exemplo docente reprobare malum, & eligere bonum; neque ſolum bonum, verum etiam ex vnaquaque re, quod eſt optimum, ſicut qui ex lacte, relicto caſeo deligit butyrum, & ex fauo ſepoſita cera, mellis dulciſſimam portionem. Et tamen de huius vitæ miſerijs, ignominijs, paupertate, doloribus, & violentæ mortis acerbitatibus, tantum incarnata Dei Sapientia ſibi delegit, quantum nemo alius in hac vita: vt propterea Chriſtum appellauerit Iſaias, *deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem:* Et Apoſtolus dixerit, *tentatum per omnia pro ſimilitudine, abſque peccato:* ſolo nimirum peccati malo in ſe non ſuſcepto, ſed à ſe ablegato, & longè reiecto: ſolum igitur peccatum eſt abſolutè, & ſimpliciter malum. Atque hinc eſt, quod ſi non tantùm propriè, ſed etiam verè loquendum ſit, à malo culpæ malus vnuſquiſque, à malo verò pœnæ malus nemo denominabitur. Alioquin optimi quique, ac ſanctiſſimi viri peſſimè à mundo tractati, quibus propterea, vt dicitur in epiſtola ad Hebræos, *dignus non erat mundus*, minus boni, vel etiam, quod piæ horrent aures, peſſimi dici potuiſſent: ſi quidem pluſquam alij mortales, *egentes, anguſtiati, afflicti, in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & cauernis terræ, ludibria, & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt*. Deinde cùm malo pœnæ liceat adeo bene vti, vt multiplices in eo beatitudines eſſe repoſitas Chriſtus Dominus in Euangelio declarauerit, dicens: *Beati qui lugent; beati, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: beati eritis, cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint.* Malo tantùm culpæ, niſi aboleatur nemo vti bene poteſt. Hoc igitur, cui nihil ineſt, nec ineſſe poteſt quidquam boni, eſt verè dicendum, & exiſtimandum malum, malum videlicet culpæ, non malum pœnæ. Cùm enim culpa nunquam eſſe poſſit honeſta, & ſit ſemper inutilis, quamtumuis peccando aliquis totum mundum lucraretur; ſemper enim plus eſſet, quod amitteret: pœnæ tamen malum reſpectu infligentis ſæpe eſt iuſtiſſimum, reſpectu verò patientis vtiliſſimum; atque, vt in ſacris litteris ſæpe repetitur, etiam beatum. Deniq. malum pœnæ, ſicut & bonum Deus amat, ex ſe diſponere, ordinare, eius auctor eſſe, & prædicari: vnde ſic ipſe loquitur per Iſaiam: *Ego Dominus, & non alter, formans lu-*

Iſaias 53.3.
Ad Hebr. 4. 15.
Ad Hebr. 11. 38.
Ad Hebr. 11. 36.
Matth. 5.5.
Iſai. 54.7.

cem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum; & per
Amos 3.6. Amos: *si erit malum in Ciuitate, quod non fecerit Dominus*: solum peccati, & culpæ deteſtabile malum ſic aduerſatur ſummo bono, vt quamuis in bonum aliquatenus permittatur à diuina prouidentia, nullo tamen modo perfici, nec in ſe adiuuari poſſit ab omnipotentia, nec tolerari à iuſtitia, nec approbari à ſapientia.
Abach. 1. 13. *Mundi ſunt oculi tui*, dicebat hac de re cum Deo loquens Propheta, *ne videant malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris*. Quale igitur erit hoc monſtrum, quod Deus non poteſt efficere, nec velle, nec aſpicere; & hoc ſi poſſet deberet deficere, & amplius Deus non eſſe? O peccatum, libet exclamare, ſeductio creatæ voluntatis, peruerſitas rationis, animæ infectio, virium illius deprauatio, gratiæ diuinæ peremptio, extinctio charitatis, laqueus mortis, rete diaboli, ſemita æternæ perditionis, exitium humanæ, & Angelicæ fœlicitatis, fera peſſima, dæmoniacum portentum, fœditas fœditatum, malum omnium malorum, ante omnia cauendum, pluſquam omnia horrendum, ſuper omnia abominandum, ac deteſtandum: & quid odit, qui te non odit? ſeipſum odit, bonum ſuum odit, immo omne bonum, & ſummum bonum, & odio eſt Deo ſummè bono: *odio*
Sap. 14. 9. *enim ſunt Deo impius, & impietas eius*, vt dicitur in libro Sapientiæ. Atque hæc ſatis ad occaſionem ſapientibus præbendam excitandæ abominationis peccati mortalis: ſequitur agamus de odio peccati venialis.

CAPVT TERTIVM.

De affectu odij peccati venialis.

1 DE ratione hunc odij ſaluberrimum affectum eliciendi, vbi occaſio inter meditandum ſe obtulerit, conſequenter agendum ſuſcepimus in hoc capite, tum quia valde affinis eſt affectui capite ſuperiori explicato, tum quia in gradu conſiſtit quodammodo altiori; nam peccata non ſolum grauia, ſed etiam leuia deteſtari maioris perfectionis eſt, quàm ſolum odiſſe mortalia; tum etiam, quia, cupientibus à via incipientium ad viam progredi proficientium, hic affectus eſt apprimè neceſſarius. Huius odij efficaciora motiua priuſquam exponamus, ſupponere tria oportebit: Primum

eſt

est inter peccatum veniale,& mortale iuxta Sanctorum Patrum doctrinam, præsertim S.Augustini, quem S.Thomas, & cæteri theologi sunt secuti, eam quodanımodo esse differentiam, quæ est inter accidens, & substantiam, dispositionem, & formam, ægritudinem,& mortem. Nam quemadmodum accidens rei substantiam ex se non variat, vt calor exempli gratia, vel siccitas in ligno, propriam, & substantialem ligni formam ex se, nisi alia forma substantialis adueniret,non immutaret; tantum enim disponit ad suscipiendam formam ignis,qua ligni propria forma pelletur, & natura illius destruetur. Sic etiam ægritudo ex se non occidit, quasi ipsa sit propria mors animalis, sed crescendo tandem proximè disponit ad interitum,& aduocat mortem. Ita peccatum quamdiu terminos culpæ venialis non excedit mors animæ dici nequaquam potest: sensim tamen disponit ad culpas grauiores, quibus superuenientibus, necesse est anima spiritualiter moriatur. Quapropter non semel sanctus Thomas etiam ex eo animam in peccato mortali constitutam mortuo cadaueri comparauit, & habentem culpas veniales homini ægrotanti; quia quemadmodum non potest mortuus corrupto prorsus interno vitæ suæ principio suscitare seipsum; potest tamen ægrotus interna virtute adiutrice ad pristinam se reducere sanitatem: ita non potest qui vita gratiæ per peccatum est priuatus, eandem viuificatricem gratiam de condigno promereri, sed opus habet à Deo gratis, & per misericordiam iuxta merita Christi Redemptoris indulgeatur,vnde ait Apostolus: *iustificati gratis per gratiam ipsius, & redemptionem, quæ est in Christo Iesu.* Quæ verba sic Tridentina Synodus interpretatur: *gratis iustificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera ipsam iustificationis gratiam promerentur.* Potest tamen iustificatus pro peccatorum leuiorum maculis venialibus de condigno, & perfectè satisfacere, actus tantæ honestatis cum diuino auxilio eliciendo, vt non minus Deo placeant,quàm venialis culpæ maculæ displicebãt: atq; ita per quandam formalem,vt vocant, incompossibilitatem, venialis macula expelletur; quod non minus est, immo plus quodammodo, quàm mereri; ordo enim formæ ad proprium formalem effectum suum non est per modum meriti, sed cuiusdam realis efficientiæ, & physicæ causalitatis.

Discrimen inter peccatum veniale, & mortale.

S. Thom. 1.2. q. 72. art. 2. & q. 88. art. 1. & 2.

Ad Roman. 3. 24.

Trid. sess. 6. c. 8.

2 Secundo supponendum etiam est, peccata leuiora, quæ propterea venialia nominantur, in triplici solere esse differentia; quædam, quæ quamuis versentur in materia graui, tamen

Peccata venialia sunt in triplici genere, siue differentia.

cum imperfecta deliberatione contingunt,vt impura aliqua repente oborta cogitatio, vel inhonestus motus in appetitu. Si enim huiusmodi animi motus fuerit primò primus, hoc est sine vlla animi deliberatione, nullum in eo poterit esse peccatum; si verò fuerit primò secundus,hoc est alicuius non dum plenæ, seu imperfectæ deliberationis, aliqua erit culpa,sed venialis. Secundò alia sunt venialia non ex defectu deliberationis, sed ex materiæ paruitate: vt cum quis plena deliberatione pomum furatur, siue vnum obolum, aut modicum de aliena fama detraxit. Tertiò alia sunt ex genere suo venialia,vt verbum otiosum, mendacium officiosum, excessus aliquis in somno, cibo, potu, vel risu, & confabulatione.

Quomodo intelligendũ singula venialia posse vitari, non omnia.

3 Tertiò supponere præterea debemus illud, quod communiter dicitur: singula venialia posse à nobis vitari, omnia non posse, non esse intelligendum, vt verba videntur simpliciter significare, & aliqui non mali auctores intellexerunt: esset enim aliqua sententiæ in se cõtradictio,cum omnia venialia,nihil sint aliud, quàm illorum singula simul sumpta; & à singulis partibus alicuius totius sufficienter enumeratis, ad suum totum optima consequentia inferatur. Si ergo singula nullo relicto, cur non omnia vitari possunt? nisi fortè dum vnum, duo, vel plura maiore animi contentione superamus, fatigati superare aliud non possimus,atque adeo non omnia vitari à nobis posse fateri deberemus. Et tamen, si de culpis propriè loquamur, vitare omnes posse debemus, alioquin non in omnibus peccaremus: *nemo enim peccat in eo, quod vitare non potest,* ait S.Augustinus libro tertio de libero arbitrio. Possumus igitur omnia, & singula re vera deuitare,sed potestate, vt vocant antecedenti, quæ sufficit ad libertatem voluntatis, nimirum habente quidquid antecedenter necessarium est ad operandum, si velit; vel si nolit non operandum; sed non omnia possumus euitare potestate consequenti, idest efficaci, & ad actum per singula reducenda. Erunt enim aliquæ venialiter peccandi occasiones, & fuerunt in omnibus hominibus iustis, si Christum Dominum, & Beatissimam Deiparam Virginem excipiamus, in quibus vidit Deus vnumquemque infallibiliter lapsurum,nec potuisse moraliter loquendo, & fomitis non prorsus extincti, aut non satis ligati præsuppositа corruptione, minutiores illas culpas declinare. Et de hac impotentia secundum potestatem consequentem moraliter ad actum non reducendam, propter deprauatam hominum voluntatem, Christus Dominus in Euangelio loquebatur, cùm incre-

S. Aug. lib. 3. de lib. arbitrio cap. 17.

dulos

dulos Iudæos de peccato infidelitatis argueret, dicens: *Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ ex ſolo Deo eſt, non quæritis?* non quaſi dicere voluiſſet, poteſtate credendi etiam antecedenti eos caruiſſe, atque adeo libertate, ſic enim excuſati ab incredulitate manſiſſent, de qua illos Chriſtus Dominus prædictis verbis potius accuſabat. Sed quamuis omnia prorſus peccata venialia efficaciter vitare non poſſimus ſine ſpeciali Dei priuilegio: *quod poſt Chriſtum de B. Virgine tenet Eccleſia*, inquit ſacra Synodus Tridentina, tamen venialia, quæ non committuntur ex ſubreptione, ſed ex animi plena deliberatione poſſunt declinari, & à viris perfectis de facto omnia, aut ferè omnia deuitantur. Reliqua verò ſubreptitia, & quæ ſine plena deliberatione contingunt, poſſumus ita ſuperare, vt bonis virtutum habitibus aſſidua exercitatione quotidie ſuccreſcentibus, malis verò, & vitioſis cum fomite decreſcentibus, in dies magis diminuantur, atque decreſcant. Ad hoc autem magna diligentia, & ſumma animi contentione procurandum, tria principalia motiua proponemus. Primum erit oſtendere plurima nobis ipſis à culpis, quamuis leuioribus, prouenire detrimenta. Secundum plurima etiam noſtris proximis, & ei, in qua viuimus communitati. Tertium, Dei ſi non amicitiam, & gratiam habitualem, certe actualem, & eius familiaritatem multum impedire, quod aliqui dicunt feruorem diminuere charitatis: & præterea tùm in hac vita, tùm in futura ſeueriſſimè à Deo vindicari.

Ioann. 5. 44.

Trid. ſeſſ. 6. can. 23.

Culpæ veniales plurima, & grauia afferũt nocumenta.

4 Primùm itaque afferunt nobis culpæ veniales plurima, & ſanè grauia detrimenta, quæ ad duo capita reuocantur: primùm impediunt profectum, deinde paulatim diſponunt ad graues defectus etiam mortalium peccatorum. Impediunt huiuſmodi culpæ noſtrum profectum, qui maxime in eo conſiſtit, vt peccatis mortalibus prorſus à nobis ablegatis, venialia magis quotidie minuantur: inter venialia verò, illa potiſſimum ſpirituali profectui aduerſantur, quæ paſſim plena deliberatione committuntur, hoc eſt enim aperte quodammodo profiteri ſe non velle proficere. Quàm autem id periculoſum ſit ijs, quibus ratione proprij ſtatus, ſi non eſſe perfectos, ſaltem tendere ad perfectionem incumbit, alijs definiendum relinquo: non enim deſunt, qui dubitent, aut etiam, qui negent, poſſe tales in ſtatu gratiæ inueniri, cùm huiuſmodi non amplius proficiendi adeo tepida voluntate. Solum dico ſanctorum Patrum, præſertim Gregorij, Auguſtini, Hieronymi, & Bernardi communem eſſe

doctrinam, apud spiritualium rerum Magistros peruulgatam: nolle proficere, hoc ipsum esse deficere. Profert ad id cõfirmandum S. Gregorius Salomonis illud testimonium in Prouerbijs: *Qui mollis, & dissolutus est in opere suo frater est sua opera dissipantis.* *Quia*, inquit S. Gregorius, *qui cœpta bona districtè non exequitur, dissolutione negligentiæ manum destruentis imitatur*: & S. Hieronymus in epistola ad Heliodorum: *Monachum*, ait, *perfectum esse nolle, delinquere est*, & adhuc in eamdem sententiam multò grauius Eusebius Emissenus ita scripsit in quadam homilia ad Monahos: *Venire ad Eremum, summa perfectio est, non perfectè in Eremo viuere, summa damnatio est*. Sed præclare sanctus Bernardus: *pro certo*, inquit, *minimè est bonus, qui melior esse non vult, & vbi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus*. Et quidem, quod paulo ante dicebamus, profiteri se nolle proficere, siue quod idem est, nolle esse meliorem eum, qui plena deliberatione, quamuis venialiter sæpe delinquit, possumus exemplo equitis, ita declarare. Tripliciter cõtingit, vt eques à suscepti itineris progressu impediatur: primùm retrocendo, secundò equum natura sua lentum, ac morosum ex inaduertentia non vrgendo, tertiò habenas, ne omnino progrediatur, retinendo. Primum fit in via spirituali per peccatum mortale, quo homo ad quærenda bona creata commutabilia se conuertit, Deo bono increato incommutabili derelicto: sicut in Psalmo dicitur: *Ecce qui elongant se à te peribunt, perdidisti omnes, qui fornicantur abs te*. Secundum euenit propter peccata venialia ex quadam subreptione, & sine plena deliberatione contingentia, ratione, quasi equite semisopito, ideo non satis aduertente iumenti, idest sensualitatis, & partis animæ inferioris irrationabiles motus, ac tarditates. Tertium fit peccando ex plena deliberatione, venialiter: tunc enim ratio, tamquam eques habenas consensus atque dissensus plena retinens libertate, satis aperte manifestat, nolle se vt in via spirituali maiores progressus habeantur. Hinc secundum sequitur huiusmodi culparum grauius detrimentum, nempe facilis in peccata lethalia prolapsionis: idque in re præsenti sæpius diuinæ scripturæ nos docent, confirmant sancti Patres, & varijs similitudinibus declarant, quotidiana quoque demonstrat experientia. *Qui spernit modica, paulatim decidit*, ait Ecclesiasticus, id ipsum aptissimo exemplo docet Ecclesiastes, vbi ait: *In pigritijs humiliabitur contignatio, & in infirmitate manuũ perstillabit domus*. His addit tertium eiusdem Salomonis testimonium

S. Greg. lib. 3. past. c. 35. Prouerb. 18. 9. S. Hier. ep. 2. ad Heliod. Emiss. hom. 9. ad Monachos. S. Bern. ep. 91. Psal. 72. 26. Eccl. 19. 1. Ecclesiastes 10. 18.

monium Cassianus: *Stillicidia eijciunt hominem in die hyemali de domo sua.* *Eleganter ergo*, inquit Cassianus, *mentis incuria domui comparatur, tectoque neglecto, per quam primò quidem velut minutissima quædam penetrant ad animam stillicidia passionum, quæ si velut pauca, & leuia negligantur, corrumpunt tigna virtutum, & post hæc influunt imbres largissimi vitiorum, per quos in die hyemali, idest, in tempore tentationis ingruente impugnatione diaboli, expelletur mens de habitatione virtutum, in qua scilicet aliquando circumspectam diligentiam retinens velut in domus propriæ possessione requieuerat.* Nec possum eiusdem auctoris in eandem sententiam alia similia verba prætermittere: *Lapsus*, ait, *est quispiam, nequaquam subitanea ruina corruisse credendus est, sed aut prauæ institutionis deceptus exordio, aut per longam mentis incuriam paulatim virtute animi decidente, & per hoc sensim vitijs increscentibus casu miserabili concidisse: ante contritionem enim præcedit iniuria, & ante ruinam mala cogitatio. Quemadmodum domus numquam in ruinam subitaneo procumbit impulsu, nisi aut antiquo vitio fundamenti, aut longa inhabitantium desidia, stillicidijs primum paucissimis penetrantibus corrupta sensim fuerint munimenta tectorum, quibus per vetustam negligentiam in maiorem modum putrefactis, atque collapsis, riuatim post hæc influit pluuiarum, imbriumque tempestas. In pigritijs enim humiliabitur contignatio, & in segnitie manuum stillabit domus.* Addunt Patres alias aptissimas similitudines: *Attendite*, inquit S. Augustinus, *fratres mei, minuta sunt hæc peccata, non sunt magna, non est bestia quasi Leo, vt vno morsu guttur fragat, sed bestiæ plerumque minutæ multæ necant. Quam minutissima sunt grana arenæ; si arenæ amplius in nauim mittantur, mergunt illam. Quam minutæ sunt guttæ pluuiæ: nonne flumina implent, & domos deijciunt?* Et in quadam epistola ad Seleucianam de ijsdem multiplicatis venialibus ita scribit: *Quæ si collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt, & opprimentt, sicut vnum aliquod grande peccatum. Quid enim interest ad naufragium vtrum vno grandi fluctu nauis operiatur, & obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta, atque contempta impleat nauem, atque submergat?* sanctus Gregorius Nazianzenus scintillis ignis assimilat hæc peccata, & veneni stillis. *Ingentem flammam*, inquit, *perexigua quoque scintilla excitat, & viperæ semen homini sæpe exitium inuexit: proinde cura, vt leuissimam quoque noxam affugias: tametsi*

Prou. 17. 15. iux. 70. interpret.

Cass. collat. 6. cap. vlt.

Cass. ead. collat. c. vlt.

Prouerb. 16. 18. iuxt. 70. interpret.

S. Aug. lib. de decem. cordis cap. 11.

S. Aug. ep. 108

S. Gregor. Nazianz. in sent. 13.

tametsi enim ea primo exigua, & minuta sit, postea tamen in ingentem magnitudinem excrescit. Sanctus Ephrem filis comparat, quibus aues illaqueantur: *Ex volucrum aucupio,* inquit, *disce quæ parua videntur, non ideo contemnenda: contingit enim, vt auis in laqueum incidens minima capiatur vngula, & alarum vires frangantur, & debilitantur ob vnguem vilem, & cum totum sit corpus extra laqueum, totum tamen retinetur.* His Patrum auctoritatibus quotidiana consentit experientia: siquidem vt dici solet, nemo repente fit pessimus: nec adeo incautus est nostræ salutis aduersarius, vt statim de lethali crimine tentet vnumquemq. nisi hominem iam perditæ conscientiæ, & vt est apud Iob: *inutilem, & abominabilem, qui bibit quasi aquam iniquitatem. Sed prius*, inquit S. Gregorius, *per leuia delicta deflectimus, & vsu cuncta leuigante nequaquam post committere etiam grauiora timemus.* Sic ab otiosis confabulationibus ad murmurationes etiam grauiores, & ad notabilem alienæ famæ detractionem descenditur; à mendacijs officiosis ad perniciosa, à pertinaci negatione, vel affirmatione ad iuramenta, à iuramentis ad periuria; ab intemperantia ad impudentiam, ab hac ad impudicitiam; à neglectu fratris, ad Prælati despicientiam, ab hac ad contemptum potestatum superiorum, quandoque etiam sanctorum, & Dei. Sicut refert S. Dorotheus, cuidam sibi noto aliquando accidisse: *Nam certe*, inquit, *fratres mei noui quemdam olim, qui ad hunc miserabilem statum deuenit. Hic primò quidem cum aliquid boni de fratre quopiam quisquam deprædicasset, statim respuebat eum dicens: quis est ille? non est, qui momenti sit alicuius, nisi Zosimas, & qui cum eo sunt: post cœpit & hunc despicere, ac nihili pendere, dicens, nemo est, qui quidquam valeat præter diuum Macharium: & non multo post ait: quid est Macharius? nullus quidquam est, præter Basilium, & Gregorium: atque etiam Paulo post cœpit & hos terumcisfacere, dicens: quid est Basilius, quid est Gregorius? nemo quidquam valet, nisi Petrus & Paulus, cui ego dixi: certe frater & hos contemnes; credite mihi non mentior, non multo post dicere cœpit: quid est Petrus, quid est Paulus? nemo est momenti alicuius, nisi sancta Trinitas: postmodum verò, & contra Deum ipsum superbire cœpit, & insolescere. Denique ad eum modum delapsus est in perditionis, & impietatis barathrum.* Ratio verò huius tam periculosæ gradationis ex triplici venialium culparum differentia superius exposita deducenda est. Nam culpæ, quæ in materia graui per inaduertentiam,

S. Ephrem. lib. de morbo. linguæ.

Iob. 15. 16.

S. Greg. l. 20. mor. c. 9.

S. Doroth. ser. 2. de hum.

tiam, aut non plenam deliberationem sunt veniales, fieri vix potest, vt frequentatæ maiorem aduertentiam non admittant, atque adeo in replicatis actibus pleniorem deliberationem: vnde non poterunt amplius à culpa mortifera propter defectum considerationis excusari. Quæ verò ex materiæ paruitate sunt veniales, manifestum est augere materiam si repetantur, vnde non amplius defectu materiæ poterunt censeri veniales: nõ quasi parua illa, exempli gratia, furta commissa, cum singula fuerint venialia, ex congesta per accidens maiori materia potuerint reddi mortalia; sed quia vltima subripiendi mala voluntas, & simul omnia prius accepta retinendi, siue non restituendi, terminos excedit culpæ venialis. Iam verò loquendo de tertia differentia leuium culparum, quæ sunt ex genere suo veniales, hæ si replicentur non quidem perniciem inferunt adeo manifestam, sed tamen sicut occulta febricula, virium languor superueniens, nimia repletio, malis humoribus quotidie succrescentibus ad grauem aliquam ægritudinem certò disponunt, & poterunt inde perducere ad mortem: ita repetitæ sæpius huiusmodi culpæ, quamuis natura sua leues, vires tamen spirituales extenuant, & affectus vitiorum magis semper faciũt incalescere, vt graui tentatione superueniente facile homo cõsentiat, & peccato succumbat, eoque facilius, quò minus ægritudinem suam agnoscebat, & tanto malo proximam non reputabat. Quapropter ita de hac re loquitur S. Ioannes Chrysostomus. *Mirabile quidem, & inauditum dicere audeo: solet mihi nonnumquam videri non tanto studio magna peccata esse vitanda, quanto parua, & vilia. Illa enim vt auersemur ipsa peccati natura efficit; hæc autem hac ipsa re, quia parua sunt, desides reddunt, & dum contemnuntur, non potest animus ad expulsionem eorum generosè assurgere: Vnde citò ex paruis maxima fiunt negligentia nostra.* Atque hæc in vniuersum sunt mala, quæ nobis ipsis ab huiusmodi peccatis inferuntur, iam videamus quàm sint noxia Communitati.

Cur à venialibus culpis adeo facile, si multiplicẽtur, veniatur ad mortalia.

Chrys. hom. 83. in Matth.

5 Erat enim secundum principale motiuum odij talium peccatorum, attendere qualia, & quanta inde sequantur incommoda ijs, cum quibus viuimus, & conuersamur. Nam etiamsi supponamus in ea communitate, vel familia, vtpote ex instituto religiosa, non facile inueniri crimina grauiora, tamen ex multiplicatis huiusmodi culpis venialibus aliquorum in ea hominum congregatione valde imperfectorum, tota sæpe sine remedio dilabitur domestica disciplina. Sicut in musica vbi aliquorum voces ab harmonia deflectunt, simul omnia perturbantur,

Veniales culpæ quam sint noxię communitati in qua viuimus.

bantur, nec poteſt Magiſter cantus, quamtumuis peritus, illa diſſonantia perdurante, muſicæ rationem in ſuo ordine, ac numeris continere. Perit itaque concentus ille ſuauiſſimus, quem
Iob.38.37. Deus apud Iob teſtatur in cælis numquam deficere; & quem æmulari in terra quantùm poſſumus deberemus: *Quis enarrabit cælorum rationem, & concentum cæli quis dormire faciet?* Tollitur illud decus, illa iucunditas, ille bonus Chriſti odor, &
Pſal.132.1. fragrantia vnguenti ſacerdotalis, de quo in Pſalmo dicitur: *ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum, ſicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam*
Cant.6.3. *Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti eius.* Tollitur ordo ille militiæ ſpiritualis, aut interturbatur, vt dæmonibus non ſit, quemadmodum erat antea formidabilis, & terribilis. Denique ipſa quodammodo huius vitæ fœlicitas, & beatitudo, qualis in hac vita dari poteſt ex huiuſmodi multiplicatis defectibus in communem vertitur miſeriam, atq; infœlicitatem. Cùm enim huiuſmodi fœlicitas in tranquillitate animorum conſtituta ſit, in rectitudine intellectus, & voluntatis, in omnium virtutum ſedula exercitatione, & in ſtatu perfecto, in charitate non ficta, in ſocietate ſancta, in communicatione mutua bonorum non tàm temporalium, quàm ſpiritualium, in imitatione, quantum fas eſt, in terris, beatitudinis patriæ cæleſtis: manifeſtum eſt vel ob vnius tantùm imperfectiones, ſi multæ fuerint, ſi quotidianæ, ſi abſque ſpe emendationis, ſi paſſim in aliorum oculos incurrentes, ea omnia, quæ diximus bona peruerti, etſi non tolli ex toto, certè magna ex parte obſcurari, atque diminui. *Longe*
S.Bern.ſer.25 in Cant. *quæſo à vobis*, inquit S. Bernardus, *facite ſemper hoc tam abominabile, & deteſtabile malum vos, qui experti eſtis quàm bonum ſit, & quàm iucundum habitare fratres in vnum: ſi tamen in vnum, & non in ſcandalum, alioquin non iucundum planè, nec bonum, ſed peſſimum, & moleſtiſſimum.* Neque verò intra domeſticos parietes hoc malum ſe continet, ad eos enim ſerpit, & extenditur, quos iuuare in negotio ſalutis, ac perfectionis maximè oporteret, ſiue ex charitate proximorum, ſiue ex vitæ inſtituto, ſiue ex proprij offitij debito, & obligatione iuſtitiæ. Mirum enim eſt quantum huiuſmodi culpæ ſpiritualibus auxilijs proximorum afferant præiudicij; non ſecus, atque operis valde artificioſi elegantiam, & vltimam perfectionem impedit hebetudo, & imperfectio inſtrumenti. Cùm enim homines communiter procliuitate quadam corruptæ naturæ, magis ſoleant aliena vitia obſeruare, quàm virtutes, & illis efficacius ad

malum,

malum, quam istis ad bonum permoueantur, sæpe contingit, vt quod vna manu aliqui ædificant, alia destruant, siue, vt est apud S. Gregorium Nazianzenum, vna manu animas aduocare, altera repellere videantur. Est enim certum in philosophia principium, esse necessario præsupponi ad operari; effectus quoque suis causis oportere esse similes, & congruentes. *Idcirco*, inquit Magnus Gregorius; *ad supernum desiderium inflammare auditores suos verba nequeunt, quæ frigido corde proferuntur: neque enim res, quæ in se ipsa non arserit aliud accendit*. Atque hæc est causa cur Apostoli etiamsi pauci pauperes, sine eloquentia, sine humana sapientia, & sine alijs præsidijs naturalibus: quia tamen spiritu Sancto pleni, radios Euangelicæ perfectionis à sole Iustitiæ Christo in se limpidissimè receptos sine vllis tenebris, vel nubibus imperfectionum per orbem terrarum reflexerunt, plus effecerunt in mundi conuersione, & Ecclesiæ fundatione, quàm ferè omnes alij simul, qui subsequuti sunt in eiusdem Ecclesiæ ædificatione, & reformatione. Quod bene S. Io: Chrysostomus adnotauit, exponens parabolam de fermento apud S. Matthæum. *Nam*, inquit, *si duodecim homines totam penè farinam orbis fermentarunt, diligenter animo versa quæso quanta sit nostra malignitas, atque ignauia, qui cum iam innumeri simus has gentium reliquias conuertere non possumus, qui vel mille mundis satisfacere deberemus*. Et quia potuisset aliquis dicere; propter insigne donum miraculorum Apostolos talia, & tanta perfecisse: respondet S. Chrysostomus non propterea hoc eos fecisse, sed propter eximias virtutes, propter humanæ gloriæ contemptum, deliciarum, & rerum omnium mundanarũ heroicam despicientiam. *Nam si hæc*, inquit, *non habuissent, si passionibus veluti nos seruiuissent, etiamsi à morte innumeros homines suscitassent, non solum nihil vtilitatis fecissent, verum etiam seductorum, atque deceptorum nomen non effugissent. Viuendi ergo disciplina est, quæ vbique fulget, quæ spiritus etiam gratiam attrahit. Quod enim signum Ioannes fecit, qui tot, tantasque Ciuitates erudiuit? nam nihil miraculosè ipsum egisse testatur Euangelista, dicens: Ioannes quidem nullum signum fecit*. Hæc S. Io. Chrysostomus.

Nazianz. in sent. n. 4.

S. Greg.

S. Chrys. hom. 47. in Matth.

Matth. 13. 33.

Ioann. 10. 41.

7 Sed ad tertium incitamentum odij contra hæc peccata veniamus, simul enim amplius declarabimus, qua ratione tot inde bona in proximis nostris impediantur, quod sane magnam habere debet apud æquos rerum æstimatores mali rationem. Si enim quis dixerit has culpas quamtumuis multiplicentur, sem-

Veniales culpæ quam seuere à Deo puniantur.

per ma-

per manere veniales, neque minimum gratiæ gradum, quamdiu intra terminos se continent venialium nobis posse præripere, intelligat oportet, si non minuunt gratiam habitualem, quam tamen sæpe ad extremum discrimen, vt supra vidimus, adducunt, saltem diminuere gratiam actualem, pias mentis illustrationes auertere, sanctas inspirationes repellere, impedire illam cum Deo familiaritatem, & intimam coniunctionem, ex qua sancti tamquam viua,& rationabilia Dei organa omnes diuinas supremi artificis motiones excipientes, mirabilia pro Dei gloria, pro sua, & aliorum promouenda sanctitate,ac perfectione sunt operati. Cogitet præterea huiusmodi culpis fœde animam maculari, & illam aliquo modo inuisam Deo reddi, Deumque viciſſim contra illas iram suam concipere, eamque sæuiendo grauiſſimis sæpe supplicijs in hac vita, in alia verò per temporales Purgatorij pœnas longè grauioribus declarare. Maculant sanè non parum animam, & coinquinant conscientiam hæc peccata; Vnde in Apocalypsi dicitur: *non intrabit in eam*, idest, in æternam beatitudinem, *aliquod coinquinatum*. Neque est hæc macula, vt aliqui opinati sunt, pœnæ tantum sustinendæ moralis obligatio, vel reatus, aut merè extrinseca ex admiſſo, & nondum dimiſſo peccato, denominatio; sed intrinseca quædam deformitas ex intimo actu culpabilis voluntatis, quæ licet transierit, reliquit tamen defectum debitæ honestatis in principio operatiuo: propter quem defectum subtrahere Deus consueuit fauores suos speciales, & auxilia quædam particularia frequentiora, vnde iustus ad bene operandum expeditior, & efficacior redderetur. Ex quo etiam illud facile intelligitur, quod dicitur à quibusdam, sed non satis intelligibiliter, feruorem charitatis extingui per venialia, non ipsam charitatem, cum tamen feruor charitatis aliud esse à charitate distinctum non videatur: sed quia nimirum auxilijs gratiæ rarioribus vsus infusi habitus necesse est minus maneat expeditus. Solet præterea, sicut Angelicus Doctor obseruauit, ex huiusmodi culpis venialibus quædam relinqui positiua inclinatio ad mundana, & quasi pruritus in malum, crescente habitu illius vitij, ex quo est peccatum. Vnde sanctus Augustinus eas culpas pustulis prurientibus comparauit, & scabiei leprosorum: vbi enim varia talium peccatorum genera in quodam sermone recensuisset, adiungit: *Quibus peccatis licèt occidi animam non credamus, ita tamen eam velut quibusdam pustulis prurientibus, & horrenda scabie replentia deformem faciunt, vt eam ad amplexus il-*

Apoc.21.27.

S. Thom.3.p. q.87. artic.2. ad 3.

S. Aug. ser.41. de SS. qui est de igne purgatorij.

xus illius sponsi Cælestis, aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant. De leprosis in Leuitico mandabatur, vt ab aliorum conuictu, & consuetudine separarentur, extra Ciuitates, & castra soli degerent, nudis capitibus, vestibus minime adstrictis, sed laxis, atque dissutis vterentur, ore propter deformitatem essent cooperto, seque immundos, contaminatos, & sordidos ad alios à se procul arcendos proclamarent. Ab homine huiusmodi, qui adeo sit miser in conscientia, & in anima abominabilis, sicut hi erant in corpore, quid nam præclari poterit in conuersatione, & auxilio proximorum expectari? Quis filius talem se esse apud amantissimum patrem, si tantam posset à se repellere fœditatem, pateretur? contentus non propterea se illi mortem machinari, neque de graui inferenda iniuria cogitare; patrem quoque talem filium etiamsi adeo deformatum, & inuisum ad mortem non postulare, neque grauissimo supplicio dignum existimare. Quamuis si consideretur quibus interdum pœnis in hac vita puniat Deus hæc peccata, non expectatis pœnis purgatorij, de quibus postea dicemus, inueniemus etiam morte, non quidē animæ, sed corporis seuerissima fuisse aliquando vindicata. *Quod in illo Propheta, atque homine Dei manifestè videmus impletum*, inquit Cassianus, *de quo habetur in tertio Regum libro, qui pro culpa vnius inobedientiæ, quam non de industria, nec vitio propriæ voluntatis, sed alterius circumuentione contraxit, confestim à Leone conteritur: ita scriptura narrante: Vir Dei est, qui inobediens fuit ori Domini, & tradidit eum Dominus Leoni, & confregit eum, & occidit eum iuxta verbum Domini, quod locutus est ei. In quo facto, & solutionem delicti præsentis, atque erroris incauti, & iustitiæ merita, pro quibus Prophetam suum temporaliter Dominus tradidit vexatori, parcitas ipsa, & continentia prædatoris ostendit, quia nihil penitus audet voracissima bestia de tradito sibi cadauere degustare:* huc vsque Cassianus. Habemus præterea Moysis exemplum in hoc genere, qui cum ad aquas contradictionis appellatas, de futuro à Deo promisso miraculo aliquantulum cœpisset ambigere, quod non fuisse maioris culpæ, quam venialis, cum sancto Augustino docent interpretes, tamen morte fuit à Deo punitus cum suo fratre Aaron ante ingressum terræ promissionis: Deo sic illi præcipiente: *Ascende in montem istum Abarim, & vide terram, quam ego tradam filijs Israel possidendam, & morere in monte, sicut mortuus est Aaron*

[Margin notes: *Leuit.13.44.* — Quibus pœnis Deus in hac vita puniat culpas veniales. — *Cass. collat.7. cap.26.* — *3.Reg.cap.13.24.* — *3.Reg.13.26.* — *Num.20.13.* — *S. Aug. super n.q.53.num.4.* — *Deut.32.49.*]

frater tuus in monte Hor: quia praeuaricati estis contra me in medio filiorum Israel ad aquas contradictionis in Cades deserti Sin: & non sanctificastis me inter filios Israel. Addit Cassianus in septima Collatione alia duo exempla temporibus suis viciniora: vnum Religiosi cuiusdam singularis, & incomparabilis, vt ipse appellat, virtutis, qui ob duram responsionem, qua Macharium Abbatem contristauit, diro confestim traditus est daemoni miserabiliter diuexandus; ita vt ab eo compelleretur foedissima quaeque ori suo ingerere, quousque eiusdem Beati Abbatis Macharij apud Deum intercessionibus liberaretur. Aliud exemplum affert Abbatis Pauli, qui ob indiscretum in quadam actione zelum, tali subito correptione percussus est, vt totum eius corpus horrenda paralysi solueretur, nullaque in eo pars suum explere munus valeret: siquidem non solum pedes, & manus, sed etiam linguae motus, ipsaeque aures ita auditus proprij amiserant sensum, vt in eo nihil amplius ex homine, quàm immobilis tantum, atque insensibilis figura remaneret, idque per annos quattuor, idest vsque ad extremum vitae suae terminum. Cùm tamen tantae esset de caetero sanctitatis, vt ad eam declarandam Deus perpetuo quodam miraculo infirmos omnes, quotquot oleo vngerentur, quod huius serui sui corpus tam male affectum tetigisset, ab aegritudine qualicumque liberarentur.

Cass. coll. 7. cap. 27.

Cass. coll. 7. cap. 26.

Quam seuere puniantur in purgatorio peccata venialia.

8 Sed quae super omnia terribilia deberent ab huiusmodi culpis, quantumuis leues esse videantur vnumquemque reuocare, sunt alterius vitae in igne purgatorio grauissima supplicia, ex triplici capite maxime formidanda. Primùm quia, sicut communis est omnium Theologorum sententia, non alius est ille ignis in specie, quàm in inferno, solum in duobus est differentia, quia ignis inferni est aeternus, hic autem cruciat ad certum tempus: propterea dixit sanctus Cyrillus Alexandrinus: animas eorum, qui leuiter peccauerunt, & sine digna satisfactione hinc migrauerunt, ituras quidem in ignem aeternum, sed ibi non mansuras in aeternum. Altera differentia est, quia communi similiter opinione Theologorum, ignis Purgatorij non ministratur, sicut in inferno à Daemonibus: neque enim id à se sponte videntur illi esse facturi, qui cùm inuidissimi sint, & maleuolentissimi, pati non possunt animas inde citò expediri, & in coelum euolare, sed libentius vident illas lentè cruciari, atque ita si fieri posset ibi perpetuò detineri. Neque verisimile est

S. Cyrill. l. 10. in Ioann. c. 14.

le est à Deo cogi, vt id faciant, quinimmo neque permitti, vt tantam habeant administrandæ iustitiæ potestatem in sanctas illas animas, à quibus fuerunt vltimo certamine superati. Solum itaque restat, vt ignis ille tremendus, tamquam diuinæ iustitiæ immediatum instrumentum pœnalem exigat ab illis animabus satisfactionem, iuxta id, quod à Deo per Isaiam est dictum: *& conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum. Post hæc vocaberis Ciuitas iusti, vrbs fidelis.* Atque hoc est secundum, vnde ille ignis redditur maximè formidabilis: si enim solus Dei digitus tangens os, & carnem Iob viri patientissimi, sicut à Deo Satan expetierat, & obtinuit, cum diceret: *tange os, & carnem*, adeo hominem deformauit, & in tam miserandam conditionem redegit, vt toto corpore putrescente, vix sana lingua superesset ad clamandum: *miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Quid erit vbi brachio suo omnipotenti assumat Deus instrumentum ad torquendum omnium terribilissimum, ignem videlicet illum, qui, sicut idem ipse Iob ait, *non succenditur*; idest lignis non alitur, quia fomentis non indiget naturæ corporeæ, sed ad hoc fuit à Deo creatus, vt sine vlla sui consumptione, vel diminutione virtutis, substantias depascat etiam spirituales, tali acrimonia, vt illi comparatus noster ignis, non verus, sed depictus esse videatur. Propterea Sancti Ecclesiæ patres communiter asseruerunt cruciare supra quàm possint omnia huius vitæ tormenta, & cruciamenta. *Nam etsi*, inquit sanctus Augustinus, *æternus non sit ille ignis, miro tamen modo grauis est, exceditque omnes pœnas, quas aliquis in hac vita passus est*; & sanctus Anselmus: *Sciendum, quòd grauior est ille ignis, quàm quidquid homo pati potest in hac vita.* Addit sanctus Bernardus in sermone de obitu Humberti Monachi: leues, & à nobis in hac vita neglectas culpas centupliciter, & vsque ad minimum quadrantem in Purgatorio debere persolui: & Cæsarius Arelatensis: *Ille ipse*, inquit, *purgatorius ignis durior erit, quàm quod possit pœnarum in hoc sæculo aut accidere, aut sentiri, aut cogitari.* Tertium vnde grauissima redditur pœna Purgatorij est ardentissimum desiderium, quo tenentur beatificæ visionis animæ illæ ad eam fœlicitatem electæ, & interim afflictissimæ. *Heu mihi*, dicebat, & secum lamentabatur Propheta Regius, *quia incolatus meus prolonga-*

[Margin notes: Isai. 1. 25. — Iob. 2. 5. — Iob. 19. 21. — Iob. 20. 26. — S. Aug. lib. de cura pro mor. cap. 8. — S. Ansel. in comment. ep. 1. Cor. 3. — S. Bern. ser. de obitu Humberti. — Cesar. Arel. hom. 8. — Psal. 119. 5.]

tus est: habitaui cum habitantibus Cedar: multum incola fuit
Psal. 41. 1. *anima mea. Et quemadmodum desiderat Ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* & tamen non iacebat in tenebris, non ardebat in vltricibus ignis Purgatorij flammis: sed fulgebat Regia Maiestate, sedebat in solio Regni sui, gemmato diademate coronatus, aureo sceptro insignitus; & hæc omnia non delitias, sed spinas, & miserias maximas reputabat, gloriæ videlicet collata sanctorum, ad quam toto cordis affectu anhelabat. Hanc autem sanctorum æternam fœlicitatem, sicut melius agnoscunt, ita etiam ardentius concupiscunt animæ illæ vinculis corporis absolutæ, & dura nimis in obscuro illo Purgatorij carcere expectatione detentæ, quibus proinde vna hora breuissima, longissimus annus videtur, & annus sæculo diuturnior; cum præsertim ignorent vtrum ibi per dies, annos, aut sæcula diuini Iudicij arcano decreto sit illis permanendum. Coarctabatur Apostolus, vt ipse scribit ad Philip-
Ad Philip. 1. 23. penses, cupiens dissolui, & esse cum Christo, idest liberari à
Ad Roman. 7. 24. carcere corporis mortalis, sicut etiam ad Romanos scribebat: *Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* cùm tamen nulla amicabilior coniunctio sit in natura, quam corporis, & animæ; nulla disiunctio formidabilior, quam animæ à corpore separatio, quæ ipsa mors est. Quis igitur explicare dignè poterit illarum animarum mœrorem, tristitiam, & afflictionem tantò ardentius ad illam fœlicitatem aspirantium, & interim detentarum, non dulci, & vitali naturæ vinculo, sed violenta, & dolorifera nimis coniunctione illius ignis, tamquam ergastuli, *miris, &*
S. Aug. lib. 21. *ineffabilibus modis*, ait sanctus Augustinus, *adhærentis ad*
de ciuit. c. 10. *tormentum afflictis spiritibus, accipientibus ex ignibus pœnam, non dantibus ignibus vitam.* Quis inter filios hominum tam excors inuenietur, qui ad sceptra maximi Imperij vocatus, si dum est in itinere, deprehensus in quibusdam leuibus culpis deliquisse, proijceretur in ardentem fornacem, non quidem ibi arsurus per æternitatem, sed tamen ad plures dies, atque etiam annos, nec solum flammis, verum etiam candentibus forcipibus, & alijs ferreis crudelissimis instrumentis dilaniandus, leues illas, & nihili ducendas culpas existimaret? & erit inter filios Dei, qui peccatum, quod leue sit, quod veniale appelletur, negligat, paruifaciat, & non potius

odio

odio maximo prosequatur, *si,* sicut dicebat sanctus Basilius *ubique tristis, & acerbus cuiusque rei euentus odium aduersus eos conciliat, qui eius auctores fuerunt, & persuasum habuerimus, quàm grandium malorum causa peccatum sit, etiam illud, quod leue est, quod veniale appellatur, sponte sua & ex animo aduersus illud odium concipiet, quale indicauit, qui dixit: Iniquitatem odio habui, & abominatus sum:* hæc ille; sed nos ad affectus perfectiores iam transeamus. *S.Basil.in reg. breu.inter.11.* *Psal.118.163.*

CAPVT QVARTVM.

De affectu fiduciæ in diuina Bonitate, Liberalitate, & Misericordia.

1 ANTEQVAM tria hæc Dei bonitatis, liberalitatis, & misericordiæ motiua ad fiduciam in nobis excitandam efficacissima exponamus, alia tria prius obseruanda supponimus. Primum adeo esse necessarium hunc fiduciæ affectum tribus superioribus, odij, abominationis, ac timoris adiungere; vt si quis isto destituatur, quantò se magis in illis profecisse existimabit, tantò amplius verendum ei sit, ne fortè ex nimia tristitia, & timore, animo aliquando concidat, & propter defectum veræ magnanimitatis desperatione aliqua præpeditus in itinere perfectionis deficiat. Quòd si nimia fiducia plenus, casti timoris Dei obliuiscatur, & peccatum debito odio prosequi prætermittat, ad aliud extremum vanæ præsumptionis, & temeritatis facilè declinabit. Quare sanctus Gregorius illud Iudæis à Deo per Moysem in Deuteronomio vetitum: *Non accipies loco pignoris superiorem, aut inferiorem partem molæ,* sic moraliter in nostram sententiam interpretatur: *Superior, & inferior pars molæ est spes, & timor; spes quippe ad alta subuehit, timor autem cor inferius premit. Sed mola superior, & inferior ita sibi necessariò iunguntur, vt vna sine altera inutiliter habeatur. In peccatoris itaque pectore incessanter debet spes, & formido coniugi, quia incassum misericordiam sperat, si non etiam iustitiam timeat: incassum iustitiam metuit, si non etiam de misericordia confidat.* *Necessitas affectus fiduciæ.* *Deut.24.6.* *S. Greg. l.33. mor.c.11.*

2 Secundò est obseruandum hunc fiduciæ affectum per molæ partem superiorem significatum, affectu timoris esse perfe- *Perfectio huius affectus.*

ctiorem: nam timor animum deijcit, ac premit, spes erigit, & attollit: ille fugam efficit mali culpæ, vel pœnæ, hic prosecutionem boni, & adhærere Deo summè bono, iuxta illud psalmi: *Mihi autem adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam*. Sed hoc etiam pro tertiò est obseruandum, fiduciam, non spem hunc affectum à nobis appellari, quia non debet esse spes quæcumque, sed admodum vehemens, orta videlicet ex consideratione eorum, quæ firmissimam faciunt opinionem boni assequendi, ait tractans de fiducia S. Thomas, qui propterea illam reuocat ad virtutem magnanimitatis. Quare sicut antea, dum ageremus de affectu timoris eliciendi ex consideratione iustitiæ, iræ, & furoris Dei, non quemcumque timorem, sed horrorem inde concipiendum esse dicebamus, ita ex triplici hoc validissimo motiuo diuinæ bonitatis, liberalitatis, & misericordiæ, cordi nostro spes talis ingenerabitur, quæ meritò fiducia nominetur.

Psal. 72. 28.

S. Thom. 2. 2. q. 129. art. 2.

Primum motiuum ad fiduciam in Deo habendam est eius summa bonitas.

3 Vt igitur à primo ordiamur, quod est diuina bonitas, ea qualis, & quanta sit explicare propter eius sine qualitate simplicitatem, & sine quantitate immensitatem difficilè possumus: Perfectè autem comprehendere nec valet Angelicus intellectus. Tamen ex tribus capitibus, vnde rei alicuius creatæ tota perfectio cognosci à nobis solet eam, vtcumq. pro ingenij nostri capacitate deprehẽdemus. Primùm enim bona dicitur aliqua res, si in se perfecta sit: secundò si aliorum sit perfectiua: tertiò si neque in se, neque in alijs quantùm ex se vllum velit esse defectum: quæ quidem omnia in Deo excessu incomparabili, & modo eminentissimo inueniuntur. Possumus autem primam bonitatis rationem in Deo appellare per essentiam, secundam per beneficentiam, tertiam per indeficientiam. Et quod attinet ad primum diuinæ bonitatis gradum, si ita licet appellare, non est quod illum metaphisicè tentemus exponere, discurrendo per varios creatarum perfectionum gradus; qui si huiusmodi perfectionis in se sint, vt nullam inuoluant imperfectionem, Deo formalissimè dicuntur conuenire, vt vita, sapientia, potentia, siue omnipotentia; sed si aliquam includunt in sui ratione imperfectionem, in Deo eminenter, idest omni exclusa imperfectione modo purissimo, & à quacumque concretione absolutissimo, atque eleuatissimo, dicuntur inueniri, vt esse ignis, esse candoris, & lucis. Quare sic illud S. Ioannis aliqui interpretantur: *quod factum est, in ipso vita erat, & vita erat lux hominum*; Idest quidquid boni in rebus creatis inuenitur, quidquid illis inest perfe-

S. Aug. lib. 5. de gen. ad lit. cap. 14.

perfectionis, non vt est in se materiale, atque intermortuum, sed viuida sempiternitate florens in ipsa diuina essentia præexistebat ab æterno, & inde tamquam à perenni fonte lucis omnes aliæ creatæ perfectiones, veluti fulgores quidam ab initio temporis emanarunt. *Quid enim?* ait sanctus Bernardus; *miraris in Sole splendorem, in flore pulchritudinem, in pane saporem, in terra fœcunditatem. Sed à Deo hæc vniuersa donata sunt: nec dubium, quin multò amplius reseruauerit sibi, quàm dederit creaturis.* Sed fortè melius huiusmodi ratiocinatione, & morali discursu id, quod intendimus assequemur. Reuocemus nobis in mentem quos nouimus, vel narrari ab alijs audiuimus, vel legimus extitisse aliquando in hac vita homines mitissimos, benignissimos, & moribus supra quàm dici potest suauissimis: his addamus Sanctorum, Sanctarumque omnium in eodem genere perfectiones, deinde Angelorum singulorum ab infimis vsque ad supremos in ordine tum Cherubinorum, tum Seraphinorum, nec omittamus mitissimæ super omnes Reginæ Cælorum inæstimabilem benignitatem. Quæ omnes bonitates, & in varijs dispersæ perfectiones, si in vnam personam possent adunatione simplicissima conuenire, profectò spem vnicuique maximam, summamque fiduciam excitarent, quidquid veniæ quidquid subsidij, quidquid gratiarum ab ea honestè peteretur, facili negotio impetrandi. Et tamen huiusmodi bonitates vniuersæ diuinæ bonitati comparatæ, sunt sicut si aquæ stilla, vel gutta roris antelucani, quæ primo radio Solis opposita euanescit, Oceani immensitatibus conferatur. Illæ enim omnes tandem finitæ sunt, hæc autem infinita, incircumscripta, indeficiens; illæ insunt creaturis, non sunt ipsæ creaturæ, à quibus proinde separari possunt, & abesse: hæc autem Dei bonitas, sicut aliæ eius perfectiones, sunt ipse omnium creator Deus, qui propterea non solū bonus, misericors, sapiens, sed etiam ipsa bonitas, misericordia, & sapientia verissimè, & proprijssimè nominatur. *Neque enim*, inquit S. Augustinus, *sicut nos de illo percipimus sapientiam, ita Deus de aliqua, sed sua est ipse sapientia, quia non est aliud sapientia eius, aliud essentia: cui hoc est esse, quod sapientem esse.* Sed nescio quomodo ita Deo competit hoc attributum bonitatis, vt sicut sanctus Dionysius Areopagita initio Libri de diuinis nominibus obseruauit, bonitas inter omnia diuina attributa magis per se totam essentiam exprimere, & incircumscriptam Dei perfectionem circumscribere videatur: tantoque excessu alijs supereminet bonitatibus creaturarum; vt huic illæ comparatæ vix esse

S. Bern. ser. 1. de omnibus sanctis.

S. Aug. l. 15. de Trin. c. 6.

quidquam appareant. Hinc illi modi loquendi in Euangelio: Matth. 19. 17. *vnus est bonus Deus: & nemo bonus, nisi solus Deus.* Sed ostenditur secundò adhuc manifestius Dei summa bonitas, & benignitas ex ipsius communicabilitate, & maxima beneficientia: Luca. 18. 19. siquidem iuxta S. Dionysij Areopagitæ probatissimam doctrinam, esse communicatiuum, & diffusiuum sui proprium est bonitatis. Id autem Deo conuenit perfectissimè; non enim vno tantùm, aut altero modo, sed planè secundùm omnes gradus entis possibiles, & participabiles suas exerit multipliciter perfectiones. Vnde aliquibus se communicat, esse tribuendo, alijs dando etiam viuere, quibusdam præterea sentire, hominibus verò, & Angelis tribuendo etiam intelligere: quibus insuper vt altiorum donorum capacibus placuit impertiri esse quoddam supernaturale gratiæ suæ per modum formæ spiritualiter viuificantis; vt inde, sicut loquitur in sua secunda Epistola Princeps 2. Petri. 1. 4. Apostolorum, diuinæ naturæ consortes efficerentur. Sed quod omnem supergreditur magnificentiam est, in Christo Deo, & homine omnium tum naturæ, tum gratiæ congeries in gradu sublimissimo collecta donorum: *vt sit ipse*, sicut scribit initio Epistolæ ad Colossenses S. Paulus, *in omnibus primatum tenens*, Ad Coloss. 1. 18. *quia in eo complacuit omnem plenitudinem inhabitare*; neque plenitudinem solum creatarum perfectionum, verum etiam increatarum: sicut idem Apostolus addit in capite sequenti: *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*. Ad Colos. 2. 9. Itaq. in hac vna persona tota quodammodo natura creata secundum omnes suos gradus superiores, & inferiores in homine collectos adeo sublimata est, vt altius non possit ascendere. Iam verò per singulos dictorum entium gradus, quis posset enumerare profusissimam varietatem? primùm, esse solùm participantium tot simplicium corporum, & mixtorum; perfectorum, & imperfectorum; corruptibilium, & incorruptibilium. Deinde vitam participantium vegetatiuam, tot plantarum, arborum, stirpium, florum, fructuum. Tertiò vitam participantium sensitiuam, tot animantium terrestrium, aquatilium, volatilium. Quis enumerabit creaturarum omnium speciosissimarum, cœlestium nempe spirituum tot species, quot indiuidua; tot indiuidua, quot capere humana mens nequit; *numquid enim*, ait quidam apud Iob, Iob. 25. 3. *est numerus militum eius?* Hominis media species inter naturam purè spiritualem, & merè corpoream, nisi in indiuiduis multiplicari non potuit: nihilominus tamen in eadem humana specie tanta donorum gratiæ, & gloriæ varietas per choros, & ordi-

& ordines Virginum, Confessorum, Martyrum, Pontificum, Patriarcharum, Prophetarum, & Apostolorum sapientissimè à Deo est distributa, vt dicat Apostolus: *sicut alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas stellarum; stella enim à stella differt in claritate*, sic etiam futurũ in resurrectione, & gloria beatorum. Quod si curiosius aliquis interrogaret, cur tanta Dei benignitas numerum non auxit electorum? cur entia præsertim nobiliora in hoc mundo non multiplicauit? cur mundum alium, vel alios plures, vt potuit, non creauit? Perinde faceret ac musicæ imperitus, & prorsus ignarus, qui citharæ sono delectatus interroget: cur tot, & non pluribus fidibus constet musicum instrumentum? cur aliquæ chordarum non intendantur magis, aliæ non remittantur? cur non aliter digitis, aut plectro tangantur? Sed est tertium, vnde vlterius potest bonitas diuina cognosci: non enim solùm bonorum omnium auctor est Deus, sed adeo benè omnia facit, vt nec velit, nec sciat, nec possit mali quidquam operari: propterea dicebat illi Phropheta: *Mundi sunt oculi tui, ne videant malum, & respicere ad iniquitatem non poteris*. Neque vllum vnquam in creaturis suis malũ bonus, & omnipotens Deus esse permittere, nisi adeo esset bonus, vt sciret facere de malis bona, & potens elicere de ingentibus malis ingentia bona: *Ideo*, inquit sanctus Augustinus, *melius esse iudicauit de malis bona facere, quàm mala nulla esse permittere.*

1. Cor. 15. 41.

Habach. 1. 13.

S. Aug. in Enchir. c. 27.

4 Sed ad secundum nostræ fiduciæ principale motiuum, quod est diuina liberalitas, veniamus. Hæc virtus qualis, & quanta sit ex tribus maximè intelligitur: primùm si multa, & magna donentur: secundò si animo promptissimo, & gratiosissimo, nullo videlicet pro parte dantis vrgente debito, nec merito pro parte recipientis: tertiò si dentur nullo retributionis intuitu. De primo iam diximus, quàm multis, & varijs modis suis se Deus communicet creaturis ab infimo entium gradu per omnes possibiles, vsque ad sublimissimum hypostaticæ vnionis; quod mysterium, vt est omnium altissimum, & velut in apice omnium mysteriorum constitutum, ita maxime decuit esse singulare: tum ne in aliquo dignitati filij Dei derogaretur, sed esset primogenitus in multis fratribus secundum humanam naturam, sicut est primogenitus omnis creaturæ secundum diuinam: tum ne multitudo suppositorum in eadem humana natura præpediretur: tum denique vt pro vtraque parte assumentis, & assumpti vnitas seruaretur; vt sicut vnum est suppositum diuinum assumens, ita esset vna sola natura humana, quæ assumebatur.

Secũdum motiuum nostræ in Deum fiduciæ est diuina liberalitas.

S. Thom. 3. p. q. 4. art. 5.

tur. Sed interim in thesauris suæ magnificentissimæ liberalitatis aliam Deus adinuenit communicandi se creaturis rationalibus per suammet quoque substantiam, admirabilem rationem mysterio illo augustissimo, quod per anthonomasiam communio, & Eucharistia, idest bona gratia nominatur, & à S. Ioanne Damasceno dicitur quædam incarnationis extensio per participationem diuinitatis, atque humanitatis filij Dei: vnde concorporei quodammodo, & consanguinei Christi efficimur, vt loquitur sanctus Cyrillus Hierosolymitanus. Secundò tribuit Deus sua dona promptissimè, & gratiosissimè, nullo nostro merito præcedente, quod in eius tum naturæ tum gratiæ donis facile est demonstrare. Quis enim primum suum esse, cùm antea prorsus in se nihil esset, vlla ratione promeruit, aut aliquo modo mereri potuisset? & quæ nam merita similiter præcedere potuerunt, antequam quis viueret, sentiret, & intelligeret, vnde hæc propterea suo aliquo merito obtineret? cùm nisi hæc antea gratis donata fuissent, ipsum quoque merendi fundamentum, ac vitale principum prorsus defuissent. Gratiæ verò supernaturalia dona si mereremur, iam gratiæ non essent: natura enim ante gratiam considerata non habet eiusdem gratiæ, nisi aliquam capacitatem. Vnde dixit S. Augustinus, *posse habere fidē, sicut posse habere charitatem, naturæ est hominum: habere autem fidem, sicut habere charitatem, gratiæ est fidelium*. Quare sicut mendicus brachij protensione, aut expansione manus pecuniam, quam à diuite pro eleemosina recipit non ideo meretur, quia aptitudinem illam recipiendi aliquid præsefert; præsertim si illam ipsam extensionem manus propter debilissimas vires, non nisi per illum ipsum, qui tribuit eleemosinam adiutus exerceret: ita qui dona gratiæ naturæ superaddita in se recipit, non solum gratiæ deputet, quod recipiat, verum etiam quia impedimentis caruit, quæ alioqui ne reciperet obstitissent. Quod si aliquis dicat, si non primam gratiam, saltem illius incrementa, omnesque æternæ gloriæ gradus singuli iusti suis honestis operationibus ipsi merentur. Respondeo non ita rem hanc in omnibus se habere: nam quotquot ante vsum rationis suscepto baptismate paruuli moriuntur, vitam æternam nullo modo pro præmio, vel pro mercede suorum bonorum operum accipiunt, quæ nulla esse in talibus potuerunt; sed hæc illis tamquam pro hæreditate contingit à Christo Domino meritis suæ passionis, ac mortis acquisita, iuxta diuini decreti, apud Isaiam, promissionem: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & vo-*

S. Damasc. l. 4. fid. c. 14.

S. Cyril. catech. mystag. 4.

S. Aug. lib. de predest. sanctorum c. 5.

Isai. 53. 10.

& voluntas Domini in manu eius dirigetur. Qui verò vsu iam præditi liberæ voluntatis, & rationis, diuinæ gratiæ cooperantur, quamuis negari non possit, eos tum augmenta gratiæ, tum gloriæ coronam propriè meruisse, & vt dicitur de condigno, non propterea tamen minorem gratiam acceperunt; immo potius maiorem, vt non solùm, quod est fœlicitatis, sed etiam quod est virtutis haberent, & potestatem obtinerent filios Dei fieri. Ioann.1.12. Nam vt bene in quodam sermone sanctus Bernardus asseruit: *merita nostra omnia Dei dona sunt, & homo magis propter ipsa Deo est debitor, quàm homini Deus.* In quam etiam sententiam sæpe illa verba Psalmi S. Augustinus expendit: *qui coronat te in misericordia, & miserationibus: Etenim,* inquit, *cùm Deus coronat opera tua, non aliud coronat, nisi dona sua.* Psal.102.4. S. August. in Psal.102. Ps. 98. & alibi. Tertium vnde magnificentissima Dei arguitur liberalitas est, omnia nobis ab ipso donari nullo nostræ retributionis intuitu, quod inter gentiles philosophos præclarè etiam Seneca obseruauit, dicens, Deum nos habere gratuitum, *propterea,* inquit, Seneca. lib.4. de benef.c.25. *& sceleratis sol oritur, & pyratis patent maria, & ingratis beneficia conferuntur. Vide quanta quotidie moliatur Deus, quanta distribuat, quantis terras fructibus impleat, quàm opportunis, & in omnes oras ferentibus ventis maria permoueat, quantis imbribus repente deiectis solum molliat, venasque fontium arentes redintegret, & infuso per occulta nutrimento renouet: omnia ista sine mercede, sine vllo ad ipsum perueniente commodo facit: nisi forte illum existimas fructum operum suorum ex fumo holocaustorum, & thuris odore percipere.* Huc vsque Seneca, qui nisi Ethnicus, illud videri poterat aspexisse, quod in quodam Psalmo legimus dictum ab ipso Deo: *Cognoui omnia volatilia* Psal.49.10. *cæli, & pulchritudo agri mecum est. Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terrarum, & plenitudo eius. Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Sed dices: quid est ergo, quod ibi subditur: *immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua?* Quærit igitur Deus aliquam à nobis retributionem in laude, cultu, & veneratione sui? Ita planè; sed quæ tandem est illa gloria, quam à vilissimis terræ vermiculis expectare potest Dominus Maiestatis? *Suspice cælum, & intuere, & contemplare æthera,* dicebant consolatores S. Iob, *quod altior te sit Deus, si iustè egeris, quid donabis* Iob.35.5. *ei? aut quid de manu tua accipiet?* Sed nos sumus, qui inde accipimus emolumenta nostræ sanctificationis, nos enim ipsi propriè sanctificamur, dum in nobis, & à nobis nomen eius sanctificatur,

ficatur, nos qui veluti pretiosissimo fræno in gyrum sic agimur eius sanctissimæ voluntatis, qui omnia condidit, & gubernat in laudem gloriæ, & gratiæ suæ; quemadmodum iusto per Isaiam est ipse pollicitus: *laude mea infrænabo te, ne intereas*.

Ad Ephes. 1. 6.
Isai. 48. 9.

Tertium fiduciæ nostræ motiuum est diuina misericordia.

5 Iam ad tertium fiduciæ nostræ motiuum omnium efficacissimum veniamus: id autem est diuina misericordia, qua sicut nihil sæpius, ita nihil suauius repetitum, ad huiusmodi affectum in nobis excitandum, in diuina scriptura, præsertim in Dauidicis Psalmis inuenitur. Hæc enim in illis dicitur nos prænenire: *Deus meus misericordia eius præueniet me*: hæc parata semper subsequi: *& misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ*: hæc esse super nos: *quia misericordia tua magna est super me*, & super omnia opera Dei: *& miserationes eius super omnia opera eius*, & implere terram: *misericordia Domini plena est terra*, pertingere, & peruadere cælum, *quia magna est super cælos misericordia tua*, & ibi iustos corona iustitiæ coronare: *qui coronat te in misericordia, & miserationibus*: denique tam multa, tam magna, tam varia parata semper in beneficium nostrum operari, vt in vno solo Psalmo, vbi plurima tum naturæ, tum gratiæ collata humano generi benefitia recensentur, vigintiseptem vicibus per singula repetatur: *quoniam in æternum misericordia eius: quoniam in æternum misericordia eius*. Est autem hoc loco valde obseruandum, quodcumque Dei attributum in ipso Deo consideratum re ipsa, immo etiam in suo essentiali conceptu, esse infinitum, non minus quàm sit ipse Deus: quia nihil aliud ab ipso sunt eius attributa, nec perfectè possunt intelligi sine ipso. Cùm enim nihil sit in Deo, quod non sit Deus, non esset Dei, exempli gratia, misericordia, sinon esset Deus: propterea forte dicebat Dauid: *Deus meus misericordia mea*. Sed non minor est eius iustitia, propter eam, quam diximus rationem: nisi quod in pluribus operibus, & pluribus modis diuina se nobis manifestat misericordia; quia valde multiplex est, & nimis magna nostra miseria. Et sicut quidquid nobis defuit ad primum esse, antequam quidquam essemus, defectus, & miseria nostra fuit; ita quidquid nobis donatum est boni, vel naturæ, vel gratiæ, effectus censeri debet diuinæ misericordiæ. Id præclarè circa lla verba Psalmi quinquagesimi octaui S. Augustinus obseruauit: *Deus meus misericordia mea*: *Non inuenit*, inquit, *repletus bonis Dei, quid appellaret Deum suum, nisi misericordiam suam. O nomen, sub quo nemini desperandum est: Deus meus misericordia mea. Quid est miseri-*

Psal. 58. 11.
Psal. 22. 6.
Psal. 85. 13.
Psal. 144. 9.
Psal. 32. 5.
Psal. 107. 5.
Psal. 102. 4.
Psal. 135. 1.
Psal. 58. 18.
Psal. 58. 18.
S. Aug. enar. in Psal. 58.

cordia

cordia mea? si dicas salus mea intelligo, quia dat salutem: si dicas refugium meum intelligo, quia confugis ad eum: si dicas fortitudo mea, intelligo, quia dat tibi fortitudinem: misericordia mea quid est? totum quidquid sum de misericordia tua est. Sed promerui te inuocando te? vt essem, quid feci? vt essem, qui te inuocarem, quid egi? si enim egi aliquid vt essem, iam eram, antequam essem: porrò si omnino nihil eram, antequam essem, nihil te promerui, vt essem: fecisti vt essem, & non tu fecisti vt bonus essem? dedisti mihi vt sim, & potuit alius dare vt bonus sim? si mihi dedisti, vt sim, & alius dedit vt bonus sim, melior est ille, qui mihi dedit, vt bonus sim, quàm ille, qui mihi dedit, vt sim: porro quia nemo te melior, nemo potentior, nemo te in misericordia largior, à quo accepi, vt essem, ab illo accepi, vt bonus essem: Deus meus misericordia mea: huc vsque S. Augustinus. Sed est vlterius considerandum hanc Dei erga nos misericordiam talem esse iuxta diuinas scripturas, qualis est Patris erga filium suum dilectissimum; deinde esse tenerrimam, qualis est matris erga infantem vteri sui, esse denique summam, vt Creatoris erga suas creaturas. Esse misericordiam hanc Dei erga nos paternam bene intellexit, & in Psalmo Dauid expressit, dicens: *Quomodo miseretur Pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum*. Quis autem filius non habeat maximā in optimo suo parente fiduciam? Quis parens filij sui amantissimus nolit illum, quantum in se est, si per illius non steterit improbitatem, à nimis tremenda mortis sententia liberare? *Quare moriemini domus Israel? quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, reuertimini, & viuite*. Aque hinc fit, vt cùm in omnibus humanis iudicijs, & tribunalibus quædam sint peccata, quæ numquam veniam obtinent, nec possunt declinare supplicium, solum in tribunali diuinæ misericordiæ quodcumque peccatum, cuiuscumque tandem fuerit grauitatis, & quantumcumque multiplicetur, nisi defuerit pœnitentia, veniam possit obtinere. *Peccasti?* inquit S. Io: Chrysostomus, *pœnitere, millies peccati? millies pœnitere, non impeditur temporis angustia misericordia Dei*. Præclarè quoque in libro de vera, & falsa pœnitentia sanctus Augustinus: *Ille*, inquit, *solus diffidat, qui tantum peccare potest, quantum Deus bonus est. Cùm sit autem nullus, qui hoc possit, qui timet de se malo, præsumat de meliori. Diabolus enim, & omnis nequitia minor est, quàm Dei misericordia*. Præterea hæc Dei erga nos misericordia est tenerrima, sicut matris erga proprium filiolum,

Psal. 102. 13.

Ezech. 18. 32

S. Chrysost. in Psal. 50. ho. 2.

S. Aug. lib. de vera, & falsa pænit. c. 5.

filiolum, & infantem. Sic enim ipse de se loquitur per Isaiam: *Numquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui*. Neque id mirum, quæ enim mater aliquando tanto labore, ac dolore filios peperit, quanto nos regenerauit in Cruce, atque redemit Christus Dominus, & Saluator? Sed vt Creator est omnium Deus quali, quantàque misericordia, creaturas suas, præsertim rationales prosequatur, expressum his verbis habetur in libro sapientiæ: *Misereris omnium Deus, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti: parcis autem omnibus, quoniam tua sunt Domine, qui amas animas*. Quis igitur cùm hæc ita se habeant, Deo diffidat tam misericordi, tam liberali, tam bono? nisi qui forte nesciat, non credat, aut non cogitet suam miseriam, indigentiam, vel etiam malitiam nulla ex parte posse adæquare, ne dum superare tres istas diuinas iam expositas, bonitatis, liberalitatis, ac misericordiæ, sicut neque alias eius immensas perfectiones. Sed ab affectu confidentiæ in Deum ad alium perfectiorem transeamus.

Isai 49.15.

Sap. 11.24.

CAPVT QVINTVM.

De affectu perfectæ contritionis.

Præstantia actus contritionis triplici exemplo declaratur.

1 HIc affectus inter alios omnes viæ spiritualis purgatiuæ præstantissimus est, vtilissimus, & maximè necessarius. Quod vbi primùm ostẽderimus, erit secundo loco declarandum, quæ requirantur, vt contritio suam attingat perfectionem. Tertiò motiuum præcipuum proponetur ad hunc actum in sua perfectione promptissimè eliciendum. Primum itaque præstantiam, atque vtilitatem maximam huius affectus triplici exemplo declarabimus: primum erit artis chymicæ, cuius est munus viliora, & obscuriora metalla, vt plumbum, stannum, cuprum attemperatis quibusdam decoctionibus in aurum, aut in electrum conuertere. Quæ quidem ars etiamsi valde fallax esse deprehendatur, & communiter decipiat, integra quandoque decoquens patrimonia, neque valde nobiles habeat auctores; nihilominus à non paucis, nescio quomodo, spe

quadam

quadam lucri pretiosioris allectis cupidissimè exercetur. Quid igitur non erit nobis attentandum ad animam nostram redditam per peccatum obscurissimam, duriorem ære, plumbo grauiorem, in aurum diuinæ gratiæ per cordis compunctionem, & deuotionem perfectæ contritionis conuertendam,& reformandam? idque non fallaci aliqua arte,aut inuentione deceptoria; sed institutione diuina, certissima, & infallibili Dei promissione, ac iureiurando approbata. *Viuo ego dicit Dominus Deus, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat.* Maior autem, quàm per contritionem perfectam conuersio ad Deum in hac vita esse non potest: hæc est enim ad quam peccatorem à se per culpam auersum, Deus ad se inuitat per Prophetam, dicens: *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra*: huic certam veniam, & cum Deo reconciliationem diuina oracula pollicentur. Sic enim legimus in Deuteronomio: *Cumque quæsieris Dominum Deum tuum, inuenies eum: si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ*: & in Psalmo quinquagesimo dicitur: *cor contritum, & humiliatum Deus nos despicies.* Secundum exemplum adhuc magis exprimens huius rei dignitatem, atque præstantiam, est organizationis humani corporis ad animam infundendam, & inducendam vitam: quæ dispositio adeo est admirabilis, vt plures philosophi persuadere sibi non potuerint constare tantùm ex materialibus terreni corporis qualitatibus, sed oportere aliquam aliam intercedere altioris ordinis dispositionem, quam aliqui dixerunt esse quoddam veluti corpus spirituale, alij quamdam lucem à cœlo sidereo influente dispositiones ad animam vegetatiuam, à christallino pro anima sensitiua, ab empyreo pro rationali, res planè fabulosa. Cùm illud interim pro comperto habeamus, vbi primùm certo tempore materia illa animanda vltimas suas ad vitam obtinuit dispositiones, statim animam à Deo creari, infundi, vniri corpori, & corpus viuificari. Quia tamen iuxta naturæ leges à priuatione ad habitum, vt philosophi loquuntur, non est regressus; ideo non nisi semel in prima generatione dispositiones huiusmodi producuntur, quibus in morte corruptis non possunt vlla vi naturali amplius reparari. Quod si arte aliqua medicinæ fieri posset, vt illa dispositionum temperies iterum, cum anima ad cadauerosam materiam viuificandam reuocaretur, quis talem medicinam non omni studio conquireret, & quolibet pretio mercaretur?

Ezech. 33. 11

Ioel. 2. 12.

Deut. 4. 29.

Psal. 50. 19.

Refert sanctus Thom. 1. p. q. 76. art. 7.

Sed

Sed ecce ars inuenta est diuinitus ad vitam non moribundi corporis, sed animæ, & spiritus immortalis per mortifera peccata deperditam, non semel,& iterum,sed centies,& millies reparandam, & erit, qui minoris eam æstimet, quàm vitam huius miseræ carnis tamdem aliquando finiendam? *O christiane*, ait sanctus Augustinus, *non sunt in te charitatis viscera, si luges corpus, à quo recessit anima: animam vero à qua recessit Deus non luges.*

S. Aug. ser. 41. de sanctis.

Sed quod auget magis nostram in hac parte dementiam est,quia corpus plangimus demortuum,quod lugendo nulla ratione possumus ad vitam reuocare: animam autem mortuam non lugemus, quam tamen benè possumus per lachrimas veræ pœnitentiæ in statum pristinum, Dei adiuuante gratia, & numquam nobis ex se deficiente, restituere. Hoc est enim, quod legimus in Ezechiele: *Cum auerterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit iudicium, & iustitiam: ipse animam suam viuificabit.* Auertit autem se impius à peccato per eius detestationem, facit iudicium,se reum coram Deo agnoscendo, facit iustitiam pœnas de se ipso per cordis perfectam contritionem sumendo. Tertiò possumus eiusdem contritionis dignitatem, atque præstantiam parabola filij prodigi, ad rem de qua agimus à Christo Domino proposita, magis accommodatè declare. Petijt adolescens facultatum suarum à Parente legitimam portionem, eaque obtenta, profectus est in regionem longinquam, vbi viuendo luxuriose omnia breui tempore dissipauit: ex quo ad extremam redactus est inopiam, & sordidam mendicitatem. Sed pœnitentia in paternam domum reductus, pristinam beneuolentiam, & dignitatem, immo ampliorem pietatem, decora, & ornamenta ditiora ab optimo, & munificentissimo suo Parente recuperauit. Quis est autem hic adolescentior filius, nisi demens, & inconstans homo peccator? qui sicut à Deo non gressibus corporis, sed cordis peruersis affectibus elongatur, ita ad Deum, & in eius altissimum adiutorium non nisi motu interno perfectæ contritionis, vocante diuina gratia, & adiuuante se recipit: ibi stola prima gratiæ sanctificantis induitur, & exornatur: anulo mutuæ charitatis donatur: vt iam possit canere illud propheticum: *Gaudens, gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me, & quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.* Atque hæc breuiter de prǽstãtia huius affectus erant præsupponenda: nunc actum ipsum per suas partes exponamus.

Ezech. 18. 27.

Luca. 15. 12.

Isai. 61. 10.

Est igi-

2 Est igitur secundo loco animaduertendum, actum contritionis non esse simplicem, sed pluribus internis mentis operationibus constare oportere: quarum vna contritionem ipsam præcedit, comitantur duæ, & quarta subsequitur: præcedit fides, comitantur spes, & charitas; tum dolor de commissa culpa subsequitur. De his quatuor actibus, tria erunt nobis pro singulis indicanda: in quo consistat, circa quid potissimum versari debeat, & quæ sit eius in contritione perficienda necessitas. Inprimis itaque ad inchoandum actum perfectæ contritionis motus fidei in intellectu præcedat necesse est. Quia sicut docet Sacrum Concilium Tridentinum, *fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum eius consortium peruenire.* Ratio quoque huius necessitatis ex natura actuum internorum bene desumitur: Deus enim summus, & purissimus spiritus animas nostras non ingreditur, nisi per potentias spirituales intellectus, & voluntatis, neque voluntati se offert, atque obijcit, nisi prius mentem illustrando, & quasi per ianuam intellectionis transeundo. Sed neque sufficit quodcumque lumen in intellectu, si motio affectus non debeat esse naturalis; oportet enim eiusdem sint ordinis motio affectus voluntatis, & illustratio intellectus. Quare cum actus veræ, & perfectæ contritionis numquam succedat sine motu supernaturali nostri affectus, ac voluntatis, aliqua præcedat, necesse est, cognitio similiter supernaturalis in intellectu: quæ non est alia in hac vita, nisi fidei, vel quæ ad fidem reuocetur. Verissimè igitur à Concilio dictum est: oportere fidem in nobis esse nostræ salutis initium, fundamentum, & radicem omnis iustificationis; & propterea etiam dictum ab Apostolo fuisse: *iustificari hominem per fidem: & sine fide impossibile esse placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & quia inquirentibus se remunerator sit.* Quæ postrema Apostoli verba magis explicans Concilium Tridentinum, ait; vt se homo ad iustificationem disponere incipiat, credere oportere vera esse, quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt, atq; illud in primis, à Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu. Atque hæc est fides, quæ debet actum contritionis, & nostræ ad Deum conuersionis pro iustificatione præcedere, circa talia versari oportet, & hæc est eius necessitas. Quia verò fides, vt idem Apostolus definiuit, *est sperandarum substantia rerum,* ideo qui se ad iustificationem perfectè disponunt, vbi *ex fide ad considerandam Dei miseri-*

In actu contritionis quot actus inuoluātur.

Triden. sess. 6. cap. 8.

Triden. sess. 6. cap. 8.

Ad Rom. 3. 26

Ad Heb. 11. 6.

Triden. sess. 6. cap. 6.

Ad Hebr. 11. 1.

Triden.sess.6. cap.6. *cordiam conuertuntur*, ait ibidem Concilium, *in spem eriguntur, fidentes Deũ sibi propter Christum propitium fore; illumque tamquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt*. Atque ita primo actui, qui fuit fidei, secundus adiungendus est spei. Nam vt S. Ambr. lib. 1. de pœnit. c. 1. bene etiam S. Ambrosius docuit in libro primo de Pœnitentia: *nemo potest ritè agere pœnitentiam, nisi qui sperauerit indulgentiam*. Additur his tertius actus dilectionis, & amoris; neque verò sufficit naturalis, quo Deum vt auctorem naturæ, & naturalium bonorum summum principiũ remissa naturæ virtute aliquando prosequimur; sed debet esse amor supernaturalis, & is non quicumque, nam si esset amor supernaturalis, quem vocant concupiscentiæ, quatenus videlicet Deus est bonũ futuræ nostræ beatitudinis aliquando perfruendum, ad plenam cum Deo reconciliationem sine sacramento re ipsa suscepto, non sufficeret. Sed amor debet esse amicitiæ, & gratuitæ, non mercenariæ charitatis, qua Deus, vt in se bonus, & summum bonum, omnisque boni tum naturæ, tum gratiæ fons, atque principium per se dignus est, vt omni amore ante omnia, & super omnia diligatur. Erit autem hoc loco, qui ambigat, vtrum post fidem ante actum spei, & amoris, timoris actus sit interponẽdus; siquidem legimus Eccl. 1. 28. in Ecclesiastico: *timor Domini expellit peccatum; nam qui sine timore est, non poterit iustificari*. Non est tamen dubitandũ, sicut sæpe post actum fidei, timor ante spem excitatur, vt propterea Clemens l. 1. Strom. dixerit Clemens Alexandrinus, *prima ad salutem inclinatio fides est, post ipsam timor, & pœnitentia excitantur:* ita bene posse vicem timoris explere amorem, & perfectã Dei dilectionem, quam numquam oportere deesse contritioni, si debeat esse perfecta, licet aliqui aliter opinentur, verius, & non tantum securius existimamus. Quartus post hæc sequitur actus compunctionis cordis, siue pij animi doloris, ex Dei propter peccatum offensi dilectione prouenientis. Potest autem hic dolor intelligi tripliciter: primùm, vt sit solùm mœror quidam, & tristitia voluntatis: secundò, vt etiam partem sensitiuam afficiat: tertiò, vt exterius quoque erumpat in fletum. Horum tertium sequitur à secundo, secundum à primo, primum autem sequi debet ab odio perfecto, & à plena detestatione peccati, in qua propriè consistit substantia interni actus pœnitentiæ, & contritionis essentia. Hæc S. Thom. 3. p. q. 84. art. 8. enim, sicut doctor Angelicus scriptum reliquit, non est dolor ipse de peccatis, sed *est*, inquit, *eorum displicentia causans dolorẽ in eo, qui est susceptiuus doloris, qualis est homo in hac vita: post hãc autem vitam sancti non sunt susceptiui doloris; vnde displicebunt*

eis pec-

tis peccata præterita sine vlla tristitia. Quare etiam si dari possit in nobis vera, & perfecta contritio sine fletu, & sine alio externi doloris signo, quin etiam sine interna tristitia sensitiua; non tamen quamdiu sumus in hac mortali vita, sine aliquo mœrore, vel dolore saltem voluntatis contingit: vt propterea dixerit S. Augustinus, vel quisquis est auctor libri de vera, & falsa pœnitentia: *quid restat nobis, nisi dolere in hac vita? vbi enim dolor finitur, deficit pœnitentia*. Et in Tridentino Concilio dicitur perfici pœnitentia detestatione peccati, cum pio animi dolore coniuncta: quin etiam per dolorem, tamquam per notiorem eius proprietatem, ab eodem Concilio sic describitur: *Contritio est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero*. Vnde quæri etiam hoc loco valde vtiliter solet: vtrum expressum propositum non peccandi de cætero distinctum à detestatione peccati, siue ab actu contritionis, necessariò requiratur, an sufficiat aliquo modo in actu ipso contritionis implicitum, quod aliqui vocant propositum virtuale. Qua in re considerare oportet, non eandem esse naturam doloris, qui sequitur ex odio, displicentia, siue detestatione peccati; & naturā propositi non peccandi ex eadē displicentia, & peccati detestatione cōcepti. Ille etenim animi dolor, siue mœstitia etiamsi actus noster vitalis sit, & non mera passio, vt aliqui putauerunt, non est tamen in se liber, sed solùm in suo, à quo naturaliter emanat, immediato principio, odio videlicet, & detestatione peccati. Quare quò hæc detestatio maior fuerit, atque intensior, eo maiorem, & intensiorem inde sequi animi dolorem, veluti proprietatem oportebit. At verò non peccandi propositum, actus debet esse non solùm liberæ voluntatis, sed etiam in se immediatè, ac formaliter liber; eòque perfectius huiusmodi propositum eliciatur necesse est, loquendo non de necessitate naturali, sed obligatione morali, quò peccati detestatio fuerit imperfectior. Quapropter vbi hæc ita esset imperfecta, vt peccatum non respiceret, nisi præteritum, sine dubio alium actum requireret displicentiæ, siue detestationis peccati etiam de futuro, quæ detestatio sit firmum propositum non peccandi de cætero. Prima enim illa peccati præteriti solùm quatenus præteriti detestatio, nec est, nec potest intelligi esse efficax; cùm non possit efficere, vt peccatum præteritum non sit commissum, vnde explicatur per vocem velleitatis, cùm dicitur, vellem non peccasse, siue peccare non voluissem. At verò perfecta contritio debet esse actus voluntatis efficax, & absolutus,

S. Aug lib. de vera, & falsa pœnit. c. 13.
Trid. sess. 14. c. 1. & c. 4.

quem propriè exprimimus, cùm dicimus: nolo amplius peccare, vel nolo vmquam amplius esse peccator. Vbi ergo actus contriti cordis hanc attigit in pia volūtate perfectionem, ita vt per incompossibilitatem planè repugnet alteri actui, qui est volo peccare, & ex motiui vniuersalitate omnem, siue præteritam, siue quæ possit in futuro committi, culpam contra Dei amicitiam ex affectu eiusdem amicitiæ, & charitatis, saltem in eo genere peccati, de quo debet conteri, detestetur, aliud non requirit explicitum, siue distincto actu expressum propositum amplius non peccandi, sed satis erit implicitum. Hinc Dauid cùm de suo tum adulterij, tum homicidij commisso peccato à Nathan Propheta, Dei iussu redargueretur, vnico motu cordis absolutissimo
2.Reg.12.1. perfectionem suæ contritionis expressit, dicens: *peccaui Domino:* & statim à Nathan audiuit, peccati veniam à Deo in eo momento fuisse sibi concessam. Dixitque Nathan ad Dauid: *Dominus quoque trāstulit peccatum tuum, non morieris*. Quæ verba san-
S. Aug. l.50. hom.41. ctus Augustinus expendens in quadam homilia de pœnitentia, sic ait: *Deus vidit cor Dauid quādo increpatus est à Propheta, & grauiter increpatus, post cōminationes Dei terribiles exclamauit, dicēns: peccaui: & mox audiuit: Dominus abstulit peccatum tuū. Tantum valent tres syllabæ: tres syllabæ sunt peccaui, sed in his tribus syllabis flamma sacrificij corā Domino ascendit in cæ-*
Psal.50.19. *lū. Illius videlicet sacrificij, de quo in Psalmo dicitur: sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*. Neque est hoc loco prætermittendum, tantam esse huius detestationis, siue displicentiæ peccati necessitatē ad perfectæ cōtritionis constitutionem, vt licet in ea timoris actus, per actum amoris, & charitatis sufficientissimè, vt diximus suppleatur, non tamen actus displicentiæ, & doloris, nisi fortè cum aliquis de peccato commisso non recordaretur, nec posset amplius recordari; tunc enim formalis Dei dilectio pro vltima ad iustificationē dispositione loco displicētiæ sufficeret; iuxta illam
Ioann.14.21. Christi Domini in Euangelio promissionem: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Alioquin manet tam in nouo, quàm in veteri testamento lex peccantibus de formali pœniten-
Eccl.2.22. tia constituta; dicitur enim in Ecclesiastico: *si pœnitentiam non*
Luc.13.3. *egerimus, incidemus in manus Domini*, & in Euangelio Christus Dominus: *nisi*, inquit, *pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis*, & iterum infra: *dico vobis nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis*. Quoniam verò exemplar horum actuum per-

fectæ

fectæ contritionis verbis valde significantibus per modum piæ ad Deum precationis expressum, alibi fuit à nobis propositum variæ etiam formulæ actus contritionis satis piæ circumferuntur, vnum tantum superest hoc loco admoneamus: actus contritionis virtutem, & efficaciam non tam esse mensurandam ex vocum proprietate, & verborũ delectu, quibus ipsa significatur, & exprimitur, quã ex plenitudine affectus, quo verba illa ex corde pronunciãtur, cum viua in Deũ fide, firma spe eius magnæ misericordiæ, ardenti erga tantũ benefactorẽ charitate, summo peccati odio, & maximo animi dolore, non tam intensiuè, ac sensitiuè, quã vt vocant appretiatiuè, sicut de iactura summi boni, de miseria omnium grauissima, & de malo supra omne aliud mundi malum. Ad hoc autem in primis iuuabit motiuum talis affectus sibi proponere eleuatissimũ, de quo vltimo loco iã est dicendum.

3 Est autem inter omnia motiua contritionis excellentissimum illud, quod habetur ex consideratione acerbissimæ passionis, & mortis in Cruce nostri Redemptoris. Id est enim, quod multò antea figura serpentis ænei diuina per Moysem institutione significatum est, de qua sic legimus in libro numerorum: *Fecit ergo Moyses serpentem æneum, & posuit eum pro signo, quẽ cùm percussi aspicerent, sanabantur.* Itaque sicut æneum illud serpentis simulachrum, non solùm nihil in se veneni continebat, sed potius remedium erat præsentissimum contra omne venenum ijs, quos igniti serpentes momordissent, & illum sine veneno serpentem intentis oculis aspexissent: ita Christus Dominus in Cruce sublatus speciem quidem præseferebat peccatoris; peccatum autem prorsus in se non habuit, sed virtutem efficacissimam, vt in ijs, qui viua fide illum aspexissent omne peccati virus interimeret. Propterea ipse de se dicebat in Euangelio: *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Crux itaque Saluatoris per exaltatum in ligno serpentem præfigurata, fidem ante omnia nobis debebit excitare, siquidem illam à suis etiam crucifixoribus extorquebat; quando visa eius in cruce admirabili patientia, inuicta constantia, mansuetudine insuperabili, planè diuina benignitate, & charitate erga impijssimos, & crudelissimos suos interfectores, *reuertebantur,* inquit scriptura, *percutientes pectora sua, & dicentes: verè filius Dei erat iste.* Et latro simili aspectu talem de illo fidem in momento concepit, vt statim factus sit innocentiæ, & Regni Christi euangelicus prædicator. Secundò,

Motiuum pręcipuũ ad perfectam cõtritionẽ, est Christus Dominus in Cruce consideratus.

Num. 21. 9.

Ioan. 3. 14.

Matth. 27. 54

Luca. 23. 48.

Luca. 23. 40.

Massut. de cælesti conuersat. A a 3 quid

quid ita spem in nobis poterit excitare, & debebit, ac idem ipse pendens à Cruce Saluator pro nostra redemptione, & omnium nostrarum miseriarum remedio? iuxta decretum æterni Patris, qui si, quemadmodum ait Apostolus, *proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit?* Tertiò de charitate satis sit dicere, nullum esse motiuum ad excitandam nostram in Deum dilectionem, & amorem, quod in Christo Domino pro salute humani generis crucifixo cumulatissimè non inueniatur: siue bonitatem quis dicat esse, siue liberalitatem, siue pietatem, siue viscera misericordiæ, siue denique gratuitam illam, quam tantopere commendat charitatem suam Deus, atque æternam, & nunquam à nobis, vel minima ex parte rependendam beneuolentiam; qua cùm inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filij eius. Quartò hinc similiter summa peccatorum detestatio elicienda: vnde enim magis noxia peccati natura, & abominanda malignitas deprehendi potest? quam ex eo, quod Altissimi filium, vnigenitum æterni Patris, Regem gloriæ, illum de quo in Psalmo dicitur: *altissimnm posuisti refugium tuum, non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*, in eam merserit dolorum acerbitatem, & mare passionum; vt damnatus tamquam facinorosus, & infami patibulo inter duos latrones affixus, toto corpore lacero, & exangui, cogatur exclamare: *Deus, Deus meus, vt quid me dereliquisti? longe à salute mea verba delictorum meorum*: non quæ ipse vlla ratione commiserit, qui sicut ait Princeps Apostolorum, *peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius:* sed quia, vt idem ibi adiungit; *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum*, & quia, sicut dixit Isaias, *posuit in eo Deus iniquitatem omniũ nostrum: & vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus*. Quintò demum dolor hinc sequetur perfectissimus, & tristitia maximè omnium salutaris, tot videlicet Christi dolorum vera, & propria causa benè percepta; quæ alia non fuit, quam illa sæpius expressa à Dauide, & Isaia: nempe delicta eorum, quorum ipse caput, & Redemptor constituebatur, peccata nostra, & omnium hominum iniquitates. Postremò inde magis, quàm ex vlla alia pia consideratione, non peccandi amplius obfirmatum propositum elicietur, & nouam à culpis perquàm remotam vitæ rationem instituendi: quæ erit contritio omnibus numeris absoluta, & planè perfecta.

Ad Roman. 8. 32. *Ad Rom. 5. 8.* *Psal. 90. 10.* *Psal. 21. 1.* *1. Petri 2. 22.* *Isai. 53. 6.*

DE

DE CAELESTI CONVERSATIONE, PER INTERNAM ORATIONEM, ET EXERCITIA SPIRITVS.

Liber Sextus.

DE AFFECTIBVS PROFICIENTIVM in via illuminatiua.

CAPVT PRIMVM.

De affectu Imitationis.

1 EXPLICATIS affectibus incipientium, & viæ, quam vocant purgatiuæ, ſequitur agendum de affectibus proficientium,& viæ illuminatiuæ. Primùm autem offert ſe nobis præſtantiſſimus, & vtiliſſimus affectus imitationis: hoc enim ipſo, quod aliquis à damnabili nocte peccati, & à tenebris culparum mortiferarum, illuceſcente vitali gratia Dei, liberatus eſt, debet per imitationem ſequi iuſtitiæ Solem Chriſtum Dominum: qui propterea, vt refert in Euangelio S. Ioannes vbi aliquando peccatricem quamdam mulierem à miſero peccati ſtatu liberaſſet, ſalutarem de ſequela, & imitatione ſui adhortationem illis verbis adiunxit: *Qui ſequitur me non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ*. Eàdem ratione in ſua prima Epiſtola ad Romanos adhortabatur Apoſtolus: *Nox præceſſit, dies autem appropinquauit: abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis: ſicut in die honeſtè ambulemus*. Vnde auctor pijſſimus libelli de imitatione Chriſti,ſic ſuam eſt exorſus

Cur hic primum agitur de affectu imitationis.

Ioann.8.12.

Ad Rom.13.12.

Thom. à Kēpis l.1.c.1. de hac re tractationem: *Qui sequitur me non ambulat in tenebris: hæc sunt verba Christi, quibus admonemur, quatenus vitam eius, & mores imitemur, si velimus veraciter illuminari, & ab omni cæcitate cordis liberari. Summum igitur studium nostrum sit, in vita Christi meditari:* Hæc Thomas à Kempis. Quare vt modum exponamus, & rationem huius affectus imitationis inter meditandum suauiter, & efficaciter excitandi, proponemus primùm eius vtilitatem, secundò necessitatem, tertiò excellentiam, postremò quædam practica documenta de tota hac exercitatione subiungemus.

Vtilitas affectus imitationis.

2 Primùm itaque vtilitas huius affectus, qualis, & quanta sit, facile ex fine intelligetur, propter quem increata Dei sapientia Verbum æterni Patris carnem assumens in terris elegit inter mortales apparere, & vt vnus ex ipsis per triginta tres annos cum hominibus conuersari. Fuit autem duplex finis, vnus captiuatæ per peccatum humanæ naturæ plena redemptio, sicut Redemptor ipse in Euangelio testificatus est, dicens: *Venit filius hominis non ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.* (Matth. 20. 28.) Alter finis priori subordinatus hic fuit, vt exemplum nobis exhiberet omnium virtutum absolutissimum. Vnde cùm in vltima cœna tempore suæ imminentis passionis, & mortis illam profundissimæ humilitatis actionem exercuisset, procumbendi ad pedes singulorum Apostolorum, eosque suis manibus abluendi, postea subdidit: *Scitis quid fecerim vobis? exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* (Ioann. 13. 12.) Quod sicut de vna illa dictum fuit tantæ humilitatis, & charitatis actione, ita de alijs omnibus est intelligendum: Apostolo Petro sic propterea in sua prima Epistola scribente: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius,* (1. Petri. 2. 21.) & S. Basilius in exordio monasticarum constitutionum: *Omnis,* inquit, *actio, omnisque sermo Saluatoris nostri Iesu Christi, pietatis, ac virtutis regula est; & propterea incarnatus est, velut in imagine depingens nobis pietatem, atque virtutem: vt videntes, pro viribus archetypum, atque exemplar imitemur.* (S. Bas. de const. mon. c. 1.) Et quamuis finis præcipuus dominicæ incarnationis fuerit humana redemptio, huic tamen maximè oportuit adiungeretur iste secundus. Cùm enim Christi merita non nisi per imitationem virtutum eius adultis hominibus applicentur, parum nobis illius vita, passio, & mors profuissent; nisi etiam viam ad eius prosequenda vestigia per tot exempla virtutũ ipse aperuisset. Huius rei nos esse admonitos voluit in sua prima Epistola

ſtola S. Ioannes, ita ſcribens: *Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet ſicut illè ambulauit, & ipſe ambulare.* Quare vtiliſſimus hic imitandi Chriſtũ Redemptorem affectus in eo cæteris omnibus antecellit, quòd vnicus, & ſimplex non eſt, ſed aliorum omnium veluti ſumma, & totius chriſtianę perfectionis quaſi compendium: tot enim virtutes amplectitur, quot ex omnibus Saluatoris noſtri ſanctiſſimis actionibus exprimi per imitationem poſſunt. Hinc tria deducemus obſeruatione digniſſima, primùm cur voluerit Chriſtus Dominus per annos trigintatres tot exhibere perfectiſſimarum exempla virtutum, cùm vnica eius actio, vel paſſio, minima gutta ſanguinis fuſa in circumciſione, prima lachrymula, quam editus in hanc noſtrã lucem, & pro nobis natus emiſit, immo primus ille internus promptæ voluntatis affectus, quo in puncto conceptionis ſuæ anima eius ſanctiſſima acceptauit æterni Patris decretum, & voluntatem, vt homo fieret, ac reprobatis antiquis irrationalium animalium ſacrificijs, ipſe pro noſtra redemptione hoſtia ſalutaris ſe obtulit, ſatis ſuperque ad promerendam nobis cum Deo reconciliationis gratiam ſufficiens extitiſſet, & pro omnium peccatis ſatisfacere pleniſſimè potuiſſet. Teſtatur id in Pſalmo Propheta Dauid, cuius teſtimonium in eamdem ſententiam Apoſtolus Paulus interpretatus eſt: *Sacrificium,* inquit Dauid in perſona Chriſti, *& oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi*: vel ſicut legit Apoſtolus, *ingrediens mundum dixit: ſacrificium, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi, holocauſtum, & pro peccato non poſtulaſti, tunc dixi ecce venio, vt faciam voluntatem tuam: In qua voluntate,* addit Apoſtolus, *ſanctificati ſumus per oblationem Corporis Chriſti ſemel.* Sed nimirum placuit eius benigniſſimæ charitati non tantùm ſemel, aut iterum, ſed centies, & millies offerre ſe pro nobis, & omnis generis virtutum actiones perfectiſſimas exercere, vt ſuo exemplo nos animaret, & erudiret; ſicut in extrema vitæ ſuæ nocte proteſtatus eſt, dicens: *exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita, & vos faciatis.* Secundum, quod ex eodem principio dignum obſeruatione deducimus, eſt, cur non tam multi, nec tam inſignes ſanctitate viri, ac mulieres ante Chriſtum Dominum, ſicut ipſo in hunc mundum veniente, & poſt eius aduentum, in Eccleſia extiterunt; etiamſi omnes, quotquot ſiue antea, ſiue poſtea veram fidem, ac pietatem coluerunt, id non niſi ex gratia, & meritis vniuerſalis totius humani generis Saluatoris fuerint conſecuti: cuius infinitæ perſonæ dignitas in tantum operum

Ep. 1. c. 2. 6.

Pſal. 39. 7.

Ad Hebr. 10. 6.

Ioann. 13. 15.

rum dignissimorum valorem fecit excrescere, vt solutionem etiam anticipatam, & per omnes mūdi ætates in persona singulorum iustorum persolutam meruerit obtinere. Sed non omnibus ita potuit exempla suarum virtutum singularissima præmōstrare, sicut ijs, qui ipsum in lege Euangelica sunt secuti, quibus proinde Apostolica illa fit adhortatio: *Aspicite in Auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio, sustinuit Crucem, confusione contempta: atque in dextera Dei sedet. Recogitate enim eū, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem: vt ne fatigemini animis vestris deficientes; non dum enim vsque ad sanguinem restitistis.*

Ad Hebr. 12. 2.

Num. 13. 24. Fuerat id antea mysticè significatum in illo palmite, quem cum ingenti vuarum botro exploratores terræ promissionis absciderunt, & vecti appensum duorum hominum humeris gestauerunt; quorum is, qui ante ibat, Patres veteris testamenti, is vero, qui sequebatur noui testamenti Iustos significabat, botrus verò ipsum Dei filium in Cruce sublatum: vnde etiam sponsa dicebat in Canticis: *botrus Cypri dilectus meus mihi*. Quare sicut is, qui præcedentem palmitem sequebatur, aspectu illarum vuarum magis recreabatur, vmbra frondosi palmitis ab æstu aliquo modo defendebatur, & si esuriret, vel sitiret, ad manum habebat, vnde reficeretur: non sic autem ille, qui primus, & maiori molestia, ac defatigatione anteibat, quamuis idem gestaret, atque secundus: ita etiam licet iusti tam noui, quàm veteris testamenti Christum Dominum referre, idest viua fide credere, vita, & moribus imitari tenerentur; multò tamen efficacius, suauius, & expressius sancti posteriores in lege Euangelica id præstare potuerunt, quibus melius innotuit mysterium crucis, *absconditum à sæculis*, vt ait Apostolus, *& quod alijs generationibus non est agnitum filijs hominum, sicuti nunc reuelatum est sanctis Apostolis eius*. Tertium ex eadem doctrina deducendum, est diuinum consilium circa plenitudinem temporis dominicæ Incarnationis, de qua in epistola ad Galatas scripsit Apostolus: *At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege vt eos, qui sub lege erant, redimeret*. Non debuit autem executioni mandari à principio mundi, neque ad finem vsque differri; sed in medio constitui sæculorum, sicut à Propheta fuerat prænuntiatum: *Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud, in medio annorum notum facies, cùm iratus fueris misericordiæ recordaberis*. Pertinebat enim ad incarnandi Verbi maiestatem aliquo tempore ab homi-

Cant. 1. 14.

Ad Eph. 3. 4.

Ad Gal. 4. 4.

Habacuh. 3. 2

hominibus expectaretur, desideraretur, eius aduentus postularetur, multis prophetarum prædictionibus, & oraculis diuinis promitteretur, longa denique Patriarcharum serie adduceretur. Deinde ad vtilitatem nostram maximè faciebat in finem mundi eius aduentus non differretur: ne tam longa futuri mysterij expectatione fides in plerisque deficeret, & sine tot diuinissimarum Christi virtutum exemplis, Christiana charitas in Deum, & homines non solum refrigesceret, sed etiam interiret, & pœnitus in mundo extingueretur.

3 Ex his de vtilitate huius affectus imitationis breuiter indicatis ad eius necessitatem intelligendam erit procedendum, iuxta duplicem similiter finem incarnationis Verbi, quem esse diximus excitare nos per exempla, & subleuare per merita, sufficientissima illa quidem pro expiandis delictis totius mundi, & aliorum si darentur mille mundorum; sed quæ reproborum demeritis non nisi in electis, & iustis hominibus efficaciam sortiuntur. Ideo verò non sortiuntur, quia conformes fieri imagini filij Dei, tamquam archetypo exemplari per imitationem recusant. *Nam quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui: vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Hanc imaginem, & similitudinem ante Deus impresserat primo Parenti dono Iustitiæ originalis in statu innocentiæ fœlicissimo, sed eam ipse tum sibi tum posteris culpa originali partim obscurauit, partim etiam deleuit, & obliterauit. Erat igitur reformanda ad primum exemplar, nempe Deum, qui in prima hominis creatione dixerat: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram:* non qualem sibi Dæmon confinxerat, & superbè affectauerat, cùm dicebat: *similis ero Altissimo;* neque secundum illam, quam callidè persuadere primis nostris parentibus tentauerat dicens: *eritis sicut dij:* sed iuxta veram Dei sanctitatem, & eius sincerissimas perfectiones; quæ quia in amplissimo speculo diuinitatis tanto fulgore splendebant, vt in eas figere obtutum nostræ mẽtis acies reuerberata nimio splendore non posset; ideo magnum illud diuinitatis exemplar in homine Christo, quodammado contractum est, dum nube nostræ carnis obtectum modico infantili corpore per mysterium Incarnationis diuina prouidentia circumscripsit. *Et ita Verbum breuiatum fecit Dominus super terram*, vt futurum prophetauerat Isaias. *Vultis nosse*, inquit S. Bernardus, *quàm longum, quàm breue fecit? cælum, ait hoc Verbum, & terram ego impleo: nunc caro factum in angusto locatum præsepio est. A sæculo,*

Necessitas affectus imitationis.

Ad Roman. 8. 29.

Gen. 1 26.
Isai. 14. 14.
Gen. 3. 5.

Isai. 10. 22.
Ad Roman. 9. 27.
S. Bern. ser. 1. *de Natiuit.*

culo, ait Propheta, & in sæculum tu es Deus, & ecce factus est infans diei vnius. Ad quid hoc fratres, & quæ necessitas fuit, vt sic exinaniret se, sic humiliaret se, sic abbreuiaret se Dominus maiestatis, nisi vt vos similiter faciatis? Iam clamat exemplo, quod postea prædicaturus est verbo: discite à me, quia mitis sum, & humilis corde, vt verax inueniatur, qui dixit: cœpit Iesu facere, & docere. Obsecro vos proinde, & plurimum rogo fratres, non patiamini sine causa tam pretiosum exemplar vobis exhibitum esse: hæc S. Bernardus. Neque verò vt exemplar tantùm exhibuit nobis æternus Pater Vnigenitum suum, verùm etiam tamquam viuum speculum, cum ipse sit, vt dicitur in libro sapientiæ, *speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius*, sed sicut speculum visibiles species non reflectit, nisi plumbum habeat sibi subductum, ita in hoc increato speculo illa diuinarum perfectionum interminata profunditas, nobis vix apparebat, ideo necesse fuit plumbo nostræ carnis obduci. Præterea vt imago huius diuinissimi exemplaris non solùm ante mentis nostræ oculos expressa obuersaretur, sed etiam cordi fidelium altè imprimeretur, & vt quemadmodum monet Apostolus, *portauimus imaginem primi hominis terreni, ita portemus imaginem cælestis*; ideo verbum diuinum in carne fuit ad nos missum, vt esset veluti signaculum, atque sigillum, ad efformandas in cordibus nostris, sicut in molli cera, quantum nobis fas est diuina participare, atque referre, suas eximias perfectiones. Hinc est quòd in sacris Canticis illis nos verbis, Dei filius adhortatur: *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum*. Nec sine mysterio dictum est, *pone*, vt intelligamus, etiamsi primæ partes, diuinæ gratiæ in hoc opere tribuantur; nostram tamen requiri liberam cooperationem: nec solum in affectu voluntatis, quia dicitur: *pone me vt signaculum super cor tuum*, sed etiam in effectu imitationis, & operis executione; ideo subiungitur: *vt signaculum super brachium tuum*.

Luca act. 1. 1. — *Sap. 7. 26.* — *1. Cor. 15. 49.* — *Cant 8. 6.*

Excellentia affectus imitationis.

4 Post vtilitatem, & necessitatem huius præstantissimi affectus imitationis, excellentiam eius considerandam proposuimus, quippe qui, sicut antea dicere incœpimus, non in vna tantum, vel altera virtute consistit, sed est omnium veluti summa, & compendium perfectionis vniuersæ. Tot enim virtutes concernit, quot in vita vniuscuiusque sanctorum, de quo meditamur, inuestigari possunt: maximè verò in vita Sancti sanctorum Christi Domini Saluatoris: quæ alijs omnibus comparata, sigillo, de quo dicebamus, conuenientissimè assimilatur. Primùm enim sicut

nihil

nihil expressum, immo nec leuiter delineatum in cera sigillo pressa inuenitur, quod non extet multo perfectius designatum in sigillo, licet multa optimè formata permaneant in sigillo, quæ ceræ haud ita perfectè imprimuntur: ita nulla prorsus species virtutis, vel ratio honestæ operationis in sanctis enituit aliquando, nec vnquam apparebit, quæ modo valde eminentiori in Christo Domino non præextiterit: cùm tamen multa in eo præluxerint, quibus alij iusti caruerunt. Deinde sicut imagines in sigillo, vt pote in metallo solidissimo perdurant immobiles, in cera verò facili negotio destruuntur: ita virtutes in Christo præcesserunt adeo in bono firmatæ, vt à bono essent impermutabiles, & ab oppositis vitijs prorsus insuperabiles: in nobis autem velut in molli, ac penè aquea materia qualibet pressura facile deformantur, perduntur sæpe, ac diffluunt. Præterea non eadem ratione, atque in cera, sed opposita conformatione visuntur figuratæ imagines in sigillo, nimirum excauatæ, & concauæ, cùm in cera sint prominentes, & eleuatæ. Quia Altissimus Dei filius, vt posset exempla nobis præbere humilitatis, obedientiæ, patientiæ, & similium virtutum, quarum materia, & exercitationes in Deum cadere propter eminentissimam eius naturam non potuissent, *exinaniuit semetipsum*, vt ait Apostolus, *formam serui accipiens: & propter nos egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopia nos diuites essemus:* Descendit, vt nos eleuaremur: humiliatus est, vt nos attolleremur: mortuus est, vt nos iustificaremur: de nostra participare voluit humanitate, vt suæ nos diuinitatis tribueret esse consortes. Denique sicut ea sigilli conditio est, vt non in vna tantùm, sed in qualibet materia tractabili suam imaginem habeat imprimere, & efformare: ita Christi Domini viuendi ratio perfectissima, non vni tantum hominum generi proponitur imitanda, sed singulis, & planè vniuersis. Habet siquidem in se mirabiliter expressum, quid conueniat pauperibus, quid diuitibus, quid Domino, quid seruo, quid discipulo, quid Magistro, quid Religioso, quid sæculari, quid laico, quid Sacerdoti, quid Anachoretæ, quid incolæ ciuitatum; & omnibus omnia, multò magis, quam Apostolus factus est, vt omnes faceret saluos omnium ipse Saluator. Et quamuis maiora extitisse videantur quorumdam sanctorum exempla solitudinis, abstinentiæ, corporis macerationis; vt in Ioanne Baptista, Iacobo Minori, Antonio, & vtroque Machario; de quibus ecclesiasticæ historiæ multa huiusmodi potius admiranda, quàm imitanda commemorant: tamen hoc ipsum fuit diuini consi-

Ad Phil.2.7. *2.Cor.8.10.* *1.Cor.9.22.*

lij, tale

lij, tale vitæ genus à Christo Domino fuisse susceptum, in quo substantiales virtutes, & omnibus imitandæ in supremo perfectionis gradu reperirentur; vt charitas Dei, & proximi ardentissima, cordis omnimoda puritas, morum sanctitas consummata, summa integritas vitæ, contemptus rerum omnium mundanarum, conuersatio in carne cælestis. In his cum reliquis comparari vix potest. At in alijs, quæ non sunt essentialiter virtutes, sed media ad illas, siue instrumenta, ita se gessit, vt nemo desperet viam arripere christianæ perfectionis, idest eiusdem Christi Domini imitationis. Neque enim omnibus proponi potuisset S. Io. Baptistæ solitudo, sicut Domini nostri recessus ad orandum: neque toto vitæ tempore perpetua Macharij Alexandrini à coctis escis abstinentia, sicut huius quotidiana temperantia; neque alterius diuturna taciturnitas, sicut huius in loquendo, cùm esset loquendum, & in tacendo, vbi tacendum irreprehensibilis modestia, & circumspectio. Cæterùm plus Christus Dominus in qualibet harum actionum exercitatione merebatur, ob gratiæ, qua operabatur plenitudinẽ, dignitatemque personæ, quam toto vitæ suæ tẽpore confessores, martyres, & sancti simul vniuersi.

Quæ obseruanda in affectu imitationis eliciendo.

5 Iam addamus tria, quæ polliciti sumus practica de hoc præstantissimo imitationis affectu documenta, in eadem sigilli comparatione, & similitudine persistendo. In primis enim, sicut non sufficit manu sigillum apprehendere, illius formam, & lineamenta circumspicere, admirari elegantiam operis, & concinnitatem, atque etiam laudare; nisi materiæ obsignandæ conatu aliquo apprimatur: ita nihil, aut parum proderit ad imitationem, eximias Christi virtutes, aliorumque sanctorum apprehendere solùm, vt dicitur in abstracto, admirari, & speculatiua tantùm consideratione reuoluere, nisi propriæ nostræ materiæ, & nobis ipsis applicentur. Sed est etiam secundò animaduertendum aliquando euenire, vt circa virtutem aliquam re ipsa exercendam rationalis noster appetitus inter meditandum permoueatur, excitetur animus, cor incalescat, ac si virtutem illam seriò proponeret imitari; sed non ordinantur media statim arripienda, non destinantur, nec disponuntur debitæ, & necessariæ ad honestam operis adimpletionem circumstantiæ. Vnde sicut, qui sigillum vna tantùm ex parte in materia licet tractabili distortè depressit, non tam perfectam format imaginem, quam eius rudimenta quædam, & imperfecta lineamenta describit: ita qui se ad virtutem aliquam imitandam, & in posterum exercendam excitat, & disponit, nisi de præsenti locum, tempus, occasionem

quam

quam primùm captandam sibimetipsi præscribat, atque præfiniat, quamuis voluntas vehementer affecta erga bonum, & honestatem virtutis videatur, minus tamen efficax in exercitio, & in imitatione operis esse inuenietur. Quapropter erit denuo necessarium ad eundem imitationis affectum conatu repetito, quasi ad eamdem ceram iterum sigillo melius applicato, animum reuocare: sicut in simili de Galatis dicebat Apostolus, *filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Sed erit tertiò loco obseruandum, quia quemadmodum, qui nimio conatu anulo obsignat epistolam, cauendum illi est, ne totum dextruat, & dilaceret: ita non esse tales virtutum affectus, quadam cordis violentia extorquendos à voluntate; quæ cùm libera ex se sit, nec vlla ratione cogi possit in seipsa, sola propositione boni allicienda est, vt suauiter moueatur, inardescat honestate virtutis, & detestando efficaciter oppositi vitij fœditatem, compescat, atque componat motus animi deordinatos, mitiget passiones; atque ita prauis affectionibus sensim eradicatis, incipiant cum gratia, & influxu cælesti oportuno tempore germinare, & florere virtutes, vnde bene iam ordinatus animus magis quotidie proficiens, suauissimè per huiusmodi exercitia spiritus reficiatur. *Ad Galat. 4. 19.*

CAPVT SECVNDVM.

De affectu Deuotionis.

1 IMITATIONIS affectum, vt proximè sequitur, ita summopere perficit, & complet affectus veræ deuotionis, de quo propterea hoc loco dicturi sumus. Erunt autem de illo tria potissimum exponenda: primùm in quo propriè vera deuotio sita sit, hac enim ratione quantùm ad perfectam imitationem conferat, & qualem in exercitio meditationis locum obtineat, apparebit. Secundò vnde excitari ad deuotionem maximè debeamus. Tertiò quæ sint præcipua deuotionis impedimenta, & quasi hostes eius capitales, vt eos præcauere, atque omnino superare contendamus.

2 Deuotio, vt ab ethimologia, & proprietate nominis ad rem ipsam veniamus, à deuouendo dicitur: est autem propriè se ipsum deuouere, demissa, & incitata voluntate ad aliquid se offerre: *Quid propriè sit deuotio.*

ferre:

ferre: & quia in nulla alia re magis debemus nos demittere, quàm in obsequio altissimo Deo exhibendo, nec in alia re melius promptitudo nostræ voluntatis agnoscitur, quàm si pro tali obsequio etiam vitam offeramus: hinc est quòd etiam apud ethnicos veræ deuotionis expertes, linguæ tamen latinæ politioris auctores, deuouere se, propriè dicti sunt, qui in apertum aliquod vitæ discrimen falsis Dijs obsequendo pro Republica se offerebant: sicut legimus in historijs Romanorum de Curtio, qui pro Patria dæmonibus id poscentibus in abruptam terræ voraginem armatus equo insidens se præcipitem dedit, & de vtroque Decio patre simul, & filio, qui se certis verbis Dijs suis consecrantes neci obtulerunt: *vt illis cadentibus, & iram Deorum sanguine suo placantibus, Romanus liberaretur exercitus*, ait

S. Aug. lib. 4. de ciuit. Dei, c. 20. & lib. 5. cap. 18. sanctus Augustinus in libris de Ciuitate Dei: vnde ipse concludit, si tot, ac tanta illi pro falsa, superstitiosa, & impia deuotione fecerunt, quid nos pro vera, pia, & religiosa facere non oportebit? Est autem vera, & Christiana deuotio (vt cum S. Thoma docent alij Theologi) actus à virtute religionis elicitus in voluntate promptè se offerendi ad ea, quæ sunt diuini obsequij. Ex qua descriptione tria digna obseruatione ad rem nostram deducimus. Primum si de habituali deuotione quæratur, statuendum propter ipsam non esse habitum à virtute Religionis distinctum, ipsumque deuotionis vocabulum non habitum denominare, sed actum quendam specialem veluti internum affectum Religionis primarium. Et propterea S. Thomas vbi quæstionem de virtute Religionis in Summa theologica instituisset, statim aliam de affectu deuotionis adiunxit. Posset tamen aliquis hoc loco nobis obijcere, huiusmodi affectum non tam religioni, quam charitati, & amori diuino videri tribuendum: est enim amoris diuini effectus præcipuus non sinere amantem quodammodo sui iuris existere, sed totum se illius, quem amat obsequio tradere, & mancipare. Sed ad hoc ita breuiter possumus respondere: virtutum omnium dominam, & Reginam charitatem posse quidem, & solere virtutibus cæteris imperare, easque ad suos actus vnicuique virtuti proprios specialiter eliciendos excitare, sed non nisi mediantibus ipsis virtutibus, vt propterea dixerit Apostolus: *Charitas patiens est, benigna est, omnia credit, omnia sperat:* idemque de alijs quarumcumque virtutum actibus dicere potuisset. Quare virtutem quoq; Religionis mouet imperio suo charitas Dei ad varios actus deuotionis propter Deum, quē summè diligit, exercendos. Quando autem charitas per suum habitū sine alterius

Liuius lib. 10. dec. 1.

Deuotionis habitus est ipsa virtus religionis.

2. 2. q. 81. & 82.

1. Cor. 13. 4.

terius adiumento virtutis, Deo per affectum à se ipsa elicitum dilectionis inhæret, actus huiusmodi inhæsionis affectui deuotionis non absimilis, aliquid est ipsa deuotione præstãtius, & melius vnitio nominatur. Secundum, quod ex eadẽ doctrina deducimus est, hunc ipsum deuotionis affectũ cùm circa illa omnia versetur, quæ in Dei cultum, & obsequium exercentur, quandam habere materiæ varietatem, & amplitudinem, iuxta quam differentes esse videntur quorumdam deuotiones, cũ ad speciales materias contrahuntur: vnde aliqui in sacro, aliqui in horis canonicis recitandis, alij in alia diuini obsequij pia operatione dicuntur esse deuoti. Nulli tamen materiæ conuenientius adiungitur hic affectus, quàm actui, & exercitio meditationis; ita vt eius medulla, & pinguedo spiritualis dici possit, secundum, quod in Psalmo dicitur; *Holocausta medullata offeram tibi*; & iterum in alio Psalmo: *Sic benedicam te in vita mea, & in nomine tuo leuabo manus meas: sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea*. Putatis, inquit S. Augustinus in hunc Psalmum scribens, *aliquam pinguedinem carnis desiderasse animam istam, fratres mei? non hoc pro magno desiderat, vt pingues arietes mactentur Deo: aliquid spirituale debemus intelligere*, quod sine dubio nihil est aliud, quàm deuotionis affectus. Et propterea sancti Patres pro eodem accipiunt aliquando internam orationem, & deuotionem: neque enim sine deuotione perfecta est oratio: & quædam piæ mentis exercitatio, atque adeo quædam orandi ratio est ipsa deuotio. Tertium, quod etiam ex eàdem huius affectus definitione deducimus est, deuotionem non esse prorsus idem, ac lætitiam, siue gustum spiritualem: cùm enim deuotio sita sit in quadam promptudine, & veluti motu voluntatis offerentis se ad ea, quæ pia consideratione diuini cultus esse intelliguntur, gustus verò, lætitia, & consolatio spiritualis magis in quiete consistat, & fruitione boni apprehensi vt præsentis, atque ita delectantis; manifestum est non solùm vnum ab altero ex his affectibus oportere esse distinctum, sed etiam aliquando posse inueniri disiunctum, & separatum. Quis enim, vt rem illustri exemplo clarã faciamus, dubitabit illam orationem, qua Saluator noster in prædio Gethsemani *preces, & supplicationes*, vt ait Apostolus, *ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lachrymis offerebat*, fuisse, si vlla vnquam fuit oratio, deuotissimam? ex qua propterea plurimum confirmatus obuius processit armatis, à quibus ad necem quærebatur, cùm se pro salute humani generis illis an-

Variæ deuotiones iuxta varias materias differentes.

Psal. 65. 14.

Psal. 62. 5.

S. Aug. enarr. in Psal. 62.

Deuotio, & lætitia spiritualis quomodo distinguãtur.

Marc. 14. 31.
Ad Hebr. 5. 7.

Ioann.14.31. tea verbis deuouisset: *Vt agnoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, surgite, eamus hinc*. Et tamen quanta cum desolatione, ac tristitia coniuncta Matth.26.38 fuerit hæc deuotio satis illa verba declarant: *tristis est anima mea vsque ad mortem*, & inde secuta prodigiosa illa vsque ad sudorem sanguineum agonia. Ex quo intelligi potest quantopere decipiantur, qui deuotionem in appetitu sensitiuo, & in consolatione quadam sensibili potissimum constitutam esse arbitrantur, cùm neque consolatio illa purè spiritualis, quæ in appetitu rationali voluntatis suauissima operatione gratiæ excitatur, sit de essentia deuotionis, aut eius proprietas inseparabilis. Verum quidem est solere sæpe contingere, vt à deuotione, gustus, & consolatio spiritualis oriatur, & ab huiusmodi consolatione, atque gustu vicissim, in diuerso quamuis genere causæ, deuotio producatur, atque perficiatur. Est enim deuotionis causa consolatio spiritualis mouens vt finis, deuotio verò est tamquam effectiua causa gustus, & consolationis; quemadmodum finis motionis est quies, ipsa verò motio, perductio est ad Eccl.24.29. quietem. Vnde testatur cælestis sapientia de se ipsa: *qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient*; quia nimirum in rebus spiritualibus non solum esuries, & sitis, quæ respondet affectui deuotionis, mouet ad spiritualia degustanda, sed ipsa quoque talium delitiarum degustatio sine satietatis fastidio delectabiliter animum, mentemque reficiens, non minuit, sed auget appetitum, & animi ad illa propensionem, atque adeo S. Greg. hom. 36. in Euang. deuotionem. *Hoc enim distare inter delitias corporis, & cordis solet*, inquit S. Gregorius; *quòd corporales delitiæ, cùm non habentur, graue in se desiderium accendunt, cùm auidè eduntur, protinus in fastidium per satietatem veniunt. At contra spirituales delitiæ, cùm non habentur, in fastidio sunt; cùm verò habentur, in desiderio. Tantòque à comedente amplius exuriuntur, quantò ab esuriente amplius comeduntur. In illis appetitus placet, experientia displicet: in istis appetitus vilis est experientia placet. Augent enim spirituales delitiæ desiderium in mente, dum satiant, quia quantò magis earum sapor percipitur, eò amplius cognoscitur, quod auidius ametur, & idcirco non habitæ amari non possunt, quia earum sapor ignoratur*: hæc sanctus Gregorius. Solent etiam aliqui propriè dictam deuotionem, de qua nunc agimus appellare substantialem deuotionem, lætitiam verò, & gustum in rebus spiritualibus, de quo agemus capite sequenti, vocant deuotionem accidentalem: sicut inter

cæteros

cæteros Doctor Angelicus obseruauit. Sed cùm satis iam constet in quo vera deuotio sita sit, sequitur ostendamus, vnde potissimum excitare nos ad ipsam debeamus. *S. Thom. 2. 2. q. 82. artic. 3. & 4.*

3 Cùm autem non solùm cæca sit ex se voluntas nostra ad inquirendum, sed etiam tarda, & torpens ad cognitum bonum prosequendum, vbi piæ considerationi materia diuini cultus, & obsequij se obtulerit, quæ solet inter meditandum occurrere frequentissimè, torpentem voluntatem triplici huiusmodi comparatione facilè excitabimus. Prima est deuotionis, si ita sit appellanda, quam habere solent aulici, & mundani homines ergo suos dominos temporales, cum illa, quam habere deberent creaturæ intellectu, & ratione præditæ erga suum supremum Dominum, Creatorem, & vniuersorum conditorem. Quanto illi studio, quanta promptitudine, & alacritate per annos sæpe quamplurimos, aliquando etiam tota vita pro vanissima, & fallacissima mercede, interdum etiam cum dispendio mercedis, & salutis æternæ, deseruiunt? Qualia non patiuntur? quæ incommoda non dissimulant? quas non deuorant difficultates? quàm multi longo tempore plurimisque laboribus collectam gratiam dominorum, vno momento perdiderunt, & mille obsequia obliuioni statim sunt tradita propter vnum quid, quod nescitur quid tandem fuerit, inofficiosè commissum], aut omissum, fortè sine vlla culpa, vel demerito, aut etiam cum merito apud Deum; cui vt placeamus oportet interdum hominibus displiceamus: propterea dicebat Apostolus: *an quæro hominibus placere? si adhuc hominibus placerem, seruus Dei non essem*. Vnde quæruntur ab ingrato Domino occasiones seruum alioqui fidelem, & benemeritũ sine alia mercede à se ablegandi: vt cogatur habere loco magnæ remunerationis aliquãdo, quod possit recedere sine mulcta grauiori. Quare iustissima est illa Dei querela apud pium quẽdam auctorem: *promittit mundus temporalia, & parua, & seruitur ei auiditate magna: ego promitto summa, & æterna, & torpescunt mortalium corda. Quis tanta cura mihi in omnibus seruit, & obedit, sicut mundo, & Dominis eius seruitur? proh dolor, pro bono incommutabili pro præmio inæstimabili, pro summo honore, & gloria interminabili piget vel ad modicum fatigari. Erubesce ergo serue piger, & querulose, quod illi paratiores inueniuntur ad perditionem, quàm tu ad vitam; gaudent illi amplius ad vanitatem, quam tu ad veritatem: illi à spe sua sæpe frustantur, sed promissio mea neminem fallit, nec confidentem mihi dimittit inanem. Quod promisi dabo, quod*

Quid maximè in nobis excitare affectum deuotionis debeat.

Ad Galat. 1. 10.

Thom. à Kempis l. 3. c. 3.

dixi implebo, si tamen vsque ad finem fidelis quis in dilectione mea permanserit. Ego remunerator sum omnium bonorum, & fortis probator omnium deuotorum. Hæc apud Thomam de Kempis.

Aliud efficaciusmotiuum deuotionis.

4 Quod si quis huiusmodi exemplis non permoueatur, transeat per considerationem ad secundam falsæ deuotionis cũ vera comparationem, quæ eò nos debet efficacius excitare, quod hæc non solum est falsa deuotio, sed etiam seruitus maxime vilis, & sordida; nimirum erga Dominos vilissimos, & sordidissimos; quorum tamen obsequijs plurimi ex miseris mortalibus ardentissimo affectu se tradunt, ac deuouent: dum adeo sunt solliciti, vt suis deprauatis animi propensionibus, inordinatis passionibus, & dedecorosis concupiscentijs modis omnibus satisfaciant. Significatum id fuit in filio illo prodigo, qui, vt in Euangelio legimus, consumpta paterna substantia, idest Dei gratia, & donis supernaturalibus, coactus est immunda pascere animalia: *& cupiebat*, inquit scriptura, *implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat*: Sunt autem siliquæ, sicut S. Ambrosius adnotauit, non cibus humanus, sed belluinus, sonoris folliculis, intus inanis, quo non reficitur corpus, sed impletur, vt magis sit oneri, quàm vsui: & tamen neque ijs vesci ad saturitatẽ ei concedebatur, illis ipsis, quibus tamquam Dominis suis seruiebat vilissimis animalibus in hac parte miserior. Sed addere hic oportet eos, qui vitiosis suis inclinationibus, & prauis concupiscentijs fræna laxarunt, non huic tantùm generi immundorum animalium pro obsequijs se deuouisse, verùm & alijs nihilo mitioribus, nec minus abominandis. Quid enim est aliud effrænatæ alicui passioni, & cupiditati explendæ se tradere, siue amoris insani, siue odij capitalis, siue cor discruciãtis inuidiæ, iræ, vindictæ, quàm pascere impudentes, & rabiosos canes, venenatas viperas, crudeles tygrides, & feros leones? Iam quis enumerabit seruitutis adeo miseræ talium bestiarum tot addicta mancipia, & tanta deuotione seruientia? pro mercede infælicissima, primùm amissionis gratiæ Dei, deinde etiam non raro temporalium bonorum, integri patrimonij, bonæ apud homines famæ, valetudinis, & vitæ? De vno solo intemperantiæ vitio dictum fuit à Salomone: *propter crapulam multi obierunt*: sed numquid pauciores propter aliud genus intemperantiæ vehementioris, nempe incontinentis concupiscentiæ, ex qua idem Salomon ait, *multos veluti sagitta iecori infixa vulneratos cecidisse, alios inductos*

Luca. 15. 11.

S. Ambros. in c. 15. Luca.

Eccl. 37. 34.

Prouer. 7. 23.

tamquam

tamquam aues ad laqueum, & agnos lasciuientes, & victimas ad imolandum, & fortissimos quosque mansisse deiectos, & interfectos ab ea. Hinc tot malorum iliades omnibus mundi sæculis extiterunt, auctæ alia libidine vlciscendi, pœnas quamtumlibet iniquas de quocumque persequendi, & cæca, atque indomita cupiditate dominandi, ex qua numerosissimi, & propè infinitorum hominum exercitus internecione deleti sunt, vnde sæpe campi, flumina, & maria ob terrestres, naualesque copias obtruncatas sanguine redundarunt. Quare si quis velit huiusmodi funera, non singillatim, quod fieri humana scientia non potest, sed in vniuersum computare, inueniet ab efferatarum animi passionum, & malarum suarum concupiscentiarum pseudomartyribus veros,& pios Dei martyres longè superari; vt facilè nobis persuadere possimus esse in inferno quamplurimos, qui si vel partem eorum, quæ pro acquirenda sibi æterna damnatione sustinuerunt, pro Deo,& pro acquirenda fœlicitate sanctorum tolerare maluissent, iam pridem, nec in ordine postremo beatorum, regnarent in cælis. Atque id ipsum apud inferos, vt legimus in libro Sapientiæ, serò intelligent,& inuiti fatebuntur, *dicentes intra se, & præ angustia spiritus gementes: lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus.* *Sap.5.7.*

5 Sed est adhuc tertia efficacior ad rem nostram consideratio, funestioris impiorum deuotionis, qua christianum quodcum que pectus permoueri maximè oporteret; ea siquidem in obsequio versatur multò deteriori communis humani generis aduersarij Diaboli, cui omnes aliæ superius expositæ execrandæ deuotiones aliqua ratione subordinantur. Vt autem planior sit huiusmodi consideratio, duo nobis militaria signa inter se contraria ante mentis oculos proponamus: vnum salutiferæ Crucis Christi optimi nostri Imperatoris, & Saluatoris, alterum Luciferi hostis omnium bonorum capitalissimi, totum vndique nominibus blasphemiæ inscriptum. Erit deinde comparatio facienda tot accurrentium ad vexillum, & castra Luciferi, tanta frequentia, promptitudine, alacritate, cum electorum pusillo grege ad Christum accedentium, sicut ipse dicebat: *nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnũ.* Cùm tamen iniquissimus Dæmon vocet ad perditionem sempiternam, neque solùm animarum, quas festinat secum adducere ad ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius, verùm etiam corporum: quæ quia non nisi post extremi Iudicij dicm

Tertium adhuc efficacius motiuum deuotionis.

Luca.12.32.

Matth.25.41.

diem ardebunt in inferno, quasi hoc expectare nimium impatiens non possit, instituit crudelissimus, offerri sibi quamplurima humana sacrificia, idest hominum proprios filios Dæmonibus immolantium. Non loquimur sub metaphora, neque per ambages; res est in Dauidicis etiam Psalmis contra Ethnicos idololatras decantata, quos dira insania multi de populo Iudæorum æmulabantur: *& commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum, & immolauerunt filios suos, & filias suas Dæmonijs: & effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum, & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan.* Quod tamen præcauens in Deuteronomio Deus grauissimè toti populo per Moysem prohibuerat, illis verbis: *Caue ne imiteris gentes postquam te fuerunt introeunte subuersæ: omnes enim abominationes, quas auersatur Dominus, fecerunt Dijs suis, offerentes filios, & filias, & comburentes igni.* Habebant autem inter cætera Idola æneum vnum, quod Moloch appellabant, intus excauatum simulacrum, in quo proprios filios includebant, & igne supposito, cymbalis, alijsq; instrumentis ita personabant, vt gemitus, & vociferationes miserorum infantium, qui intus cremabantur, exaudiri non possent; ne quisquam ad commiserationem, sed potius omnes ad gaudium, & tripudium mouerentur. Adeòque creuit crudelissima hæc vesania, Dæmonibus in varijs Mundi partibus ad eam instigantibus, vt vix enumerari possint, non dicam myriades hominum eo genere mortis interfectorũ, sed neque ipsa genera sacrorum diuersa, & species horribilium superstitionum, quibus Ioui, Saturno, Marti, Apollini, Baccho, Veneri, Mineruæ, & alijs Dæmonibus plurimæ gentilium nationes pro pace, pro bello, pro victoria obtenta, pro obtinenda, pro varijs calamitatibus auertendis, pro spe vanissima quæuis alia impetrandi, cruenta hominum sacrificia instituebantur; etiam vsque ad nostra tempora in Indijs Orientalibus, & Occidentalibus. Itaque in vna sola Ciuitate Mexicana, sicut à fide dignis accepimus, singulis annis plusquam viginti millia hominum Dæmonibus sacrificabantur. Quæ crudelissima superstitio tandem annis superioribus penitus sublata est, prædicato ibi Euangelio, & christiana Fide, ac Religione ab omnibus iam suscepta. Semel tantùm Deus Abrahæ præcepit, vt filium suum sibi in sacrificium immolaret: quod tamen fieri non permisit, & promptam serui sui obedientiam tam insigni benedictione remunerauit, vt in illo benedicerentur omnes gentes, ex illo Messias

Psal. 105. 35.

Deut. 12. 30.

4. Reg. 23. 10. Ierem. 7. 31. ibiq; Lyranus.

Arias de imitatione Christi to. 1. tract. 6. cap. 13.

ſias humani generis Saluator naſceretur, & multiplicaretur ſemen eius, ſicut ſtellæ cæli, & ſicut arena maris, quæ præ multitudine numerari non poteſt. At verò ſæuiſſimi Dæmones tantam Abrahæ obedientiam Deo inuidentes, non ſunt contenti promptitudine voluntatis vnius, vel alterius hominis, ſed reipſa non per ſpeciem tantum, miſeros mortales adegerunt, vt proprios filios, & filias, fratres, propinquos, famulos, conciues, in tanto numero per varias mundi ætates ſibi ſacrificarent, vt computari præ multitudine minimè poſſint. Et hic eſt tertius, & ſummus execrandiſſimæ deuotionis gradus, ex cuius attenta conſideratione faces admoueri, & vnicuique pio, & chriſtiano cordi flamma ardentiſſima veræ deuotionis accendi erga benigniſſimum, & munificentiſſimum Deum oporteret, ſicut in ſe ſanctus Baſilius ſentiebat, qui nulla re adeo ſe permoueri ſcripſit, quàm contumelioſa Dæmonis exprobratione iactantis, & extollentis ſe contra Deum, quòd tam multos homines habeat in obſequijs, quos tamen ipſe non creauit, vt omnium Creator Deus, non redemit, non eſt pro illis mortuus, nec vitam illis pollicetur æternam, ſed mortem parat ſempiternam. *Equidem*, inquit S. Baſilius, *iſtam ego aduerſus Dominum contumelioſam opprobrationem, ac dedecus, & inſolentem hoſtis gloriationem, grauiora longè eſſe ſtatuo, quàm ea, quæ ſunt in gebenna ſupplicia, materiam nos aduerſario Chriſti glorioſius ſeſe aduerſus illum efferendi extitiſſe, qui conciliandæ nobis fuit cauſa ſalutis.*

Gen. 22. 16.

S. Baſil. in reg. fuſioribus interreg. 2.

6 Supereſt iam tertium principale, quod in hac materia poſtremo loco explicandum propoſuimus; nempe quid ſit illud, quod obtinendæ, conſeruandæ, & augendæ gratiæ deuotionis maximè aduerſatur. Id vt vno verbo dicamus, nihil eſt aliud, quàm capitale vitium acediæ: hoc enim aduerſa quaſi fronte, & armata cornibus ceruice piorum oppugnat deuotionem. Significatum autem videtur per quartam illam beſtiam, quam in viſione nocturna Propheta Daniel ſe aſpexiſſe commemorat: *Aſpiciebam*, inquit, *in viſione noctis, & ecce beſtia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens, atque conuellens, & reliqua pedibus ſuis conculcans: & habebat cornua decem.* Iam cum hoc monſtro vitium acediæ conferamus, quod ex doctrina Theologorum ſic poſſumus definire. *Acedia eſt immoderata quædam triſtitia ex malo apprehenſo circa bonum ſpirituale, & torpor animi pia opera inchoare, vel inchoata perficere negligentis.* Erant autem illius nocturnæ viſionis tres pro re noſtra conſiderandæ condi-

Qui ſint hoſtes deuotionis capitales.

Dan. 7. 7.

S. Thom. 2. 2. q. 35. art. 1. 2. & 3.

tiones, tres quoque illius monstri nocendi modi, ac rationes. Imprimis, apparitio bestiæ tota in nocte succedebat: quia vitium acediæ non aggreditur mentem, nisi tenebris tristitiæ obscuratam,& quodam tædio bene operandi veluti torpido sopore oppressam. Secundò,ascendebat bestia de mari, quia acediæ vitium à mundanis temporalium cogitationum fluctibus, & vndis curarum sæcularium emergens, portum inuadit quietis spiritualis, & quasi in arena, terrore potius, quam viribus pugnatura minaciter se constituit, ad omnem religiosæ disciplinæ obseruantiam perturbandam. Tertiò, ascendit bestia ventis in mari magno præliantibus; quia sicut mysticè interpretatur Riccardus S. Victoris, huiusmodi perturbationes, & adeo irrationales animi commotiones, vt sunt fastidia bonorum supernaturalium, tædia,displicentiæ rerum spiritualium, non nisi ex vehementia tentationum, & ex quadam violentia passionum in anima secum pugnantium oriri solent. Quartò, bestia erat mirabilis, fortis nimis, atque terribilis, dentibus armata ferreis, comedens,atque comminuens: quia proprium est hominis acediæ morbo valde laborantis, nec sibi, nec alijs parcere, in omnes sæuire, primùm in se ipsum tetris suis cogitationibus, & profundis imaginationibus, quasi dentibus ferreis cor propriũ mordere, deinde alios, maximè verò pios, & in Dei obsequio feruentes,accusando, calumniando, bona illorum opera semper in deteriorem partem interpretando. Quintò, nitebatur alia pedibus proculcare,& conterere: quia terrenis affectibus mens hominis acediosi depressa, spiritualia despicit, atque contemnit, *& quod non potest*, inquit Ricardus, *lacerare per diffamationem, per despectum calcat*. Sextò, decem armata cornibus fronte, ac ceruice minabatur: per quæ alia decem vitia putant sancti Gregorius, & Isidorus, fuisse significata, ex vno acediæ vitio prodeuntia: ea verò sunt malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, mentis ad illicita euagatio, somnolentia, otiositas, curiositas, verbositas, & inconstantia. Nec est quòd miretur aliquis,per cornua, quibus in sacris literis significari potius videtur stolida superbia, arrogantia, & cæca præcipitatio, hic tamen denotari pusillanimitatem, desperationem, otiositatem, curiositatem, loquacitatem: nam propterea fortasse additum est à Propheta, vidisse se tria ex illis cornibus fuisse conuulsa, & apparuisse ibi oculos quasi hominis, & os loquens ingentia: vt intelligeremus, pertinere quidem ad vitium acediæ bonis aliorum operibus superbè insultare, sed solere desinere in propriam despe-

Riccar. lib. 3. de erud. hominis cap. 2.

S. Greg. l. 31. mor. c. 31. S. Isid. lib. de summo bono.

Dan. 7. 8.

desperationem; & fracti animi deiectionem, atque inde conquiri solatia humanæ conuersationis, curiositatis, & verbositatis. Hæc igitur omnia vitia, quàm sint veræ deuotioni aduersaria nimis docet experientia: vt propterea, qui longè à se non arcet hoc tenebrosum, & abominabile acediæ monstrum cum tota sua infœlici prosapia, maximè in luce orationis per considerationes superius explicatas, vtilissimo deuotionis affectu perpetuo careat necesse sit.

CAPVT TERTIVM.

De affectu lætitiæ & gaudij spiritualis.

1 QVIA lætitiæ, & gaudij spiritualis affectum solere sequi ex affectu deuotionis iam exposito, superius dicebamus, & esse illius terminum, perfectionem, & complementum, est etiam morbi acediæ, qua tantopere deuotio impugnatur remedium proprium, & præsentissimum; ideo oportunè de hac materia in hoc capite tractabimus. Et primùm erit explicandũ, quid sit, vel in quo propriè cõsistat lætitia spiritualis: secundò ostendemus in meditatione, atque interna cum Deo conuersatione hunc lætitiæ, & gaudij spiritualis affectum maximè habere locum: tertiò quàm sit necessarius in via illuminatiua proficientibus, & in melius semper progredi cupientibus.

Sicut ad imitationem confert deuotio, ita ad deuotionem lętitia spiritualis.

2 Imprimis itaque, vt videamus in quo propriè consistat lætitia spiritualis, statuendum nobis est quid nomine lætitiæ in genere significetur, hoc autem nihil aliud esse videtur, quàm affectio quædam animi se quodammodo affundentis, seu quidam motus cordis se dilatantis, circa bonum delectabile, quod apprehenditur tamquam aliqua ratione præsens, vnde illo sic fruitur, & in illo conquiescit. Sicut tristitia directè opposita lætitiæ, quædam esse videtur animi contractio, & cordis constrictio ex malo apprehenso tamquam præsenti, atque ita affligente. Vnde putarunt aliqui lætitiam à latitudine esse appellatam, præsertim quia non semel in Scripturis sacris per hanc animi, & cordis effusionem, ac latitudinem affectus lætitiæ, & gaudij explicatur. Ita enim legimus apud Isaiam: *Tunc videbis & afflues, mirabitur, & dilatabitur cor tuum,* & in Psalmo: *viam mandatorum*

In quo cõsistat lætitia spiritualis.

S. Thom. 1.2. q. 31. artic. 3. ad 3.

Isai. 60. 5.

Psal. 118. 32. *torum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum*. Hæc autem ipsa nostri animi lætitia, quatenus tristitiam mitigat, & expellit desolationem, consolatio appellatur; eadem quatenus apparet in vultu, dicitur iucunditas, in corde iubilus, in motibus exultatio, gaudium verò vt est in appetitu tantùm rationali, & ibi producitur ex boni apprehensione non sensitiua, sed intellectiua: vnde gaudium sensibile non dicitur, sicut consolationes quædam sensibiles denominantur; neque in brutis animantibus gaudium inuenitur. Sed ex nulla re melius species, & natura gaudij, quàm ex materia, & obiecto, circa quod versatur dignosci solet. Si enim bonum, quod nos recreat, & delectat, verè est bonum, verum est gaudium, & bona lætitia: si circa falsum, & deceptorium versatur bonum, vana est, & falsa lætitia, de qua Ecclesia-

Eccles. c. 2. 2. stes: *Risum*, inquit, *reputaui errorem, & gaudio dixi, quid frustra deciperis?* nec est aliud huiusmodi lætitia, sicut ait S. Augustinus; *quam quædam impunita nequitia*. Sed etiam si bona sit, & honesta lætitia, non ideo statim censenda erit spiritualis, nisi fuerit de bono aliquo spirituali, & in nobis per gratiam sancti Spiritus excitata, quam propterea inter eius primarios fructus

Ad Galat. 5. 22. Apostolus numerauit, cùm dixit: *Fructus autem spiritus est, charitas, gaudium, pax*. Atque hoc est gaudium spirituale, de quo hic agendum suscepimus, à sæculi gaudio sicut cælum à terra exaltatum, atque diuersum. Est enim imprimis gaudij sæcularis mira exiguitas, & summa inconstantia: de qua benè quidam

Iob. 20. 4. sapiens apud Iob dicebat: *Hoc scio à principio, ex quo positus est homo super terram, quod laus*, vel vt legunt septuaginta Interpretes, *quod lætitia impiorum breuis est, & gaudium hypocritæ ad instar puncti: si ascenderit vsque ad cælum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderunt, dicent, vbi est? velut somnium auolans non inuenietur, transiet sicut visio nocturna*. Deinde quàm non

Iob. 20. 12. modo vana, inconstans, & momentanea; sed etiam perniciosa, venenosa, & mortifera sit lætitia impiorum, in eodem capite verbis significantissimis explicatur, vbi subditur: *Cùm enim dulce fuerit in ore eius malum, abscondet illud sub lingua sua: panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus; diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus: caput aspidum suget, & occidet eum lingua viperæ*. Ecce quales sunt sæculi delitiæ, consolationes, atque lætitiæ; quarum dulcedo sub lingua absconditur, sed lingua viperæ enecantis, dum à mundi assentatoribus, & ad malum horatoribus linguis

vipereis

vipereis celebrantur: quibus allici est aspidum capita sugere, idest, vt S. Gregorius interpretatur, malarum suggestionum initijs culpabiliter oblectari; in ventrem verò traijcere est, pleno mentis consensu intra animum admittere; vt in fel postea draconis intrinsecus magno conscientiæ tormento, & cordis exulceratione conuertantur. Contra verò lætitia spiritualis est prælibatio quædam cælestium gaudiorum sincera, pura, incoinquinata, sancta, pignus futuræ beatitudinis, arrha fœlicitatis æternæ, manna illud absconditum, & candidus calculus nemini cognitus, vt dicitur in Apocalypsi, nisi illi, qui accipit: nemo verò accipit, nisi fuerit de numero iustorum, & Dei amicorum, quibus propterea in Psalmo dicitur: *Lætamini in Domino, & exultate iusti*; & in alio Psalmo: *exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio*, & ipse inter illos expertus Propheta dicebat: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te, perfecisti eis, qui sperant in te? Absit ergo*, inquit S. Augustinus in suis confessionibus, *absit à corde serui tui, qui confitetur tibi, absit vt quocumque gaudio gaudeam, beatum me putem. Est enim gaudium, quod non datur impijs, sed eis, qui te gratis colunt, quorum gaudium tu ipse es: & ipsa est vita beata, gaudere ad te, de te, & propter te, ipsa est, & non est altera.*

S. Greg. lib. 15. mor. c. 9.

Apocal. 2. 17.

Psal. 31. 11.

Psal. 32. 1.

Psal. 30. 20.

S. Aug. lib. 10. confess. c. 22.

3 Iam, quod secundo loco explicare proposuimus, videamus, hunc nimirum veræ lætitiæ, & gaudij spiritualis affectum in oratione, idest in interna cum Deo conuersatione, & rerum cælestium contemplatione potissimum excitari. Id verò non est difficile tum diuinis promissionibus, & sacræ Scripturæ testimonijs, tum sanctorum auctoritatibus, & exemplis, tum etiam conuenientissimis rationibus demonstrare. Promissio diuina in primis apud Isaiam ita legitur: *Hæc dicit Dominus: Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ*: vbi nequaquam existimare debemus de monte aliquo corporeo esse sermonem, sed res est per quamdam similitudinem spiritualiter intelligenda. Nam quemadmodum, qui ad montem se conferunt ab aliorum commercio, & consuetudine recedunt, alta conscendunt, cælo fiunt propinquiores, res inferiores vel non aspiciunt, vel non nisi à longè despiciunt, vnde paruæ illis, & minutæ apparent, atque adeo propter exiguitatem, & minutiem contemptibiles. Ita, qui per spiritum montem contemplationis ascendunt, ab humana ad diuinam, & cælestem se transferunt conuersationem; vt possint dicere cum

Verum gaudium in hac vita maximè in oratione, & contemplatione percipitur.

Isai. 56. 7.

Apostolo

Psal. 118.32. *torum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum*. Hæc autem ipſa noſtri animi lætitia, quatenus triſtitiam mitigat, & expellit deſolationem, conſolatio appellatur; eadem quatenus apparet in vultu, dicitur iucunditas, in corde iubilus, in motibus exultatio, gaudium verò vt eſt in appetitu tantùm rationali, & ibi producitur ex boni apprehenſione non ſenſitiua, ſed intellectiua: vnde gaudium ſenſibile non dicitur, ſicut conſolationes quædam ſenſibiles denominantur; neque in brutis animantibus gaudium inuenitur. Sed ex nulla re melius ſpecies, & natura gaudij, quàm ex materia, & obiecto, circa quod verſatur dignoſci ſolet. Si enim bonum, quod nos recreat, & delectat, verè eſt bonum, verum eſt gaudium, & bona lætitia: ſi circa falſum, & deceptorium verſatur bonum, vana eſt, & falſa lætitia, de qua Eccleſia-
Eccleſ. c.2.2. ſtes: *Riſum, inquit, reputaui errorem, & gaudio dixi, quid fruſtra deciperis?* nec eſt aliud huiuſmodi lætitia, ſicut ait S. Auguſtinus; *quam quædam impunita nequitia*. Sed etiam ſi bona ſit, & honeſta lætitia, non ideo ſtatim cenſenda erit ſpiritualis, niſi fuerit de bono aliquo ſpirituali, & in nobis per gratiam ſancti Spiritus excitata, quam propterea inter eius primarios fructus
Ad Galat. 5.22. Apoſtolus numerauit, cùm dixit: *Fructus autem ſpiritus eſt, charitas, gaudium, pax*. Atque hoc eſt gaudium ſpirituale, de quo hic agendum ſuſcepimus, à ſæculi gaudio ſicut cælum à terra exaltatum, atque diuerſum. Eſt enim imprimis gaudij ſæcularis mira exiguitas, & ſumma inconſtantia: de qua benè quidam
Iob. 20.4. ſapiens apud Iob dicebat: *Hoc ſcio à principio, ex quo poſitus eſt homo ſuper terram, quod laus*, vel vt legunt ſeptuaginta Interpretes, *quod lætitia impiorum breuis eſt, & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti: ſi aſcenderit vſque ad cælum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderunt, dicent, vbi eſt? velut ſomnium auolans non inuenietur, tranſiet ſicut viſio nocturna*. Deinde quàm non
Iob. 20.12. modo vana, inconſtans, & momentanea; ſed etiam pernicioſa, venenoſa, & mortifera ſit lætitia impiorum, in eodem capite verbis ſignificantiſſimis explicatur, vbi ſubditur: *Cùm enim dulce fuerit in ore eius malum, abſcondet illud ſub lingua ſua: panis eius in vtero illius vertetur in fel aſpidum intrinſecus; diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus: caput aſpidum ſuget, & occidet eum lingua viperæ*. Ecce quales ſunt ſæculi delitiæ, conſolationes, atque lætitiæ; quarum dulcedo ſub lingua abſconditur, ſed lingua viperæ enecantis, dum à mundi aſſentatoribus, & ad malum horatoribus linguis

vipereis

vipereis celebrantur: quibus allici est aspidum capita sugere, idest, vt S. Gregorius interpretatur, malarum suggestionum initijs culpabiliter oblectari; in ventrem verò traijcere est, pleno mentis consensu intra animum admittere; vt in fel postea draconis intrinsecus magno conscientiæ tormento, & cordis exulceratione conuertantur. Contra verò lætitia spiritualis est prælibatio quædam cælestium gaudiorum sincera, pura, incoinquinata, sancta, pignus futuræ beatitudinis, arrha fœlicitatis æternæ, manna illud absconditum, & candidus calculus nemini cognitus, vt dicitur in Apocalypsi, nisi illi, qui accipit: nemo verò accipit, nisi fuerit de numero iustorum, & Dei amicorum, quibus propterea in Psalmo dicitur: *Lætamini in Domino, & exultate iusti*; & in alio Psalmo: *exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio*, & ipse inter illos expertus Propheta dicebat: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te, perfecisti eis, qui sperant in te?* *Absit ergo*, inquit S. Augustinus in suis confessionibus, *absit à corde serui tui, qui confitetur tibi, absit vt quocumque gaudio gaudeam, beatum me putem. Est enim gaudium, quod non datur impijs, sed eis, qui te gratis colunt, quorum gaudium tu ipse es: & ipsa est vita beata, gaudere ad te, de te, & propter te, ipsa est, & non est altera.*

S. Greg. lib. 15. mor. c. 9.

Apocal. 2. 17.

Psal. 31. 11. Psal. 32. 1. Psal. 30. 20.

S. Aug. lib. 10. confess. c. 22.

3 Iam, quod secundo loco explicare proposuimus, videamus, hunc nimirum veræ lætitiæ, & gaudij spiritualis affectum in oratione, idest in interna cum Deo conuersatione, & rerum cælestium contemplatione potissimum excitari. Id verò non est difficile tum diuinis promissionibus, & sacræ Scripturæ testimonijs, tum sanctorum auctoritatibus, & exemplis, tum etiam conuenientissimis rationibus demonstrare. Promissio diuina in primis apud Isaiam ita legitur: *Hæc dicit Dominus: Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ*: vbi nequaquam existimare debemus de monte aliquo corporeo esse sermonem, sed res est per quamdam similitudinem spiritualiter intelligenda. Nam quemadmodum, qui ad montem se conferunt ab aliorum commercio, & consuetudine recedunt, alta conscendunt, cælo fiunt propinquiores, res inferiores vel non aspiciunt, vel non nisi à longè despiciunt, vnde paruæ illis, & minutæ apparent, atque adeo propter exiguitatem, & minutiem contemptibiles. Ita, qui per spiritum montem contemplationis ascendunt, ab humana ad diuinam, & cælestem se transferunt conuersationem; vt possint dicere cum

Verum gaudium in hac vita maximè in oratione, & contemplatione percipitur.

Isai. 56. 7.

Apostolo

Ad Phil. 3. 20 Apostolo: *nostra cõuersatio in cælis est.* Inde quàm sint modica, & vilia, quæ magna; & pretiosa videntur in terris, Deo & cælestibus delitijs comparata, interno animæ sensu, & gustu spirituali discernunt. Quare in illis non nisi angoris, & tristitiæ; in istis lætitiæ, & consolationis amplam materiam adinueniunt. Et

Iacobi 5. 13. propterea sanctus Iacobus in sua Epistola fideles hortabatur, vt pro remedio tristitiæ, & afflictionum vitæ præsentis, quæ sicut

Eccles. 1. 14. ait Ecclesiastes, *vniuersa vanitas est, & afflictio spiritus,* recurrerent ad orationem; *tristatur quis in vobis? oret,* inquit. Et ita Dauid se facere consueuisse, & optatam consolationem inuenisse aliquoties protestatur, sicut vbi ait: *In tribulatione mea*

Psal. 76. 2. *Deum exquisiui manibus meis*, idest ad supplicandum compositis, & extensis, *nocte contra eum, & non sum deceptus: renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum:* & in

Psal. 118. 82. alio Psalmo: *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum, dicentes:*

Psal. 50. 14. *quando consolaberis me?* & alibi similiter orat: *Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me.* Quàm verò multi decipiantur, qui pro remedio tristitiæ, & desolationis ad consolatiunculas externas captandas ex vano risu, nugaci confabulatione, fugacibus, & fallacibus bonis huius vitæ con-

Psal. 4. 6. fugiunt, expressit idem Proheta in alio Psalmo: *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo.* Sunt autem hi multi, quos ipse paulo ante in eodem Psalmo reprehenderat: *filij hominum vsque quò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* cùm deberent quærere interius in consciẽtia Dei lumine irradiata: atque ita veram cordis lætitiam diuinitus inditam in secreto contemplationis experirentur: sicut

S. Aug. enarr. in Psal. 4. S. Augustinus in illius Psalmi expositione prosequitur. *Non enim,* inquit, *foris quærenda est lætitia, vt fit ab ijs, qui adhuc graues corde diligunt vanitatem, & quærunt mendacium, sed intus, vbi signatum est lumen vultus Dei, in ipso corde, vbi habitat charitas, in illo cubili, vbi orandum est, sed homines temporalia sectantes, qui certè multi sunt, nihil aliud nouerunt dicere, nisi: quis ostendit nobis bona? cùm vera, & certa bona intra semetipsos videre non possint.* Et quod S. Augustinus ex his

Ad Rom. 1. 7. Psalmi verbis ostendit, idem intulit S. Io. Chrysostomus ex ver-

Ad Galat. 5. 22. bis Apostoli scribentis ad Romanos: *pax à Deo Patre, & Domino nostro Iesu Christo:* & ad Galatas: *fructus spiritus sunt cha-*

S. Chrys. hom. 2. in ephes. ad Roman. *ritas, gaudium, pax:* Quod nimirum à Deo Patre, à filio eius Iesu Christo, & spiritu sancto, non ab alio, nec in alio vera pax,

& verum

& verum animæ gaudium inueniatur. *Animi enim tranquillitatem, & lætitiam*, inquit Chrysostomus, *non Principatus magnitudo, non pecuniarum copia, non potentiæ tumor, non corporis fortitudo, non mensæ sumptus, non vestium ornatus, non aliud quidquam rerum humanarum afferre consueuit, præterquàm rectè factum, & bonum spirituale, & munda conscientia: quam certè, qui habet, vt pannosus sit, & cum fame luctetur, tamen tranquillior, & beatior est ijs, qui inter delitias magnopere degunt. Quemadmodum & qui male sibi conscius est, & omnia bona possideat, omnium est miserrimus*. Profert autem huius rei duo contraria exempla, alterum impij Regis Achab, 3.Reg.21.2.
qui etiamsi plurimis diuitijs abundaret, & vndique delitijs circumflueret, adeo tamen insanis cupiditatibus agitabatur, & mala conscientia propter interfectum Naboth interius cruciabatur, vt nec somnum posset capere, nec panem gustare; sed incedere per domum propter summam tristitiam demisso capite cogeretur. Contra verò diuinus Apostolus etiamsi *in fame, & siti, in frigore, & nuditate, in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter*: 2.Ad Cor.11.23.
tamen testimonio suæ bonæ conscientiæ, & interna cum Deo conuersatione supra omnes, qui tunc regnabant, gaudebat, & deliciabatur. Et propterea de se scribebat ad Corinthios: *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio*, & ad Philippenses: *gaudeo, & congratulor omnibus vobis: Idipsum autem, & vos gaudete, & congratulamini mihi*: & paulo post: *gaudete*, inquit, *in Domino semper iterum dico gaudete*. In quam sententiam etiam S. Basilius ita scripsit: *Anima, quæ semel modis omnibus desiderio se adstrinxit sui conditoris, iamq; insueuit oblectare se illius pulchritudinis contemplatione, prorsus non sinet vehemens illud gaudium, animiq; sui iucundissimam diffusionem intercipi, aut immutari propter multitudinem, & succedaneam carnalium affectionum mutationem: quin ea potius, quæ alijs mœrorem afferunt, & tristitiam in cumulum sibi vertet, & accessionem lætitiæ: cuiusmodi erat Apostolus, dum sibi admodum complaceret in infirmitatibus, in tribulationibus, in persecutionibus*: ita S. Basilius. Neque verò difficile est huius rei propriam assignare rationem; diximus enim lætitiæ affectum quandam esse animi nostri effusionem circa bonum, vt præsens interius apprehensum: non enim necesse est exterius, siue à parte rei præsens habeatur, dummodo sit verum bonum, quod apprehenditur, vt sit honestum, & verum gaudium; & sit de

2.Cor.7.4. Ad Philip.2.17. Ad Phil.4.4. S. Basil. hom. de gratiarum actione;

rebus spiritualibus, vt sit gaudium spirituale, & fructus spiritus sancti. Hæc autem nullibi melius, quàm in contemplatione contingunt, siue sit de inæstimabilibus Dei beneficijs, siue de altissimis fidei nostræ mysterijs, siue de futura sanctorum æterna fœlicitate, & de ijs, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, à Deo præparatis diligẽtibus se; nobis autem per spiritum suum, qui scrutatur omnia profunda Dei, reuelatis. Quod si hæc mysteria per aliquot annorum millia priusquam exhiberentur, viua fide à Patribus antiqui Testamenti contemplata, & expectata materiam talis gaudij suggerebant, vt de Abraham dixerit Christus Dominus: *Abraham exultauit, vt videret diem meum, vidit, & gauisus est*: quid in nobis gaudij, & exultationis producere non deberent iam exhibita, & cum omnibus suis circumstantijs in Euangelij luce manifestata, de Incarnato Verbo, de Partu Virginali, de doctrina Saluatoris, de miraculis, de Sacramentorum institutione, de Cruce, de Morte, Sepultura, Resurrectione, & ad Cælos ascensione? *Et quis*, inquit sanctus Augustinus in Epistola ad Ianuarium, *hanc lætitiam diuinorum Sacramentorum, cùm sanæ doctrinæ luce clarescunt, non præferat vniuersi mundi huius imperijs etiam inusitata fœlicitate pacatis?* Vnde mirari non debemus, si post Euangelium promulgatum, tot viri contemplatiui per deserta, & vastas solitudines parcissimo, & vilissimo cibo contenti vsque ad extremam senectutem, & decrepitam ætatẽ, quidam annorum etiam supra centum vitã iucundissimè transegerunt. Horum maximam fuisse multitudinem in Oriente, & præcipuè in Aegypto refert in libro primo de Moribus Ecclesiæ sanctus Augustinus. *Quia nimirum*, vt ipse ait, *perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt, & eius pulchritudinis contemplatione beatissimi, ea spirituali dulcedine recreabantur, quæ non nisi sanctorum intellectu percipi potest*. Et hanc in votis se maximè habuisse inter vitæ mixtæ negotia sanctus Doctor cum Deo loquens protestatur: *neque enim*, inquit, *inuenio tutum locum animæ meæ nisi in te, quò colligantur sparsa mea; neque à te quidquam recedat ex me; & aliquando intromittis me in affectum multum, & inusitatum introrsus, ad nescio quam dulcedinem, quæ si perficiatur in me, nescio quid erit, scio quod vita ista non erit*.

Isai. 64. 4. 1. Cor. 2. 9.

Ioann. 8. 56.

Ep. ad Ianuarium. 119. c. 16.

S. Aug. l. 1. de mor. ecclesiæ cap. 31.

S. Aug. l. 10. confess. c. 40.

Vtilitas, & necessitas lætitiæ spiritualis.

4 Tertium iam superest ostendendum: hanc videlicet spiritualem hilaritatem, & recti cordis lætitiam ex inexhausto diuinæ dulcedinis fonte per contemplationem in nos deriuatam,

con-

conferre plurimum in via illuminatiua progredientibus, atque in ea quotidie magis proficere contendentibus valde esse necessariam. Nam, vt omittam propterea talibus in diuinis Scripturis id frequentissimè commendari, vbi dicitur: *Lætetur cor quærentium Dominum: Exultent, & lætentur in te omnes, qui quærunt te: Seruite Domino in lætitia, introite in conspectu eius in exultatione*, & plura similia, quæ sunt ex S. Paulo supra relata, fieri vix potest, vt sine hac spirituali alacritate magni habeantur in virtute progressus. Vt enim sapienter Aristoteles affirmauit, *delectatio perficit operationem, tristitia verò corrumpit.* Quod si hoc verum est in qualibet operatione, multò magis erit verum in exercitatione virtutum, non quarumcumque, sed sublimium, & heroicarum, nempe ad culmen christianæ perfectionis, non sine magnis superandis difficultatibus contendentium. Sed aptissima similitudine docuit nos Salomon in Prouerbijs quantum obsit tristitia egregijs actionibus: *Sicut tinea vestimento*, inquit, *& vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi.* Quare sicut huiusmodi vestimentum nec est ad vtilitatem, neque confert ad venustatem; & lignum cariosum nec valet onera sustinere, nec est ad ædificia construenda, vel ad alia elegantioris artis opera conficienda: ita vbi fuerit humanum cor morbo acediosæ tristitiæ prægrauatum, & oppressum, nihil de eo præclari nobis poterimus polliceri. Immo quia non diu perdurare potest sine aliqua captanda consolatione cor nostrum, sicut sanctus Gregorius obseruauit, & nos quotidiana discimus experientia, vbi diu aliquis viam ingressus spiritualem, spiritualibus consolationibus omnino destituatur, ad quærendas terrenas, & sensuales facilè incitabitur: vt mirum sit, si ad aliqua huiusmodi tandem aliquando non declinasse inueniatur. Et propterea monet Salomon: *à tristitia festinat mors, & cooperit virtutem, & tristitia cordis flectit ceruicem. Et omnis plaga tristitia cordis est.* Præter tot incommoda, & pericula ex hac tristitia, & defectu lætitiæ spiritualis prouenientia, quæ ad hæc ferè sex capita reducuntur, nempe vt homo in via perfectionis lentius progrediatur, vt in ea facilè offendat, subsistat, vel etiã retrocedat, & vt à tentatione, vel à casu in tentationem difficilius liberetur; est alia duplex efficacissima ratio procurandæ in nobis lætitiæ spiritualis: altera maioris gloriæ Dei, altera spiritualis vtilitatis nostrorum proximorum. Sicut enim vertitur in ignominiam Principis habere in sua familia aulicos non nisi coactè, mœsto semper vultu, & seruili timore quasi Tyranno seruientes;

Psal. 104. 3.
Psal. 69. 5.
Psal. 99. 1.
Arist. lib. 10. ethic. c. 4. & 5.
Prou. 25. 20.
S. Greg. l. 18. mor. cap. 8.
Eccles. 38. 19.
Eccles. 25. 17.

uientes; ita pertinet ad eius gloriam, videre apud ipſum omnes maxima alacritate,& hilaritate in eius ſe obſequijs occupantes, hoc ipſum loco magnæ fœlicitatis, & beatitudinis reputantes, quòd digni eius famulatu cenſeantur:ſicut de aulicis Regis Salo-
Lib. 2. Paral. cap. 9. 7. monis Regina Saba dicebat aliquando: *Beati viri tui, & beati ſerui tui, qui aſſiſtunt coram te omni tempore, & audiunt ſapientiam tuã.* Cum itaque Deus ex noſtris obſequijs nullã ſibi quærat vtilitatẽ, ſed ſolam ſuã gloriã,& honorẽ, mirũ non eſt, ſi inter præcipuas noſtrorum obſequiorum conditiones, hanc maximè requirat gaudij, & lætitiæ ſpiritualis. *Iubilate Deo omnis terra,*
Pſal. 99. 1. canebat Propheta Dauid, *introite in conſpectu eius in exultatione, ſcitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus.* Et certè ſi quod ſatis ſcimus, bene perpenderemus, hunc Dominum, cui inſeruimus, non eſſe mortalem Principem, aut aliquem ſolùm mundi huius inferioris Monarcham, ſed Regum Regem, Dominum Dominantium, ſummum Deum, cui ſeruire regnare eſt, ante cuius pedes deponũnt coronas ſuas ſancti in gloria coronati,
Apocal. c. 1. 4. & 5. dicentes, vt legimus in Apocalypſi: *quoniam feciſti nos Deo noſtro regnum, & regnabimus:* hæc ſola conſideratio, ad excludendã à noſtro corde inutilem omnem triſtitiam abundè ſufficeret. Sed eſt alia quoque ratio idem perſuadens, vtilitas videlicet, atque ædificatio noſtrorum proximorum: hi enim quantum bonis exemplis, & honeſtate virtutis ad ſtudium probitatis, & ad viam perfectionis capeſſendam animantur, tantùm deterrentur ab itineris aſperitate, quam colligunt,& apprehendunt ex iniucundo, & triſti vultu iter illud conficientium. Contra verò vbi vident Dei famulos tanta in eius obſequijs animi tranquillitate, gaudio, & iucunditate, etiam inſtantibus tribulationibus perdurare, conuincuntur credere non eſſe adeo laborioſum ſtudium virtutis, & perfectionis, ſicut homines mali, & mundi voluptatibus infatuati communiter opinantur. Propterea tantopere S. Franciſcus ſuæ familiæ religioſis hanc animi lætitiam commendabat, & ab ea ſe quoque multum adiuuari contra ſpiritum acediæ, quando ſuos fratres tam hilares in Dei obſequio intuebatur, affirmabat. Quare cùm vnum ex illis aliquando ſubtriſtem aſpexiſſet, eum vehementer obiurgauit, dicens: oportere eos, qui Dæmoni, mundo, carni, non verò qui Deo ſeruiunt eſſe triſtes; niſi fortè in aliquam culpam ipſe incidiſſet, de qua ſi eſſet ſibi conſcius, quàmprimùm pœniteret, & confiteretur, diuinam implorans illis Dauidicis verbis miſe-
Pſal. 50. 14. ricordiam: *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali*

pali confirma me. Atque hæc de affectu lætitiæ, & gaudij spiritualis, contra acediosam tristitiam modò sufficiant.

CAPVT QVARTVM.

De affectu gratitudinis.

1 SICVT ex affectu deuotionis solere sequi lætitiam spiritualem antea dicebamus, & ideo post illum affectum de hac lætitia suscepimus tractationem; ita lætitiæ spirituali iungenda est actio gratiarum. *Conuertisti planctum meum in gaudium mihi; conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia*, dicebat Dauid, *vt cantet tibi gloria mea, & non compungar*. Huius præstantissimi, & in diuinis scripturis commendantissimi affectus gratiarum actionis, & laudis copiosa se offert in omnibus fidei nostræ mysterijs materia meditanda, præsertim ijs, qui à via purgatiua, & à lachrymis pœnitentiæ ad illuminatiuam, in spiritu proficiendo gradiuntur; ideo accuratè nunc est explicandum, qua ratione maximè i[illegible] meditandum, ex attenta consideratione diuinorum beneficiorum eliciatur. Id autem bene à nobis intelligetur, si clare constiterit, quæ nam huius virtutis gratitudinis propria sint officia. Ea verò iuxta doctrinam S. Thomæ sunt tria, primùm est collatum beneficium recognoscere, & bene cognitum pro dignitate æstimare: secundum laudare, & pro illo debitas gratias agere: tertium pro loco, & tempore benefactori secundum propriam facultatem retribuere.

> Cur affectui lætitiæ adiungatur actio gratiarum.
>
> *Psal. 29. 12.*
>
> *S. Thom. 2. 2. q. 107. art. 2.*

2 Primùm itaque ad exercitium virtutis gratitudinis, æstimanda erunt, & ponderanda tot, & tanta Dei erga nos beneficia, quod fieri non potest, nisi cognoscantur, cognosci verò numquam melius, quàm in meditatione possunt. Vt bene autem cognoscantur, erunt illa quatuor expendenda; primùm numerus ferè sine numero; deinde magnitudo singulorum admirabili varietate distincta; tertiò, quod multum extollit gratiam benefitij, recipientis indignitas; quartò summa dignitas conferentis. Numerum beneficiorum Dei, quis alius inire poterit, nisi ipse Deus? *Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius?* Nos vix possumus summa eorum capita recensere: alia enim sunt beneficia naturæ, alia gratiæ: alia

> Primum officium gratitudinis est, agnoscere, & æstimare beneficium.
>
> Numerus, & magnitudo beneficiorum recogitanda.
>
> *Psal. 105. 2.*

communia, alia particularia, alia ordinaria, alia extraordinaria alia occulta, alia manifesta: & rursus in benefitijs naturæ, quædam sunt corporis, quædam verò sunt animi; ex his alia pertinent ad creationem, alia ad conseruationem, alia ad eruditionem, alia ad correctionem, alia ad curationem, alia denique ad recreationem, & consolationem. Hæc sola naturæ beneficia, vt modo aliquo saltem confusè, quàm multa sint apprehendamus, tali vtamur similitudine: imaginemur nos sub ingenti quadam arbore quiescere frondibus simul, & floribus refertissima, pomis, & alijs omnis generis fructibus onustissima, quam valida manu aliquis ita decutiat, vt nos vndique frondes, flores, fructus inde cadentes attingant, orbruant, & cooperiant. Et sanè nihil aliud esse videtur tota hæc spectabilis natura creata, quàm arbor quædam procerissima, & vastissima, simulque venustissima, & fertilissima, sub cuius vmbra nos Deus beneficentissimus assiduè conseruat, & inde potenti sua manu effusis vndique benefitijs operit, onerat, & exornat, à cælo, à terra, à mari, ab alijs elementis, & corporibus simplicibus, à mixtis, ab animantibus, & non animatis. Quare nostrum est oculos mentis attollere, & vnde ista proueniant, sæpius contemplari, non verò quasi bruta animalia numquam sursum, sed deorsum semper aspicere. Immo ex donis huiusmodi visibilibus, ad inuisibilia potiora beneficia discernenda nobis est procedendum. *Nam ex his minimis*, inquit in soliloquijs S. Augustinis, *& ex his visibilibus tua inuisibilia comprehendimus: Domine Deus sancte, & bone Creator noster. Si enim mi Domine pro hoc corpore ignobili, & corruptibili tam magna, & innumera beneficia præstas, à cælo, & aëre, à terra, & mari, à luce, & tenebris, à calore, & vmbra, rore, & imbre, ventis, & pluuijs, volucribus, & piscibus, bestijs, & arboribus, & multiplicitate herbarum, & germinum terræ, & cunctarum creaturarum tuarum ministerio nobis successiuè per sua tempora ministrantium, vt alleues fastidium nostrum: qualia quæso, & quàm magna, & innumerabilia erunt illa bona, quæ præparasti diligentibus te in illa cælesti patria, vbi te videbimus facie ad faciem? Si tanta nobis facis in carcere, quid facies in Palatio? Si hic omnia, quæ sunt valde bona, & delectabilia, bonis pariter, malisque communia tradidisti, qualia sunt illa, quæ solis bonis recondidisti? Si tam innumera, & varia dona tua, quæ nunc amicis pariter tribuis, & inimicis, quàm magna, & innumerabilia, quàm dulcia, & delectabilia, quæ solis tuis es largitus amicis? Si tanta solatia in hac die lachrymarum,*

S. Aug. in soliloq. cap. 20. & 21.

rum, quanta conferes in die nuptiarum? Atque ita facta beneficiorum inter se comparatione à numero, & qualitate, ad illorum varietatem, & magnitudinem percipiendam deducemur: ad quam etiam valde confert, ea per quamdam subtractionem expendere, sicut ait S. Bernardus; *Si quis oculorum lumen amissum tibi reddidisset, si vsum aurium, si quis manuum restituisset, si quis pedem tibi præpeditum reparasset, si quis sopitam in te excitasset rationem, quomodo non quicumque tibi vehementissime succeseret, si quando fortè benefitij huius immemorem, aut benefactori deprehendisset ingratum? Enim verò Dominus Deus tuus ipsa etiam tibi instrumenta largitus ex nihilo fecit hæc omnia, siquidem ipse fecit nos, & non ipsi nos. Parum ne tibi videtur istud, quia te fecit? cogita qualem te fecit: nempe secundum corpus egregiam creaturam, sed secundum animam magis, vt pote imagine Creatoris insignem, participẽ beatitudinis sempiternæ.* Ad hæc S. Bernardi addamus alia superioris ordinis beneficia, sine quibus nihil nobis naturalia, nisi fortè ad maiorem damnationẽ, culpa nostra, valuissent. Quid enim profuisset nasci, nisi per baptismatis sacramentũ altiori beneficio renasci cõtigisset? & quid, si post susceptum baptismi sacramentum, & remissum originale peccatum, iterum amissa per actualia peccata Dei gratia sanctificante, septem aliæ diuinæ misericordiæ non superuenissent? quas enumerat alio in loco idem S. Bernardus. Prima, qua Deus non statim atque mortiferum peccatum admisimus mortem intulit, & ad inferna deiecit. Secunda, quia non solum sua patientissima misericordia supplicium distulit, sed etiam ad pœnitentiam excitauit, & inuitauit. Tertia, pœnitentem, quasi prodigum filium nudum, atque mendicum male absumpta gratiæ tota substantia, & hæreditate cælesti, ad paternam domum redeuntem vltro benignissimè excepit. Quarta, stola iustitiæ, & anulo amicitiæ, calceamentis virtutum, refectione vituli saginati, idest participatione diuinorum sacramentorum, & præsertim Eucharistiæ dignum effecit. Quinta, ne in alia denuo grauia peccata relaberer, conseruauit. Sexta promerendi præmia retributionis æternæ vigorem contulit. Septima, denique firmam spem fecit bona illa inuisibilia obtinendi, fundatam in charitate adoptionis, in veritate promissionis, in potestate redditionis. Porrò hæc omnia, quæ in beneficio sunt fundata redemptionis, non sicut ea, quæ spectant ad beneficium creationis, sine labore contigerunt; sed pretio sui sacratissimi sanguinis Deus nobis comparauit: vt meritò affir-

S. Ber. ser. 14. super Ps. Qui habitat.

S. Bern. ser. de septẽ panibus.

maucrit S. Augustinus, qui pro beneficio creationis Deo inueniuntur ingrati, nihil minus, quàm æternas inferni pœnas promereri: qui verò etiam sunt ingrati pro beneficio redemptionis, mereri, vt nouus pro illis infernus terrior, & profundior extruatur. Confert præterea non parum ad benefitij dignam æstimationem, illud considerare, ac si mihi soli fuisset collatum; vt faciebat Apostolus, ita scribens ad Galatas de se ipso: *Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Quid facis ò Paule*, inquit sanctus Chysostomus, *dum communia propriè tibi vendicas? quæque pro toto terrarum orbe facta sunt, tibi facis peculiaria? non enim dixisti, qui dilexit nos, sed qui dilexit me. Atqui Euangelista dixit: sic Deus dilexit mundum: quin & tu ipse dicis: qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Deinde duas reddit huius rei S. Chrysostomus optimas rationes, vnam ex parte benefactoris, qui tali animo, tanta charitate contulit beneficium, vt paratus esset donare singulis, quod pro omnibus offerebat: & sic amare vnumquemque visus est, atque amat vniuersos. Vnde in parabola boni pastoris dixit, non ad multas oues, sed ad vnam quærendam in deserto se venire voluisse. Altera ratio est ex parte recipientis beneficium: *nam hic est*, ait Chrysostomus, *serui fidelis affectus, vt beneficia Domini sui, quæ communiter data sunt omnibus, quasi sibi soli præstita reputet, & pro omnibus ipse solus habeatur obnoxius. Et re vera quid interest, si & alijs præstitit, cùm quæ sibi donata sunt ita integra habeantur, & ita perfecta, quasi nulli alteri præstitisset*.

Ad Gal. 2. 20. S. Io. Chrys. in ep. ad Gal. c. 2. Ioann. 3. 16. Ad Roman. 8. 32.

Augent beneficiũ indignitas recipientis, & dignitas tribuentis.

3 Extollunt præterea beneficij magnitudinem alia duo, quæ dicebamus, indignitas recipientis, & dignitas conferentis: quòd si donum gratiosè collatum inde redditur gratiosius, quia nulla, ne minima quidem merita in recipiente præcesserunt, quantò magis vbi tot, & tam atrocia demerita præsupponantur. Nam hoc est, quod miratur Apostolus ad Romanos scribens: *Vt quid enim Christus cùm adhuc infirmi essemus secundùm tempus pro impijs mortuus est? vix enim pro iusto quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem suam Deus in nobis: quoniam cùm adhuc peccatores essemus secundum tempus Christus pro nobis mortuus est*. Huic à tot partibus excrescenti magnitudini, & multitudini beneficiorum, addenda est Donatoris excellentia, & maiestas, qua etiam minima dona plurimum extolluntur. Cùm enim,

Ad Rom. 5. 6. Seneca l. 1. de beneficijs c. 5.

enim, vt quidam sapiens dixit, multum intersit inter beneficiũ, & materiã, beneficij, quæ est quidquid à benefactore donatur, beneficium autẽ est ipsius tribuentis beneficus animus, & volũtas; quomodo paruum poterit esse beneficiũ, quamuis minima esset illiũs materia, quando tam magnus est is, à quo donatur? Non nisi sanctum quẽdam hominẽ esse putauit Tobias Angelum illũ, quem suæ peregrinationis habuerat ducem, & comitem valde beneficum: eratq. multum sollicitus, quid nam illi pro signo grati animi retribueret. Dicebat itaque Patri suo Tobias: *Pater, quam mercedem dabimus ei, aut quid dignum poterit esse beneficijs eius? me duxit, & reduxit sanum, pecuniam à Gabelo ipse recepit, vxorem ipse me habere fecit, & Dæmonium ab ea ipse compescuit, gaudium parentibus eius fecit, meipsum à deuoratione piscis eripuit, te quoque videre fecit lumen cæli, & bonis omnibus per ipsum repleti sumus. Quid illi ad hæc poterimus dignum dare? Sed peto te Pater mi, vt roges eum, si forte dignabitur medietatem de omnibus, quæ allata sunt sibi assumere.* Rogarunt ergo illum ambo, vt medietatem omnium bonorũ, quæ attulerant, acceptaret. Quæ cũ Dei Angelus omnino recusasset, dicens se nullo modo terrenis huiusmodi rebus indigere, sed esse supra humanam omnium mortalium conditionem: *Ego enim*, inquit, *sum Raphael Angelus vnus de septem, qui astamus ante Dominum*, addit scriptura: *Cumque hæc audissent, turbati sunt, & trementes ceciderunt super terram, & prostrati per tres horas in faciem benedixerunt Deum*. Quòd si tanti fiebat à iustis rerum æstimatoribus temporalia quædam beneficia per Angelum accepisse: quanti tandem erunt æstimanda beneficia gratiæ, redemptionis, vitæ immortalis, & gloriæ sempiternæ à Deo nobis comparata pretio sanguinis sui Vnigeniti, & adeo prompta volũtate collata, vt nunquã Deus fuerit sine illa, nec priùs, quàm illius erga nos liberalissimè voluntatis extaret in eo propositum, & decretum, extiterit ipse Deus? Vnde sic ipse dicebat per Ieremiam: *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans*: & apud Isaiam: *In dilectione sua, & in indulgentia sua ipse redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos cunctis diebus sæculi*: vel sicut expressius legunt Septuaginta Interpretes, & Patres antiquiores: *non legatus, siue Princeps, neque Angelus, sed ipse Dominus saluauit eos, eo quod ipsos diligeret, ipse redemit*. Sed de hoc argumento alibi sæpius.

Tob. 12. 4.

Ierem. 31. 3.
Isai. 63. 9.

Secundum officium grati animi est, laudare beneficiũ & gratias pro illo agere.

4 Secundum grati animi officium esse dicebamus, vbi magnitudo beneficij digna fuerit æstimatione perpensa, illud iu-

Massut. de cælesti conuersat. Cc 3 stis,

ſtis, ac dignis laudibus celebrare, & benefactori pro illo debitas gratias exhibere. Eſt autem obſeruandum, beneficiorum Dei ponderationem propriè ſpectare ad meditationem, at verò gratiarum actionem potius ad colloquia, quæ etiamſi circa finem meditationis ſuum communiter habeant locum, tamen inter meditandum quoque, vbi pius affectus ita ſuggeſſerit, non expectato fine meditationis, fieri poſſunt, ſicut agendo poſtea de colloquijs fuſius exponemus. Fit autem hæc actio gratiarum, & beneficiorum Dei celebratio multipliciter: primò pro ijs, quæ collata ſunt nobis ſiue communia, ſiue ſpecialia beneficia; qua de re pleni ſunt omnes ferè Dauidici Pſalmi, ſicut etiam ex multorum inſcriptione colligitur, & ex vocibus illis benedicendi, laudandi, iubilandi, toties repetitis: *Benedic anima mea*
Pſal.102.2. *Domino: Benedictus Dominus Deus meus: Benedicam Domi-*
Pſal.143.1. *num in omni tempore: Lauda anima mea Dominum: laudabo*
Pſal.33.2. *Dominum in vita mea: & labia mea laudabunt te: Iubilemus*
Pſal.145.1. *Deo ſalutari noſtro: & in Pſalmis Iubilemus ei.* Deinde fit hæc
Pſal.62.4.
Pſal.94.1. actio gratiarum pro beneficijs à Deo collatis, non tantum nobis, verum etiam alijs proximis noſtris, amicis, atque inimicis, aduerſarijs, ingratis, irrationabilibus, quin etiam ſenſu expertibus creaturis. Vnde propterea frequenter à Dauide, & ab alijs Prophetis cælum, terra, & ea, quæ in cælo, & in terra ſunt, quamuis intellectu, & ratione deſtituta, ad Dominum laudandum, & ſuperexaltandum inuitantur; vt huiuſmodi pio diuinæ gloriæ deſiderio illorum defectus, quantum ex noſtra parte poſſumus, ſuppleamus. Tertiò, iure etiam optimo immortales gratiæ Deo ab vnoquoque noſtrûm eſſent referendæ pro eximijs beneficijs collatis ſacratiſſimæ humanitati noſtri Saluatoris, tum Deiparæ ſanctiſſimæ, alijſque ſanctis, præſertim inſignioribus: vt quod eos benigniſſimus Deus ad tantam euexerit dignitatem, tot cæleſtibus chariſmatibus ditauerit, & exornauerit. Nam ſi Saluatore nobis recenter nato, & per Angelum
Luca.2.11. paſtoribus annunciato: *Quia natus eſt vobis hodie Saluator mundi*, non Angelis, qui non indigebant redemptione, ſed no-
Iſai.9.6. bis, vt canit Eccleſia, *nobis natus, nobis datus*: & ſicut etiam dicebat Iſaias: *paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis*; tamen quaſi vnus ille ſibi Angelus non ſufficeret ad gratias
Luca.2.13. agendas, & Deum ob id laudandum, & glorificandum: *ſubitò*, inquit Euangeliſta, *facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis laudantium, & dicentium: gloria in altiſſimis* Deo: & in hac laudum diuinarum celebratione, ac perpetua gratiarum

etiam

etiam pro nobis actione sine fine perseuerant; quid nos tandem homines in causa nostra facere oportebit, ad quos propriè spectant huiusmodi beneficia ? si tamen vera,& viua huius mystici corporis sub Christo capite membra sumus: de quibus testatur Apostolus, quòd pro inuicem debeant esse sollicita; *& si glorificatur vnum, congaudeant alia membra*. Quia verò non omnium est, etiam iustorum,& spiritualium virorum scire pro tot, ac tãtis Dei in humanum genus profusis beneficijs debitas formare laudes, & dignis verbis gratiarum exprimere actiones,diuino consilio instituit Ecclesia, vt saltem homines Deo consecrati, siue in sacris Ordinibus constituti illas ex Psalmis Dauidicis per septem horas diei, quas Canonicas appellamus, dispositas, deuotè recitare, ac referre quotidie tenerentur. Quare, si quis inter meditandum de diuinis beneficijs, per modum colloquij aliqua huiusmodi accommodatè inseruerit, non inueniens ad suos pios affectus exponendos verba cordis,vel oris aptiora, is optimè faciet, & sanctissimos Ecclesiæ Patres, præsertim Augustinum, Anselmum,ac Bernardũ imitabitur, quorum pijssimæ meditationes huiusmodi benedictionum, ac laudum diuinarum vocibus ex Psalmis depromptis sunt refertissimæ. Similiter quoque sancti Augustini confessiones non minus, vt ipse testatur,ad laudandum Deum,quàm se accusandum conscriptæ.Sicut,exempli gratia,cùm de sua conuersione, & à peccatis liberatione per orationes, & lachrymas sanctæ Monicæ matris suæ impetrata Deo gratias agit ex varijs verbis aliquot Psalmorum ad institutum suum accommodatis: *O Domine; quia ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius Ancillæ tuæ: dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis; Laudet te cor meum, & lingua mea, & omnia ossa mea dicant: Domine quis similis tibi? dicant, & responde mihi, dic animæ meæ salus tua ego sum*. Sed plura de his, vbi de colloquijs, & soliloquijs ex instituto erit agendum. Siue autem propriis verbis, siue aliunde conceptis, atque prolatis gratias Deo referre debeamus,intelligere oportet, tantam esse huius actionis cum exercitio orationis affinitatem, & coniunctionem, vt vnum ab altero vix separetur. Vnde sicut semper, idest pro qualibet oportunitate orandum, ita gratias sine intermissione de omnibus Deo agendas à diuinis Scripturis sæpius admonemur, quia semper eius auxilio indigemus,& noua semper ab ipso beneficia recipimus. *Omni tempore benedic Deo*, dicebat filio suo Tobias, *& pete ab eo,vt vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant*. Et Apostolus:

1. Ad Cor. 12. 25.
S. August. in lib. 2. retr. c. 6.
Idem lib. 9. confess. c. 1.
Psal. 115. 16.
Psal. 34. 3.
Psal. 34. 10.
Tob. 4. 20.
1. Tessal. 5. 18.

ſtolus. *ſine intermiſſione*, inquit, *orate, in omnibus gratias agite: hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Ieſu in omnibus vobis.* Vult autem has grati animi ſignificationes à nobis Deus, non pro ſuo tantùm honore, ſed etiam pro noſtro maiori emolumento, vt digni ſemper hac ratione reddamur gratiæ amplioris. *Fœlix proinde*, ait ſanctus Bernardus, *qui ad ſingula dona gratiæ redit ad eum, in quo eſt plenitudo omnium gratiarum, cui dum nos pro acceptis non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, vt maiora adhuc accipere mereamur.* Contra verò ait in alio ſermone idem ſanctus, *totum perditur, quod donatur ingrato: ingratitudo enim inimica eſt animæ, exinanitio meritorum, virtutum diſperſio, beneficiorum perditio. Ingratitudo ventus vrens, ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordia, fluenta gratiæ.* Addit ſanctus Bernardus, nihil ita gratiæ aduerſari, nihil ita Deum odiſſe in filiis gratiæ, ſicut ingrati animi vitium, & peccatum. Quare de adimplendo tertio officio gratitudinis non minus debemus eſſe ſolliciti.

S. Ber. ſer. contra vitiũ ingratitudinis. S. Ber. ſer. 51. in Cant.

S. Bern. ſer. de ſeptem panibus Dominica 6. poſt Pent.

4 Eſt autem, vt dicebamus tertium grati animi officium, benefactori ſuo pro temporis oportunitate, & propriarum virium facultate dignum aliquid retribuere; idque plus debere eſſe, quàm quod ab eo fuit acceptum, docuit poſt Ariſtotelem, S. Thomas: vt ſicut ille gratis contulit beneficium, ad quod videlicet conferendum minimè tenebatur: ita is, qui accepit, aliquid ſuper impendat gratis: & quia cùm minus, aut tantùm æquale retribuit non gratis id videtur facere, ſed ex debito gratitudinis rependere, quod accepit; ideo gratiæ recompenſationem ad aliquid maius retribuendum extendi oportere ſapiẽter iudicauerunt. At noſtra in hoc genere facultas eſt adeo modica, & diminuta, vt non modo plus aliquid, ſed neque æquale quidquam Deo reddere vlla ratione poſſimus; immo non niſi aliquid longè minus, atque hoc ipſum illius magis, quam noſtrũ, illiq; multis aliis nominibus debitũ, & obligatum. *Quis ego*, dicebat Rex Dauid, *& quis populus meus, vt poſſimus hæc tibi vniuerſa promittere? tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus dedimus tibi.* Meritò ergo cum eodem Propheta exclamat S. Bernardus. *Quid retribuã Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Nam ſi Deo tantũ me debeo pro facto, quid addã iã pro refecto? In primo ſi quidem opere me mihi dedit, in ſecundo ſe, & vbi ſe dedit, me mihi reddidit. Datus ergo, & redatus, me pro me debeo, & bis debeo, quid Deo retribuam pro ſe? Nam & ſi me millies rependere poſſem, quid ſum ego ad Deum?* Tria

Tertium gratitudinis officium eſt, retribuere. Ariſt. l. 5. eth. cap. 5. S. Thom. 2. 2. q. 106. ar. 6.

1. Paral. c. 29. 14.

S. Bern tract. de dilig. Deũ. Pſal. 115. 12.

tamen ſunt nobis in eodem Pſalmo indicata, quibus pro noſtra tenui facultate huic adeo replicatæ, & multiplicatæ obligationi vtcumque ſatisfiat. Primum ſignificatur, cum dicitur: *Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo:* hoc eſt, vt ſancti Patres, & ſacri expoſuerunt interpretes, cùm nihil habeam præſtantius, quod Deo meo, pro tot collatis bonis, & beneficijs ipſe retribuam, bibam libenti animo calicem ſalutiferum paſſionum quantumuis amarum, mihi à Deo propinatum: omnes oblatas pro ipſo patiendi occaſiones animo non ſolum æquo, ſed etiam prompto, atque hilari acceptando. Si enim, vt quidam ſapiens dixit, qui beneficium hilari vultu, tamquam ſibi valde gratũ acceptauit, primam illius ſoluiſſe videtur pẽſionem: multo magis qui gratas habeat etiã ipſas à Deo immiſſas tribulationes, quas pro benefitijs non agnoſcunt, niſi ſerui feruentiores, & amici eius chariores, quales erant, qui *ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine eius contumeliam pati.* Addit Propheta ſecundum, quod ex eàdem grati animi in tantum benefactorem propenſione pollicetur ſe eſſe facturum, dicens: *Vota mea Domino reddam coram omni populo eius, pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius.* Ac ſi diceret, animi mei propoſita, & vota libenter tolerandi quæcumque aduerſa pro Deo, ita exequar, vt neque populi multitudo, neque periculi magnitudo me deterreat, etiamſi mors propterea eſſet ſubeunda, quam mihi pro re omnium pretioſiſſima ex tali cauſa computarem. Simili quoque affectu dicebat Apoſtolus: *quia in nullo confundar, ſed in omni fiducia, ſicut ſemper, & nunc magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſiue per vitam, ſiue per mortem: mihi enim viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Sanè,* inquit S. Baſilius in expoſitione Pſalmi ſuperioris, *lapilli quidam floribus interſperſi, & ſublucentes coloribus, nominari ſolent pretioſi ab iſtis diuitiarum belluonibus, re autem vera, pretioſa eſt coram Deo mors ſanctorum eius: cum videlicet anima per vitæ iſtius curriculum expurgata ab omni eluuie, & inquinamento carnis emancipata, & libertati reddita nullam in ſe retinens maculam, aut rugam, duris pro pietate agonibus iam exantlatis probata, inſignita corona iuſtitiæ, perque hæc omnia admirabili decore virtutis inter lucens, Domino Deo ſuo, atque omnium Iudici ſe præſentarit, lapide omni pretioſo longè rutilantior.* Sed eſt adhuc tertium grati animi officium in eodem Pſalmo ſignificatum, vt cùm hæc omnia pro Deo perfecerimus, nihil magnum nos feciſſe agno-

ſcamus,

Seneca l. 2. de benef. c. 22.

Actorũ 5. 41.

Pſal. 115. 13.

Ad Philip. 1. 20.

S. Baſ. in Pſal. 115.

ſcamus,& coram Deo profiteamur: ſed iuxta Domini conſilium nobis dicamus: *Serui inutiles ſumus; quod debuimus facere fecimus*. Serui propter creationem, & naturæ conditionem, altiſſimo Deo, & Domino abſolutiſſimo per omnia ſubiecti: ſerui non ſolùm emptitij, ſed etiam vernaculi: emptitij, quia empti pretio magno ſanguinis Chriſti, & à peccato, ſub quo venundati fuimus, à miſera Dæmonis ſeruitute redempti: vernaculi, quia ducimus à matre ſeruilis conditionis originem, Eccleſia videlicet, Chriſti ſanguine empta, atque redempta, *quæ veriſſimo Domino, veriſſimum exhibet famulatum*, inquit in eumdem Pſalmum S. Auguſtinus; *quem cum exhibet, libera eſt, hanc accipiens à Domino gratiam, vt ei non neceſſitate, ſed voluntate deſeruiat*: vnde tantò magis debet in aſſidua gratiarum exhibitione, & diuini nominis exaltatione perſiſtere. Atque hoc eſt illud tertium, quod in eodem Pſalmo Propheta ſubiunxit: *O Domine quia ego ſeruus tuus, ego ſerus tuus, & filius Ancillæ tuæ: dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis*. Tales igitur eſſe poterunt grati erga Deum animi piæ exercitationes, & gratiarum in oratione, & meditatione actiones.

Luc. 17. 10.

S. Auguſt. in Pſal. 115.

CAPVT QVINTVM.

De affectu compaſsionis.

Quam ſit vtilis hic affectus compaſſionis, quam neceſſarius, & excellens.

1 INTER officia gratitudinis poni etiam debet affectus veræ compaſſionis erga noſtrum benefactorem in aliqua tribulatione conſtitutum, maximè ſi pro nobis aduerſa, in quibus tenemur ei compati, patiatur: *Gratiam fideiuſſoris*, ait Sapiens, *ne obliuiſcaris, dedit enim pro te animam ſuam*. Hinc aliqui ſanctorum Patrum, vbi rationes varias inueſtigant altiſſimi diuini conſilij de mundo, quem ſolo verbo Deus ex nihilo condiderat, poſtea tantis laboribus, doloribus, & morte ipſa acerbiſſima vnigeniti filij ſui reparando; illam inter alias cauſas aſſignarunt, vt quia tam multi de beneficio creationis, quaſi nihil Deo conſtitiſſet, ingrati inueniebantur, grati eſſe quodammodo cogerentur pro laborioſiſſimo, & operoſiſſimo beneficio redemptionis. Eſt enim hoc inſignis cuiuſdam bonitatis, & excellentis beneficentiæ, vt quidam ſapiens obſeruauit, tandiu ferre ingratum, donec replicatis ma-

Eccl. 29. 20.

Seneca l. 5. de ben. cap. 1.

tis maioribus beneficijs gratum efficias. Et quamuis circa quælibet opera laboriosa, & pœnosa nostri Saluatoris exerceri possit hic illi gratissimus compassionis affectus, quæ quidem opera, nostra compassione digna, à pauperrima in vili stabulo Christi Natiuitate, vsque ad acerbissimam eius mortem in dura Cruce plurima, & varia intercesserunt; tamen circa ipsa potissimum extrema passionis, & mortis in Cruce mysteria, id à nobis Saluator noster requirit, maior grati animi obligatio expostulat, & exigit nostra summa vtilitas spiritualis. *Iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo,* dicebat Isaias, & ipsemet Christus Dominus per Ieremiam: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Et per Dauidem in Psalmo iustè conqueritur, dicens: ***Sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inueni, & dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto.*** Sed etiamsi grati animi virtus hanc tot rationibus debitam compassionem à nobis tantopere non exposceret, saltem propria spiritualis vtilitas eam nobis deberet omnino persuadere, & exprimere. *Quid enim tam efficax ad curanda conscientiæ vulnera,* inquit S. Bernardus; *& ad purgandam nostræ mentis aciem, quàm Christi vulnerum sedula meditatio? In omnibus,* ait S. Augustinus, *non inueni tam efficax remedium, quàm vulnera Christi, nihil tam salutiferum, quàm quotidie cogitare quanta pro nobis pertulit Deus, & homo.* Qua propter mirum nobis videri non debet id, quod plures pij, & graues auctores ex Alberti Magni sententia docuerunt, gratius Deo fore, & pro nobis maioris emolumenti, aliquid quotidie deuotè meditari de Christi Domini passione, & extremis eius cruciatibus, quam recitare singulis diebus totum psalterium, aliquoties per hebdomadam in pane, & aqua ieiunare, & se vsque ad sanguinem flagellare. Quid est ergo, dicet aliquis, quòd ipse Saluator dum Montem Caluarium, portans sibi Crucem, ascenderet, sequentibus se pijs mulieribus, quæ, vt ait Euangelista, plangebant, & lamentabantur eum, dixit, ad eas conuersus: *Filiæ Ierusalem nolite flere super me;* si hunc affectum compassionis adeo gratum habet, & tantopere à nobis expostulat? Respondeo non ideo illum affectum improbare voluisse, sed potius indicare procurandum fuisse in gradu perfectiori: dolebant enim piæ illæ mulieres ex naturali quadam compassione, tamquam de sinistro casu, siue infortunio, quod homini iusto, sine illius culpa accidisset, neque enim adhuc intelligebant ipsum, qui ea patie-

Isai.57.1.
Ierem.Thren. 1.12.
Psal.68.21.
S. Ber.ser.62. in Cant.
S. August. in Man.c.21.
Luca. 23.27.

patiebatur, esse Altissimi filium talia pro peccatis nostris sustinentem: quod facilius postea intellecturæ erant visa horribili Ciuitatis Ierusalem per Romanos obsidione, & crudeli illius
Lucæ 19. 44. gentis excidio, in pœnam criminum grauissimorum, & eò, quòd, sicut Christus dicebat, non cognouerit tempus visitationis suæ. Habet igitur pius compassionis affectus suos quosdam perfectionis gradus, per quos iuxta motiui altitudinem mens contemplantis ascendit; & in Deum eleuatur. Sex gradibus ascendebatur ad summitatem throni, quem magno sumptu Rex Salomon sibi construxerat, sicut habetur in secundo libro Regum,
2. Reg. 10. 18. & in sacris Canticis de eodem Rege dicitur: *Ferculum fecit sibi*
Cant. 3. 9. *Rex Salomon de lignis Libani, columnas fecit argenteas, reclinatorium aureum: ascensum purpureum media charitate constrauit, propter filias Hierusalem*. Sint igitur pro deuotis animabus, sex piæ compassionis veluti gradus in mente firmati viua fide, & ordinati feruida charitate erga tam beneficum Dominum, & Redemptorem, per quos illum vsque ad crucis solium comitemur, vnde se regnaturum, & populis iura daturum in Psalmo prædixit, & adimpletum in misterio Crucis sacro hymno testatur Ecclesia, cum ait.

Psal. 95. 10 iuxta 70. interpretes, & lectionē S. Aug.

Impleta sunt, quæ concinit
Dauid fideli carmine,
Dicens in nationibus
Regnauit à ligno Deus.

Primus gradus cōpassionis ab innocētia patientis.

2 Est autem primus compassionis gradus ascendendus per considerationem in fide fundatam summæ innocentiæ patientis: cùm enim compassio nihil sit aliud, quam interni doloris ex alieno dolore in proprio corde susceptio, tantò ipsa maior esse debebit, quantò dolor illatus immerenti, propter quem dolemus, indebitus magis, atque indignior iudicabitur. Quid autem indignius, quàm multiplicare afflictiones, & pœnas, tamquam reo magni criminis illi, cui nulla ne leuissima quidem
Iob. 6. 2. culpa iustè vnquam potuit imputari? *Vtinam appenderentur peccata mea*, dicebat S Iob, *quibus iram merui, & calamitas, quam patior in statera? Quasi arena maris hæc grauior appareret*. Culpam non prorsus inficiabatur, immo de se dicebat:
Iob. 9. 20. *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem me ostendero, prauum me comprobabit:* sed pœnam, & calamitatem, quam patiebatur culpæ collatam, & æqua lance ponderatam, dicebat videri esse longè grauiorem, & inde se magna commiseratione dignum amicis, qui venerant ad eum

conso-

consolandum, ostendebat, dicens: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei.* Sed quæ innocentia, quæ iustitia, quæ sanctitas comparari potest cum innocentia, iustitia, & sanctitate Saluatoris? qui propterea vocatur sæpius ab Isaia, & alijs Prophetis antonomasticè Iustus: & Sanctus Sanctorum à Daniele: & ab vtroque Ioanne Baptista, & Euangelista, Agnus Dei, & Agnus immaculatus, atque incontaminatus ab Apostolo Petro. Vnde etiam per solemnissimum agni Paschalis sacrificium in lege veteri ex institutione diuina figurabatur. Certè si quis infantem, quo nihil apud nos solet esse innocentius, videret, quasi de atroci aliquo scelere conuictum, & damnatum torqueri, cruciari, crudelissimè interfici, intelligens paruulum id ætatis reum esse culpæ alicuius nullo modo potuisse, nisi planè barbarus omnem humanitatem exuisset, ex corde illi compateretur, & condoleret. Sed etiamsi quotquot vnquam extiterunt iustorum hominum, & Angelorum, innocentiam ad vnam hypostasim reuocaremus, tamen minor valde, multumque deficiens collata cum innocentia nostri Redemptoris inueniretur. *Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus.* In alijs omnibus rationalibus, siue intellectualibus creaturis peccatum aliquatenus, vnde pœnæ sequitur dignitas, & reatus, aut iam est, aut fuit aliquando, aut esse potuit, aut si facta aliqua extrinseca suppositione non potuit, ex ipsa saltem intrinseca personæ cõditione potuisset: Christi autem persona nihil vnquam pœna, vel reprehensione dignum non solum non admisit, sed nec potuit vlla ratione admisisse. *In cuius non solum diuinitate*, inquit S. Augustinus, *sed nec in anima, nec in carne vllum potuit esse peccatum. Anima enim Christi*, ait S. Cyrillus, *quia Verbi anima facta est, fundatum habet in omnibus bonis immutabilem statum incomparabiliter peccato fortiorem. Caro autem illa sacrosancta Verbo Dei modo admirabili, & ineffabili in ipsa origine adiuncta, atque concreta*, inquit S. Augustinus, *in tantam personæ coaluit vnitatem, vt idem ipse esset filius Dei, qui filius hominis, & filius hominis, qui filius Dei: ac sic in naturæ humanæ susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum possit admittere.* Si igitur iuxta maiorem innocentiam patientis, maior alterius erga ipsum debet esse commiseratio, quis dignè posset exprimere, quantum de nostro affectu sibi vendicet primus hic gradus iustissimæ compassionis?

Iob. 19. 21.
Isai. 57. 1.
Ierem. 33. 5. & alibi sæpe.
Dan 9. 24.
Ioann. 1 29.
1. Pet. 1. 19.
Apoc. 5. 7 & alibi sæpissimè.
Ad Hebr. 7. 26.
S. Aug lib. de pecc. mer. & r. miss. c. 11.
S. Cyril. lib. de fide ad Theod. Imper.
S. August in Ench. cap 40. & 41.

Secundus gradus compassionis ex dignitate patientis.

3 Hinc verò ad secundum eiusdem affectus gradum ex motiuo

tiuo altiori debemus aſcendere, conſiderando eum, qui patitur, non ſolùm omni vacare culpa, atque demerito, ſed etiam tanti eſſe meriti, dignitatis, & maieſtatis, vt omni honore, reuerentia, obſequio à quocumque mortalium, immo à quacumque creatura ſit digniſſimus. Profectò ſi videremus iuuenem nobiliſſimum, & regiæ indolis à carnificibus crudeliter pertrahi ad patibulum, vt inter facinoroſos grauibus tormentis, ac tandem extremo ſupplicio afficeretur; nobisq. conſtaret maniſeſtiſſimè, illum non ſolùm nihil vnquam tale meruiſſe, verùm etiam propter inſignem ſuam probitatem, ſingularem ſapientiam, heroicas virtutes, & ſummam nobilitatem, vtpotè filium Regis vnicum, & Regni totius legitimum hæredem, dignum eſſe omni obſeruantia, & honorificentia; niſi tygride inueniremur crudeliores, affici tali ſpectaculo vehementer affectu commiſerationis deberemus. Et tamen hæc ad rem noſtram comparatio quam eſt inferior? quàm deficiens? Qui patitur eſt altiſſimi filius, is, *Qui habet in veſtimento, & in fœmore ſuo ſcriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium:* is, quem æternus Pater *conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit, & ſæcula, qui eſt ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portansq. omnia verbo virtutis ſuæ, qui ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis*, de quo promulgatum eſt edictum vniuerſale per omnes cælos: *vt adorent eum omnes Angeli eius*, cui proinde vidit Propheta Daniel millia millium miniſtrantium, & decies millies centena millia aſſiſtentium cæleſtium legionum. Hic à viliſſimis ſuis creaturis deluditur, ceditur, vulneratur, & inter duos latrones cruci affigitur.

Lucæ.1.32. Apoc.19.16. Ad Heb.1.2.3.6. Daniel.7.10.

4 Quod ſi neque inde ſatis commoueamur, tertium compaſſionis gradum altiori quadam conſideratione, & magis nos attingente, atque etiam conſtringente, aſcendere debemus; viua fide recogitando, illum, qui patitur, non ſolum eſſe innocentiſſimum, & omni obſequio, & gloria digniſſimum, ſed etiam nobis coniunctiſſimum, ſiue vt magis propriè rem exprimamus, nos eſſe illi relationibus quamplurimis deuinctiſſimos, magis quam fratri, plusquam Matri, & Patri amantiſſimo, amico omnium fideliſſimo, benefactori in omni genere beneficiorum beneficentiſſimo, Domino altiſſimo, denique Creatori, Conditori, Conſeruatori ſummo. Nec vllam nominare, vel excogitare poſſumus amoris conciliatricem relationem, quæ in ijs, quibus ad Deum facti ſumus reſpectibus, & ab ipſo, & propter ipſum ſumus, eminenti aliqua ratione non contineatur. Amicitiam

con-

contraxerat aliquando Dauid cum Ionatha: *Inierunt*, inquit ſcriptura, *Dauid & Ionathas fœdus: diligebat enim eum quaſi animam ſuam, nam expoliauit ſe Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid vſque ad gladium, & arcum ſuum, & vſque ad baltheum.* Erat autem Ionathas filius Regis Saulis, quem pro ſuo legitimo Principe Dauid agnoſcebat, & honore debito proſequebatur, etiamſi ad necem ab ipſo ſæpius iniquiſſimè conquiſitus; tamen quia hic Dominus, & Rex eius erat, ille benefactor fuerat, & amicus: vbi de miſeranda vtriuſque morte infauſtum nuntium Dauid accepiſſet, quid non fecit? quæ non dixit? in ſignum mœſtitiæ, & compaſſionis? quas non fudit lachrymas veri doloris? Primùm enim, ait ſacra hiſtoria, *apprehendens Dauid veſtimenta ſua ſcidit, omneſque viri, qui erant cum eo, & planxerunt, & fleuerunt, & ieiunauerunt*. Deinde orſus eſt lamentabile illud carmen, quo non ſolum domeſticos, & familiam totam, ſed etiam populum vniuerſum, filios, & filias Iſrael ad complorationem inuitabat. *Conſidera Iſrael*, dicebat, *pro his, qui mortui ſunt ſuper excelſa tua vulnerati, inclyti Iſrael ſuper montes tuos interfecti ſunt: quomodo ceciderunt fortes? filiæ Iſrael ſuper Saul flete, qui veſtiebat vos coccino in delitijs, qui præbebat ornamenta aurea cultui veſtro. Quomodo ceciderunt fortes in prælio?* Malè præterea montibus ipſis, vbi interfecti fuerant, imprecatus eſt: *Montes Gelboë nec ros, nec pluuia veniant ſuper vos, neque ſint agri primitiarum, quia ibi abiectus eſt clypeus fortium, clypeus Saul, quaſi non eſſet vnctus oleo, ſagitta Ionathæ numquam rediјt retrorſum, gladius Saul non eſt reuerſus inanis: Saul, & Ionathas amabiles, & decori*. Sed adhuc magis compaſsionem ſuam declarauit mitiſsimus Dauid erga infelicem Iuuenem Abſalonem, filium perditiſsimum, & perſecutorem ſuum impijſsimum, ſolûm quia ſe Patrem eius cogitabat, illum autem, quamuis animo parricidam, eſſe tamen filium agnoſcebat. Nam vbi primùm de illius miſeranda nece intellexit, fuerat enim tribus laceis in corde transfixus, dum implicitus coma penderet ex condenſa quercu: operuit Rex Dauid pallio caput ſuum, & clamabat voce magna: *fili mi Abſalon, Abſalon fili mi: quis mihi tribuet, vt ego moriar pro te?* Tantum valet naturalis quædam habitudo compatientis ad patientem, etiamſi hoſtem coniuratum, & crudelem ad mortem perſecutorem. Quàm igitur vehementem, & ardentem eſſe oportebit huiuſmodi affectum cordis humani, & chriſtiani erga illum, cui tot vinculis tantarum

1.Reg.18.3.

Lib. 2. Reg. 1. 18.

2.Reg.18.19.

2.Reg.19.4.

tarum obligationum arctissimè obstricti sumus? quem non hostem, aut aduersarium, vel persecutorem in re vlla experti sumus: quinimmo bene scimus omnia tum naturæ, tum gratiæ bona esse ab ipso, & quascumque patitur persecutiones, nonnisi pro nobis pati, seque spontè propter nos in aduersariorum manibus constituisse, quod pertinet ad alium adhuc altioris, & iustioris compassionis gradum iam explicandum.

Quartus gradus compassionis ex eo quod pro nobis omnia patitur.

5 Quartus itaque compassionis gradus erit, si quis nondum satis mouere se sentiat ex tot erga Christum Dominum amoris respectibus, siue relationibus plusquam erga fratrem, Matrem, Parentem optimum, amicum super omnes amicos fidelissimum, attendere, quia pro me patitur, quæcumque patitur. Mihi enim debebantur illa flagella, illæ spinæ, claui, crux, lancea, illa omnia ludribia, & tormenta: peccato si quidem, & non innocentiæ debebantur, seruo, & mancipio iniquitatis, non Domino, & Regi gloriæ, ac maiestatis. *Ludebam ego foris in platea*, ait S. Bernardus, *& in secreto Regalis cubiculi super me ferebatur iudicium mortis. Audiuit hoc vnigenitus eius, exijt posito diademate, sacco vestitus, aspersus cinere caput, nudus pedes, flens, & eiulans, quod morte damnatus esset seruulus eius. Intueor illum subito procedentem, stupeo nouitatem, causam percunctor, & audio. Quid facturus sum? adhuc ne ludam, & deludam lachrymas eius? planè nisi insanus sum, & mentis inops; non sequar? & simul cum lugente, lugebo?* Narrat diuina scriptura Esdram magnum Dei sacerdotem, legisque doctorem cognouisse aliquando filios Israel à captiuitate Babylonica liberatos, ingratos, & immemores tanti beneficij statim gentibus alienigenis commixtos, vetita diuino mandato connubia cum gentilibus mulieribus turpiter iunxisse, & alia plurima peccata, & grauia scelera commisisse. Vnde zelo diuino sanctus Dei sacerdos incensus venit ad templum Dei, sedit mœstus in afflictione magna vsque ad sacrificium vespertinum, deinde surgens scidit ex dolore vestimenta sua, sacramque tunicam, curuauit genua sua, & expansis ad Deum manibus in hæc verba supplicabat: *Deus meus confundor, & erubesco leuare faciem meam ad te: quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, & delicta nostra creuerunt vsque ad cælum à diebus patrum nostrorum: sed & ipsi peccauimus grauiter vsque ad diem hanc, & in iniquitatibus nostris traditi sumus.* Multaque alia dixit, & fecit magnitudinem doloris omnibus manifestantia. Quæ cum vniuersus populus aduertisset, vidissetque Esdram

S. Bern. ser. 3. de Natali Domini.

Lib. 1. Esdræ. cap. 9. 5.

sum-

summum sacerdotem scissis vestibus ante templum Dei iacentem, & amarè flentem, collectus est, ait Scriptura, ad eum de Israel cœtus grandis nimis virorum, & mulierum, & puerorũ: & fleuit populus fletu multo, & illum innocentem, se verò nocentes, se peccatores, & legis præuaricatores proclamabant. Tantum Esdræ sacerdotis afflictio valuit ad excitandam in vniuersa illa multitudine commiserationem. Quid igitur non operabitur in nobis nostri summi Sacerdotis acerbissima tribulatio, & vsque ad mortem pro nobis suscepta tristitia? quæ non modo lachrymas, sed etiam sanguinẽ copiosum à toto illo sacro corpore eliciebat: vnde cogebatur discindere non talarem tunicam, aut linea vestimenta, sed humanitatis suæ sacratissimam carnem, quam ab intemeratis visceribus Deiparæ Virginis ante annos trigintatres nostra causa induerat Verbi persona. Spectaculum est hoc ad excitandum quamtumuis durissimo cordi sensum intimæ compunctionis, & maximæ compassionis. Quod si adhuc aliquis imperfectè assequeretur ad quintum gradum per vltiorem considerationem debebit ascendere. *1. Esdra 10. 1. 12.*

6 Quintus autem hic gradus adducit nos, ad summos Christi Domini dolores distinctius contemplandos, ad quod faciendum ipse Saluator illis verbis per Ieremiam inuitat: *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus*: fuit autem talis, ac tantus, vt iuxta communem theologornm sententiam, dolorem cuiuscumque martyris superauerit. Quamuis enim in aliquo genere pœnarum aliquid grauius, aut diuturnius alicui martyri contigisse negari non possit, nemini tamen adeo multa, & ex tot partibus dolorifera, nisi grandi planè miraculo, & causarum valde inusitato cũcursu, qualis solùm in complendo opere nostræ redemptionis permitti debuit, euenire potuissent. In primis enim patiebatur Redemptor noster in sacratissimo suo corpore formato opere spiritus sancti, ac proinde habitudinis supra omnes filios hominum delicatissimæ, & perfectissimæ, in ætate trigintatrium annorum, idest viuacissima, & florentissima, ideo tormentorum maxime sensitiua. Deinde in quatuor partibus corporis, manibus, & pedibus, ferreis clauis mortiferè sauciabatur, vbi propter omnium ferè neruorum concursum intensissimus fit dolor: toto præsertim ex illis clauis pondere corporis moribundi, & flagellis vndique lacerati pendente, atque librato; capite spinis coronato: vt etiamsi in molli culcitra illa sic deformati corporis species visa esset, exprimere debuisset à quouis huma-

Quintus compassionis gradus, qualia patiatur.
Ierem. Threnorum 1. 12.
S. Thom. 3. p. q. 46. art. 6. & alij.

no corde maximam compassionem. Quid igitur pendens in dura trabe a tribus, siue vt verior fert opinio, à quatuor clauis? ex quibus quatuor aperiebantur, & magis semper laxabantur foramina, quasi fontes sanguinis copiosissimè redundantis. Nec interim vllus erat ex quinque sensibus, qui non à suo maximè disconuenienti obiecto affligeretur: visus astantium aduersariorum ludibrijs, & irrisionibus: auditus sibilis, exprobationibus, & blasphemijs: odoratus tetro fætore cadauerum damnatorum ibi occisorum, vt propterea caluariæ locus appellaretur: gustus aceti acerbitate, & fellis amaritudine: tactus Crucis asperitate, clauorum duritie, sæuitie spinarum torquebatur. Et hæc quidem erant ex parte corporis. Sed ex parte animi, quasi in immensum dolor, & tristitia cordis augebatur propter perfectissimam cognitionem omnium, & singulorum totius humani generis peccatorum, pro quibus susceperat patiendo plenissimè satisfacere. Dolebat ex corde pro grauissima culpa crucifigentium, pro ingratitudine, cæcitate, & reprobatione Iudæorum, pro infælici sorte aliorum omnium reproborum, quibus ipsorum culpa nihil sanguis adeo pretiosius, tanto dolore, & tanta charitate etiam pro illis effusus, erat profuturus. Videbat se ab omni genere personarum aliquo modo perpeti, à Gētilibus, à Iudæis, à Principibus, à plebeis, à militibus, à sacerdotibus, ab amicis quoque, à notis, ac familiaribus, & non solum ab extraneis, & inimicis. Considerabat se ab vno discipulorum sceleſtissimè proditum, ab Apostolorum Primate negatum, ab alijs derelictum, quin etiam quodammodo ab ipso suo æterno

Matt. 27. 46. Patre, cui propterea clamabat: *Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me?* solùm ab afflictissima sua Matre, non tam ad leniendum, quàm ad augendum, & replicandum ex illius dolore proprium dolorem comitatus, & à dilecto discipulo Ioanne, à quo nullam poterat expectare consolationem. Sentiebat se pati in omnibus huius vitæ bonis atrocissimè, in fama per improperia, in honore per irrisiones, in gloria per contumelias, in rebus per expoliationem ab omnibus, etiam proprijs vestibus, in vita, quam agnoscebat maiori dilectione dignam, quàm essent omnium aliorum hominum simul, cùm esset vita diuinæ Personæ, & tamen illam morti pro nobis omnibus exponebat,

Ierem. 12. 7. iuxta illud Ieremiæ: *dedi dilectam animam meam in manu inimicorum eius*. Erat præterea hæc tristitia maximè excessiua, quia non mitigabatur, vt communiter fit in alijs hominibus ex consideratione aliqua sollicitæ mentis, & sibi prouidæ rationis; vnde

vnde à viribus animæ ſuperioribus per redundantiam in vires inferiores non nulla ingeritur ad temperamentum triſtitiæ conſolatio. Nam vt plenius pro peccatis totius humani generis ſatisfaceret, huiuſmodi redundantiam occulto miraculo interius cohibebat, & ſinebat vnicuique virium animæ, vt docuit S. Damaſcenus, agere, quod ſibi erat proprium, & connaturale. Quare contrarium in hac Saluatoris noſtri paſſione eueniebat, quàm in aliorum ſanctorum martyrijs ſoleret, pro alijs enim Martyribus miracula edebantur, vt ſenſus tormentorum minueretur, & ipſa etiam ſæpe tormenta deficerent, dexteræ carnificum areſcebant, feræ mites, & blandæ reddebantur, & ipſi ſancti Martyres dum torquerentur adeò replebantur cæleſti cōſolatione aliquando, vt propter eam, quam diximus redundantiam in vires ſenſitiuas, igniti carbones roſæ viderentur, candentes laminæ violaria, laniena leuamen, & refrigerium. At verò in Rege Martyrum Chriſto miracula potius fiebant, vt eius dolores multiplicarentur, intenderetur triſtitia, vita, quæ pridem inter tormenta abrumpi debuiſſet, ad acerbiora ferenda prorogaretur: vt meritò vocatus fuerit ab Iſaia, *nouiſſimus virorum, vir dolorum, & ſciens infirmitates*. Quod ſi quis adhuc altiorem ſanctæ compaſſionis gradum quærit aſcendere, ad ſextum progrediatur.

S. Dam. lib. 3. fid. cap. 15.

Iſai. 53. 3.

7 Eſt autem ſextum eiuſdem affectus altiſſimum motiuum attendere, quam æſtuanti, & penè inſatiabili deſiderio adhuc plura pro nobis patiendi, tot doloribus repletus Saluator noſter in Cruce teneretur, paratus non ſolum tribus horis, ſicut permanſit, ſed etiam pluribus diebus, & annis, immo vſque ad extremi Iudicij diem, ſi opus fuiſſet, in illo intolerabili cruciatu eâdem inſuperabili patientia perdurare. Nam ſi de vllius hominis patienti charitate vera ſunt illa Cantici canticorum verba, de hac eſſe veriſsima debuerunt: *Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*: vt iam mirari non debeamus, ſi eam nimiam S. Paulus appellauerit: *propter nimiam* inquit, *charitatem ſuam, qua dilexit nos*, & S. Lucas Euangeliſta vocauit exceſſum, de quo in Chriſti Domini transfiguratione Moyſes, & Elias ſermonem introduxerunt: *& loquebantur*, ait, *cum illo, & dicebant exceſſum eius, quem completurus erat in Ieruſalem*. Verè exceſſus magnus, & admirabilis in myſterio Crucis, quod propterea Iudæis fuit ſcandalum, Gentibus ſtultitia viſa eſt, & cùm propediem implendum verbis ſatis claris

Sextus gradus compaſsionis ex ſiti, & deſiderio adhuc multò plura patiendi.

Cant. 8. 6.

Ad Eph. 2. 4. Luc. 9. 31.

ab ipso Christo Domino suis discipulis exponeretur, ait *Euan-*
Lucæ 18.34. *gelista: ipsi nihil horum intellexerunt, & erat verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur*: Sed adhuc magis excessit in votis, & patiendi ardentissimo desiderio: quod non semel significare videtur voluisse, cùm suis Apo-
Lucæ 22.15. stolis diceret: *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum antèquam patiar*: erat enim illud pascha, figurata quædam ad passionem introductio, *& quia post illud Crux imminebat, ideo hoc dixit*, ait S. Io: Chrysostomus. De ipsa verò passione, & pretiosi sui sanguinis copiosa effusione sub nomine baptismi:
Lucæ 12.50. *baptismo*, inquit, *habeo baptizari, & quomodo coarctor vsque dum perficiatur*. Idem quoque significare videtur voluisse ardentisisma illa siti, qua se laborare in Cruce vocibus intermortuis ad extremum pronuntiauit. Nam vt refert Euangelista
Ioann.19.28. S. Ioannes, *sciens Iesus, quia omnia iam consummata sunt: vt consummaretur scriptura, dixit: sitio*. Quis autem dubitet sciuisse similiter Christum Dominum, nihil sibi ad sitim restinguendam fuisse paratum, nisi fel, & acetum, ad augendam pœnam, & afflictionem; non ad aliquam refocillationem: iuxta id, quod
Psal.68.22. erat in Psalmo prohetatum: *dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto?* neque propterea potum illum expetijt, vt homo, quia ab æteruo, vt Deus præsciuerat, se petiturum; sed potius præsciuit se petiturum, quia sponte fuerat petiturus. Igitur ex ardenti siti, ac desiderio adhuc plura pro nostra redemptione patiendi. Huius autem sitis illa ratio reddi potest, quia anima illa sanctissima supra omnes alias Deum charitate flagrantissima prosequebatur: ex quo fiebat primùm, vt valde doleret pro tot offensis, & iniurijs diuinæ Maiestati ab omnibus peccatoribus illatis, & inferendis: & quia hic internus dolor cum alijs passionibus, & tormentis nostra causa toleratis, erat pro nostris culpis legitima satisfactio, sicut in culpis quandam veluti infinitatem agnoscebat, ita desiderium pro illis patiendi, & satisfaciendi extendere quodammodo in immensum voluisset. Deinde, quia ex Dei amore dilectio sequitur proximorum, & hæc tanto maior existit, quanto maior
Ad Rom.9.2. extiterit amor Dei: vnde Apostolus de se ad Romanos scribens testabatur: *Quoniam tristitia mihi est magna, & continuus dolor cordi meo: optabam enim ego ipse anathema esse à Christo pro*
2.Cor.12.15. *fratribus meis*: & ad Corinthios: *ego autem*, inquit, *libentissimè impendam, & super impendar ipse pro animabus vestris, licet plus vos diligens minus diligar*: quantò igitur magis erga nos

super-

ſuperabundare debuit dilectio Chriſti Redemptoris, ex qua ſeipſum obtulit ab inſtanti ſuæ ſacratiſſimæ conceptionis æterno Patri viuam hoſtiam, & ſacrificium in altari Crucis ſemel cruentè, in alijs autem ſacris altaribus incruentè quàm ſæpiſſimè, vſque ad finem ſæculorum immolandum. Tertiò ex eàdem ardentiſsima dilectione etiam ſequebatur, vt ſicut anima illa omnium creatarum mentium illuminatiſſima, perfectè cognoſcebat valorem gratiæ diuinæ, pondus, & pretium ſublimiſſimum gloriæ ſempiternæ, ita nullis omnino parcere ſumptibus pro illa nobis cumulatiſsimè comparanda voluiſſet. Mirabatur valde Propheta, & quodam veluti ſtupore correptus, dicebat: *Domine audiui auditionem tuam, & timui: conſideraui opera tua, & expaui, in medio duorum animalium cognoſceris*: id autem contigit in Chriſti Natiuitate. At longè admirabilius fuit, magiſq. ſtupendum, non in fœno iacere, ſed in Cruce à diris clauis pendere: non inter duo animalia; ſed inter duos facinoroſos: non agnoſci à paſtoribus, adorari à Magis; ſed à populo deſpici, illudi à Principibus, à Senioribus irrideri, vexari à militibus, torqueri à carnificibus, & adhuc opprobria, & tormenta ſitire. *In æternum*, ait S. Bernardus, *non obliuiſcar miſerationes iſtas, quia in ipſis viuificatus ſum. Has olim S. Dauid cum fletu requirebat: veniant mihi, inquiens, miſerationes tuæ, & viuam. Has & alius quidam Sanctorum cum gemitu memorabat, dicens: miſericordiæ Domini multæ. Et ego fratres ab ineunte mea conuerſione, pro aceruo meritorum, quæ mihi deeſſe ſciebam hunc mihi faſciculum myrrhæ colligare, & inter vbera mea collocare ſtatui, collectum ex omnibus anxietatibus, & amaritudinibus Domini mei*: ait huc vſque S. Bernardus. His & ſimilibus conſiderationibus viri ſancti talem exprimebant in ſe piæ compaſsionis affectum, vt aliquibus altè impreſſa in ipſo etiam corpore, corde, manibus, & pedibus, non ſine ingenti miraculo, huius myſterij veſtigia, & inſtrumēta cernerētur: nec poſsēt alia ferè de re cogitare, ſed identidē cū Apoſtolo dicerent: *Chriſto confixus ſum Cruci: Abſit mihi gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo: Et de cætero nemo mihi moleſtus ſit: ego ſtygmata Domini Ieſu Chriſti in corpore meo porto.* Sed hæc pertinent ad extraordinarios, & miraculoſos effectus: pro ipſo verò affectu compaſsionis modo ordinario nobis excitando, quæ ſunt dicta ſufficiant.

Habacuc. 3.1. iux. 70. interpretes.

S. Ber. ſer. 43. in Cant.

Pſal. 118. 77.

Vide Th. Boz. to. 2. de Signis l. 15. c. 3.

Ad Gal. 2. 19.

Ad Gal. 6. 14.

Ad Gal. 6. 17.

CAPVT SEXTVM.

De affectu contritionis cuiusdam perfectissimæ ad peccata etiam venialia remittenda.

Cur agẽdum postremo loco de hoc affectu.

1 SICVT varios affectus incipientium, & viæ purgatiuæ concludebamus affectu quodam perfectæ contritionis, vnde mortalia peccata remitterentur: ita visum est oportunum hos proficientium affectus, & gradus viæ illuminatiuæ terminare per actus contritionis cuiusdam perfectissimæ, vnde peccata etiam leuiora, quæ venialia appellantur, si debito modo actus huiusmodi eliciantur, remitti possint. Nam etiamsi huius generis culpæ vitam spiritualem, sicut peccata mortalia, non extinguant, solis tamen iustitiæ fulgorem nobis obumbrant, & calorem inde prouenientem diminuunt: hoc est actualis gratiæ cælestes fauores, illustrationes, inspirationesq. diuinas. Cùm tamen via illuminatiua proficientium sic à Salomone describatur: *Iustorum semita, quasi lux splendens procedit, & crescit vsquè ad perfectam diem*. Et hæc est illa via, quam ibidem Salomon adeo commendat, dicens: *Viam sapientiæ monstrabo tibi, ducam te per semitas æquitatis: quas cùm ingressus fueris non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum*. Erunt autem ad huius affectus pleniorem explicationem, primùm quædam supponenda: secundò ipsi actus varij generis declarabuntur: tertio loco demonstrabitur, qua ratione inter meditandum huiusmodi actus in nobis excitandi, & formandi sint.

Prou.4.18.

Prou.4.11.

2 Primum itaque supponimus id, quod etiam alibi fuit significatum, veniales culpas esse tanquam spirituales quasdam ægritudines, vlcera, pustulas, & animæ scabiem, vt loquitur S. Augustinus: vnde non tollunt quidem statim vitam animæ spiritualem, sed tamen ad eam per mortifera peccata perdendam quodammodo disponunt. Ex quo aliqua inferuntur ad institutum nostrum consideratione dignissima. Primùm est nunquam remitti culpas veniales, nisi prius remissæ fuerint omnes culpæ mortales, sicut quamdiu mortuum est animal, ab ægritudine

S.Aug.ser.41. de sanctis.

Primo supponendum, numquam remitti culpas veniales ante mortales.

dine non sanatur, neque scabies, aut alius quantumuis leuis in se sit morbus, à cadauere potest depelli, nisi fortè ad vitam aliquo miraculo reuocaretur. Idipsum alio diuersi generis exemplo ita posset declarari: si quis seruus Domino suo præter leues quasdam offensiones, grauissimas quoque iniurias intulisset, vnde gratia illius prorsus amissa, capitalem inimicitiam cum illo contraxisset, ridiculus, & demens haberetur, si de leuibus illis offensiunculis tantummodo veniam postularet, de grauibus autem delictis, & de amicitia reintegranda nihil cogitaret. Et quamuis diceremus inter homines, apud quos per solam non imputationem extrinsecam iniuriæ condonantur, id interdum posse contingere; cum Deo tamen numquam succedet, quippe qui nonnisi per internam animæ renouationem, & maculæ peccati realem, atque intimam expiationem etiam venialia remittit. Quamuis autem ad huiusmodi venialia dimittenda, non ita requiratur infusio gratiæ sanctificantis, sicut quoties dimittuntur peccata lethalia, sufficiunt enim pro maculis culparum venialium expiandis varij motus gratiæ actualis, vt infra explicabitur: quia tamen huius generis interiores motiones debent esse actus nostri liberi, proprij virtutum supernaturaliter infusarum, non minus honesti, & Deo placentes, quàm fuerint inhonesti, & Deo displicentes actus contrarij venialium peccatorum: ad talem autem honestatis, & perfectionis gradum numquam poterunt peruenire, quamdiu personæ defuerit dignitas in gratia, & amicitia Dei cõstitutæ, cuius diuinæ amicitiæ quædam purificatio est ipsa remissio venialium: ideo non remissis mortalibus nũquam venialia peccata dimittentur. Est enim personæ sanctitas, veluti circumstantia intrinseca operationis, ad eius dignitatem plurimum conferens, ac proinde ad huius generis culparum, quæ stare possunt cum sanctitate, pœnitentiam, & expiationem in primis necessaria. Quapropter ita describit Salomon viri iusti faciles à quotidianis leuioribus culpis resipiscentias, & progressus in virtutibus, superueniente copiosiore Dei gratia, fœliciores: *Oculi Domini super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & vmbraculum meridiani, deprecatio offensionis, & adiutorium casus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam, & benedictionem*. De ijs verò, qui per mortale peccatum à Dei gratia exciderunt, nec ad eam nituntur redire, statim subiungit: *Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit oblationes impiorum, nec in multitudine sacrificiorum*

Eccl. 34. 19.

Eccl. 34. 23.

eorum propitiabitur peccatis. Atque hoc est, quod præcipuè docuit in hac materia S. Thomas, cum dixit: *licet ad remissionem peccati venialis non requiratur noua infusio gratiæ habitualis, requiritur tamen aliquis gratiæ actus, qui non potest esse in eo, qui subiacet peccato mortali*.

S. Thom. 3. p. q. 87. art. 4. ad 2.

3 Secundum, quod ex eodem præsuppositò principio sequebatur obseruandum, hoc est: quemadmodum animal mortuum non potest ad vitam reuocare seipsum, sed indiget extrinseco prorsus adiutorio, atque auxilio valde miraculoso: quamdiu tamen viuit, humorum leuiores perturbationes, & non mortales ægritudines potest intrinseca sua virtute, applicata præsertim aliqua medicina, facilè à seipso reparare: ita homo per mortiferum peccatum spirituali animæ vita priuatus non potest se in pristinum statum gratiæ sanctificantis reducere, sed omnino gratuito Dei adiutorio opus habet: nam hoc est, quod in epistola ad Romanos dixit Apostolus: *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu.* Hoc autem iuxta interpretationem Concilij Tridentini, S. Paulus ideo dixit, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera ipsam iustificationis gratiam promerentur: meritò videlicet propriè dicto, & quod de condigno à Theologis appellatur. Cùm tamen homo in Dei gratia sanctificante constitutus de culpis venialibus perfectè pœnitẽs, verè dici possit illarum veniam de condigno promereri; vel si magis placet ita loqui, perfectè pro huiusmodi culpis, & ad æqualitatẽ iustitiæ satisfacere: adeo vt completis illis pœnitentiæ actibus, & affectibus infra explicandis, cum gratia Dei elicitis, per incompossibilitatem formalẽ totam maculã culpæ venialis prorsus abstergat, sicut accessu luminis, aër antea subobscurus, statim à tenebris perfectè purgatur: quod plus videtur esse quodammodo, quàm mereri; ordo enim formæ ad suũ effectum formalẽ non est sicut meriti ad præmium, ordo videlicet tantũmodo rationis, sed physicæ, connaturalis, & necessariæ cuiusdã causalitatis. Exquo facile erit ad illud respõdere, quod posset hic aliquis interrogare: Si gratiam iustificationis, & remissionis mortalium peccatorum nostris actibus non possumus promereri, quid est, quod in eadem Epistola ad Romanos dicit Apostolus? *Iustificati ergo ex fide:* & paulo post: *Spe salui facti sumus:* & de perfecta conuersione ad Deum legimus apud Ezechielem: *Si auerterit se impius ab impietate sua, & fecerit iudicium, & iustitiam, ipse animam suam viuificabit*. Cùm tamen actus fidei, spei, charitatis,

A venialibus iusti ipsi cum gratia resurgunt, à mortalibus gratis per gratiam.

Ad Rom. 3. 24.

Triden. sess. 6. cap. 8.

Ad Rom. 5. 1.

Ad Roman. 8. 24.

Ezech. 18. 24.

tatis, contritionis, & noſtræ ad Deum conuerſionis vtique noſtræ ſint liberæ,& meritoriæ operationes. Nihilominus tamen ſicut alia ratione tenebroſum aerem ventus clarificat, nebulas, & caliginem depellendo; alia verò ratione lumen ſuis illum radijs illuſtrando, & ſua præſentia tenebris expulſis,diem conſtituendo: ita etiam aliter tollunt maculas peccati mortalis actus pœnitentis non dum iuſtificati, nempe congruè ad iuſtificationis gratiam diſponendo, & indiſpoſitiones eidem gratiæ contrarias remouendo, aliter verò maculas eluit veniales pœnitentia hominis iam per gratiam ſanctificati, nimirum totam illius maculæ inhoneſtatem oppoſita honeſtatis forma per eam, quam diximus phyſicam incompoſſibilitatẽ penitus excludẽdo.

Vnum peccatum veniale ſine altero remittitur: vnũ mortale ſine alio nó remittitur.

4 Tertium, quod ex eodem præſuppoſito principio ſequitur,eſt: quemadmodum animal pluribus lethalibus vulneribus ſauciatum, ex quorum ſingulis mors ſtatim ſequeretur, non poteſt ab vno illorum ſine altero ſic ſanari, vt à vitæ periculo liberetur; bene tamen ſanari poteſt ab vna non graui ægritudine, altera ſimiliter non graui remanente: ita etiam anima pluribus lethalibus culpis mortua, non poteſt infuſione diuinæ gratiæ ab vna ſine alijs liberari; quia non poteſt quamdiu perſeuerat in peccato mortua,ſpirituali vitæ reſtitui: poſſet tamen ab vna culpa veniali, & non ab alia liberari; immo ita fieri in quotidianis iuſtorum culpis ſæpe contingit. Sequitur denique, vt ſicut ad ſanandum animal, non eſt ei noua vita, ſupra eam, quam habet reſtituenda, ſed ſufficiunt quædam ex oppoſito illi ægritudini vitæ principio vitales motiones talis ægritudinis expultrices: ita ad culparum venialium remiſſionem non eſſe per ſe, & ſemper neceſſariam nouæ gratiæ habitualis infuſionem, ſed ſufficere varias actualis gratiæ motiones,iuxta varias virtutes culpis illis venialibus aduerſantes, quas explicare diſtinctè, ac breuiter iam debemus.

S. Thom. 3. p. q. 87. art. 2.

Actus virtutũ delentes maculas veniales debent eſſe ordinis ſupernaturalis, & ex gratia.

5 Vt igitur ad hoc exponendum, quod ſecundo loco facere propoſuimus, veniamus: aduertendum prius erit in vniuerſum, quicumque tandem ſint illi actus virtutum, ex quibus deleri poſſunt culpæ noſtræ veniales, non ſufficere, ſi ordinis fuerint naturalis, & ſolis naturæ viribus exerceantur: in qua re aliqui ſunt decepti,ſed omnino debebũt eſſe motus animi noſtri ſupernaturales ex auxilio, & gratia ſpeciali Chriſti noſtri Redemptoris. Id enim non ſemel in ſua prima Epiſtola S. Ioannes expreſſit, cùm dixit: *Sanguis Ieſu Chriſti emundat nos ab omni peccato, fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra,*

S. Ioann. ep. 1. c. 1. & c. 2.

&

eorum propitiabitur peccatis. Atque hoc est, quod præcipuè docuit in hac materia S. Thomas, cum dixit: *licet ad remissionem peccati venialis non requiratur noua infusio gratiæ habitualis, requiritur tamen aliquis gratiæ actus, qui non potest esse in eo, qui subiacet peccato mortali*.

S. Thom. 3. p. q. 87. art. 4. ad 2.

3 Secundum, quod ex eodem præsuppositó principio sequebatur obseruandum, hoc est: quemadmodum animal mortuum non potest ad vitam reuocare seipsum, sed indiget extrinseco prorsus adiutorio, atque auxilio valde miraculoso: quamdiu tamen viuit, humorum leuiores perturbationes, & non mortales ægritudines potest intrinseca sua virtute, applicata præsertim aliqua medicina, facilè à seipso reparare: ita homo per mortiferum peccatum spirituali animæ vita priuatus non potest se in pristinum statum gratiæ sanctificantis reducere, sed omnino gratuito Dei adiutorio opus habet: nam hoc est, quod in epistola ad Romanos dixit Apostolus: *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu.* Hoc autem iuxta interpretationem Concilij Tridentini, S. Paulus ideo dixit, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera ipsam iustificationis gratiam promerentur: meritò videlicet propriè dicto, & quod de condigno à Theologis appellatur. Cùm tamen homo in Dei gratia sanctificante constitutus de culpis venialibus perfectè pœnitẽs, verè dici possit illarum veniam de condigno promereri; vel si magis placet ita loqui, perfectè pro huiusmodi culpis, & ad æqualitatẽ iustitiæ satisfacere: adeo vt completis illis pœnitentiæ actibus, & affectibus infra explicandis, cum gratia Dei elicitis, per incompossibilitatem formalẽ totam maculã culpæ venialis prorsus abstergat, sicut accessu luminis, aër antea subòbscurus, statim à tenebris perfectè purgatur: quod plus videtur esse quodammodo, quàm mereri; ordo enim formæ ad suũ effectum formalẽ non est sicut meriti ad præmium, ordo videlicet tantũmodo rationis, sed physicæ, connaturalis, & necessariæ cuiusdã causalitatis. Ex quo facile erit ad illud respõdere, quod posset hic aliquis interrogare: Si gratiam iustificationis, & remissionis mortalium peccatorum nostris actibus non possumus promereri, quid est, quod in eadem Epistola ad Romanos dicit Apostolus? *Iustificati ergo ex fide:* & paulo post: *Spe salui facti sumus:* & de perfecta conuersione ad Deum legimus apud Ezechielem: *Si auerterit se impius ab impietate sua, & fecerit iudicium, & iustitiam, ipse animam suam viuificabit.* Cùm tamen actus fidei, spei, charitatis,

A venialibus iusti ipsi cum gratia resurgunt, à mortalibus gratis per gratiam.

Ad Rom. 3. 24.

Triden. sess. 6. cap. 8.

Ad Rom. 5. 1.

Ad Roman. 8. 24.

Ezech. 18. 24.

tatis, contritionis, & nostræ ad Deum conuersionis vtique nostræ sint liberæ, & meritoriæ operationes. Nihilominus tamen sicut alia ratione tenebrosum aërem ventus clarificat, nebulas, & caliginem depellendo; alia verò ratione lumen suis illum radijs illustrando, & sua præsentia tenebris expulsis, diem constituendo: ita etiam aliter tollunt maculas peccati mortalis actus pœnitentis non dum iustificati, nempe congruè ad iustificationis gratiam disponendo, & indispositiones eidem gratiæ contrarias remouendo, aliter verò maculas eluit veniales pœnitentia hominis iam per gratiam sanctificati, nimirum totam illius maculæ inhonestatem opposita honestatis forma per eam, quam diximus physicam incompossibilitatē penitus excludēdo.

4 Tertium, quod ex eodem præsupposito principio sequitur, est: quemadmodum animal pluribus lethalibus vulneribus sauciatum, ex quorum singulis mors statim sequeretur, non potest ab vno illorum sine altero sic sanari, vt à vitæ periculo liberetur; bene tamen sanari potest ab vna non graui ægritudine, altera similiter non graui remanente: ita etiam anima pluribus lethalibus culpis mortua, non potest infusione diuinæ gratiæ ab vna sine alijs liberari; quia non potest quamdiu perseuerat in peccato mortua, spirituali vitæ restitui: posset tamen ab vna culpa veniali, & non ab alia liberari; immo ita fieri in quotidianis iustorum culpis sæpe contingit. Sequitur denique, vt sicut ad sanandum animal, non est ei noua vita, supra eam, quam habet restituenda, sed sufficiunt quædam ex opposito illi ægritudini vitæ principio vitales motiones talis ægritudinis expultrices: ita ad culparum venialium remissionem non esse per se, & semper necessariam nouæ gratiæ habitualis infusionem, sed sufficere varias actualis gratiæ motiones, iuxta varias virtutes culpis illis venialibus aduersantes, quas explicare distinctè, ac breuiter iam debemus.

Vnum peccatum veniale sine altero remittitur: vnū mortale sine alio nō remittitur.

S. Thom. 3. p. q. 87. art. 2.

5 Vt igitur ad hoc exponendum, quod secundo loco facere proposuimus, veniamus: aduertendum prius erit in vniuersum, quicumque tandem sint illi actus virtutum, ex quibus deleri possunt culpæ nostræ veniales, non sufficere, si ordinis fuerint naturalis, & solis naturæ viribus exerceantur: in qua re aliqui sunt decepti, sed omnino debebūt esse motus animi nostri supernaturales ex auxilio, & gratia speciali Christi nostri Redemptoris. Id enim non semel in sua prima Epistola S. Ioannes expressit, cùm dixit: *Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata nostra,*

Actus virtutū delentes maculas veniales debent esse ordinis supernaturalis, & ex gratia.

S. Ioann. ep. 1. c. 1. & c. 2.

&

& emundet nos ab omni iniquitate: & infra, *si quis*, inquit, *peccauerit aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam totius mundi.* Et ne quis audeat ex tanta vniuersalitate culpas excipere veniales, addit sanctus Ioannes: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Si dixerimus quoniam non peccauimus, mendacem facimus eum, & verbum eius in nobis non est.* Nempe hoc est verbum eius Apostolis à Christo Domino aliquando dictum, atque omnibus iustis, quorum culpæ non solent esse, nisi veniales, vt quotidie in oratione dominica postularent: *dimitte nobis debita nostra. Non est enim homo iustus in terra*, ait Ecclesiastes, *qui faciat bonum, & non peccet; & quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Quare Concilium Tridentinum: *Licet*, inquit, *in hac mortali vita quamtumuis sancti, & iusti, in leuia saltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti: nam iustorum illa vox est, & humilis, & verax: dimitte nobis debita nostra.* Ex cuius orationis assiduitate gratiæ intulit in re nostra necessitatem sanctus Augustinus in epistola quadam scripta contra Pelagium nomine Patrum Concilij Carthaginensis ad S. Innocentiũ Papam, in hæc verba: *Generaliter quicumque dogmatizat, & affirmat humanam sibi ad vincenda peccata sufficere posse naturam, gratiæ Dei, quæ sanctorum orationibus euidentius declaratur, aduersarius inuenitur.*

Math. 6.12. Ecclef. 7.21. Prou. 20.9. Triden. sess. 6. cap. 11. S. Aug. ep. 90.

6 Iam verò in specie loquendo de actibus virtutum, ex quibus iustis in gratia Dei sanctificante constitutis venialia remittuntur, secundum id quod dicitur in Prouerbijs: *Septies cadet iustus, & resurget:* primus actus maxime proprius à talibus culpis resurgendi est pius de illis dolor siue cordis contritio, & digna detestatio. Hic autẽ actus facilius quodãmodo elicietur, quam actus perfectæ contritionis de peccatis mortalibus, quodammodo autem difficilius: facilius, quatenus contritio de huiusmodi culpis venialibus in homine iam de mortalibus iustificato, maiorem habet proportionem ad leues illas maculas diluendas, quàm habeat in homine nondum iustificato contritio de mortalibus, vnde non requirit formalem Dei dilectionem, sicut requirit, secundum sententiam probabiliorem, contritio de mortalibus ad hoc, vt extra sacramentum in eius voto mortalia peccata dimittat. Propterea dixit Concilium Tridentinum:

Prou. 24.16. Primus actus propriè remissiuus culpæ venialis est perfecta contritio. Trid. sess. 14. cap. 4.

num: si contingat aliquando contritionem hanc de mortalibus Dei charitate esse perfectam, tunc hominem Deo reconciliare priusquam pœnitentiæ sacramentum actu suscipiatur. Secundò facilius elicitur contritio de venialibus ex parte voluntatis, & propositi amplius non peccandi; quod propositum pro huiusmodi leuioribus culpis in tanta vniuersalitate non semper requiritur, sicut necessario requiritur pro contritione de culpis mortalibus, quarum nulla potest cum amicitia Dei vnquam consistere: potest autem culpa quæcumque venialis. Vnde si propositum non peccandi mortaliter ad omnia talia peccata aliquando commissa,& non dum remissa, non extendatur; cùm vnum remitti sine alio non posit, de nullo venia poterit obtineri. At verò peccata venialia, cùm posint separatè vnum sine alio remitti, saltem illa remittentur, de quibus firmum emendationis propositum contrito fuerit corde conceptum. Sed est ex altera parte hæc de venialibus perfecta contritio difficilior: primùm quia pro ea non sufficit detestari tantùm graues Dei offensiones; sed multò perfectior debet esse detestatio, orta nimirum ex voluntate placendi Deo in rebus etiam minimis, atque adeo neque in leuibus displicendi: quod non est ita facile, præsertim tepidis, & imperfectis, qui dummodo grauiora peccata non committant, vel assensum cohibeant à culpis moralibus manifestis, cæteras minores transgressiones diligenter cauere vix vnquam serio proponunt. Secundò quia non solum est difficile, sed etiam mortaliter impossibile concipere verum, & efficax propositum vitandi omnia prorsus venialia; Vnde in Concilio Tridentino damnatur sub anathemate, si quis dixerit aliquem in tota vita sine speciali Dei priuilegio, quale habuit Beatissima Virgo, posse omnia etiam venialia deuitare. Quare agens de hoc proposito S. Thomas: *pœnitentia*, inquit, *de peccatis mortalibus requirit, quod homo proponat abstinere ab omnibus,& singulis peccatis mortalibus: sed ad pœnitentiam peccatorum venialium requiritur, quòd homo proponat abstinere à singulis, non tamen ab omnibus, quia hoc infirmitas huius vitæ non patitur.* Quomodo igitur fieri potest, dicet aliquis, vt à singulis nullo relicto, & non ab omnibus homo prudens constituat abstinere? cùm singula sic accepta ipsa sint omnia? Sed ita res hæc est intelligenda: vt quia possumus, loquendo de potestate physica, & antecedenti ad liberè operandum requisita, non singula solùm, sed etiam omnia deuitare, alioquin non in omnibus peccaremus: *nemo enim in eo peccat,*

Triden. sess. 6. can. 23.

S. Thom. q. 87. art. 1. ad 1.

S. Aug.l.3.de lib.arb.c.17. *cat, quod vitare non potest*, ait S. Augustinus; non possumus tamen potestate morali,& consequenti, quæ nimirum ad actum in omnibus,& quoad omnia sit reducenda: ideo absolutum de omnibus propositũ in cõmuni,sicut facere non possumus,ita neque debemus; debet tamen fieri conditionatum, vt vellem, si fieri posset, neque venialiter amplius Deum offendere. Possumus præterea quadruplex formare de huiusmodi venialibus propositum absolutum. Primùm abstinendi à singulis in particulari: quia re vera possumus à singulis abstinere, & scientia nostræ deficientiæ in communi non impedit propositum absolutum in singulari. Secundò,possumus etiam habere propositum absolutum de aliquo genere, vel specie talium peccatorum: vt abstistendi ab omnibus mendacijs, à qualibet in posterum cuiusdam regulæ instituti mei transgressione: à nimia certo tempore, vel cum certa persona confabulatione. Hæc enim homines accurati, & sui spiritualis profectus bene solliciti aliquo examine conscientiæ particulari sæpe breui tempore sunt assecuti. Tertiò,possumus etiam formare propositum absolutum in dies peccata venialia minuendi: neque solum possumus, verum etiam quotquot ad perfectionem tendere obligamur, id facere debemus. Quartò denique possumus etiam proponere absolutè ab omnibus culpis venialibus, quæ non ex subreptione, sed plena deliberatione committuntur, in posterum cum diuina gratia abstinere; id enim viri perfecti tandem cum diuina gratia consequuntur.

Secũdus actus delens maculas veniales est amoris Dei feruentis.

7 Secundus in specie actus, ex quo iustus in exercitio virtutum perfectè suas ipse diluit maculas veniales, est amoris Dei feruentissimi, qui etiam aliqua ex parte est facilior, quàm contritio de mortalibus, ex alia verò est difficilior: est eatenus facilior, quatenus formalem pœnitentiam, aut dolorem de tali culpa non necessariò requirit, sicut semper postulat contritio de mortalibus. Nam quemadmodum venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, non sunt materia necessaria sacramenti pœnitentiæ, cùm possint multis alijs remedijs expiari; ita neque sunt materia necessaria virtutis pœnitẽtiæ; siue de necessitate medij loquamur,siue de necessitate præcepti,quæ à necessitate medij, si qua esset in re præsenti, non deberet separari: sed non desunt ad eum finem obtinendum alia media: & vbicumque in diuinis scripturis necessitas pœnitẽtiæ graui præcepto denunciatur, pro culpis mortalibus id esse intelligendum satis persuadet adiuncta comminatio mortis, & æternæ damnationis,

tionis. Si ergo præceptũ pœnitendi adeo non vrget in hac materia, & alia ſuppetunt media præter huiuſmodi actus pœnitentiæ, quis excogitari poteſt actus virtutis accommodatior, atque præſtantior ad leues offenſiones inter amicos remittẽdas, quàm amoris amicitiæ, & inde ſumpta occaſione magis, quàm prius accenſæ dilectionis? Eſt tamen altera ex parte difficilior hic actus, quia debet eſſe valdè feruidæ charitatis: neque eſt hic feruor ex intenſione mẽſurandus, fieri enim poteſt, vt ſit amor Dei quoad gradus valde intenſus, & tamen nullum inde peccatũ veniale remittatur, quia cum nullo veniali habet debitam oppoſitionem, ſed ſolum cũ voluntate peccati mortalis. Quod ſi propoſitum amplius non peccandi mortaliter, incluſum in actu dilectionis extendatur etiã ad vitandas in aliqua ſpecie culpas veniales, & perfectam cum earũ culparum voluntate, vel cõplacentia habeat oppoſitionẽ, illas tantùm veniales, nõ alias expiabit. Si verò actus diuini amoris tantæ fuerit in ſe perfectionis, vt cũ qualibet voluntate peccandi, non ſolum mortaliter, ſed planè in omni genere, etiam leuiſſimè, & venialiter, habeat incompoſſibilitatem, tunc ſimul ab omnibus huiuſmodi culpis iuſtificabit. Sed elicere actum amoris diuini tantæ perfectionis non eſt cuiuſcũque etiamſi iuſti, & in Dei amicitia conſtituti, ſed animi purgatiſſimi, atque in quolibet diuino obſequio feruẽtiſſimi, & promptiſſimi. Qualem Dei dilectionẽ habent in cælis omnes animæ Beatorum, & elicere etiam dicuntur aliæ animæ electæ ſtatim in primo inſtanti ſeparationis animæ à corpore, quotquot ad ignẽ purgatorij deſtinantur, cum incluſa in illo actu diuini amoris, tali diſplicentia, & deteſtatione omnium præteritarum culparum etiam leuiſſimarum, vt ſi quæ non fuerint in hac vita remiſſæ culpæ veniales, quod facilè poteſt contingere, ſtatim quantùm ad culpam attinet, illo momento expientur, pœna tantum remanente ſucceſſiuè in illis ſupplicijs perſoluenda.

8 Tertia ſpecies honeſtarum actionum, ex quibus venialia dicuntur poſſe, & ſolere dimitti, multa cõplectitur, nempe actus cuiuſcumque virtutis infuſæ, etiamſi virtus inferior fuerit charitate, dummodo perfectam habeat cum illis culpis oppoſitionẽ, & tantam coram Deo perfectionem, & honeſtatem, quantam admiſſæ illæ culpæ veniales habuerunt imperfectionem, & inhoneſtatem; ita vt nõ minus Deo placeant, quàm illæ diſplicuerũt. Huiuſmodi ſunt virtutis actus, illi defectui directè contrarij, excludentes per quamdam incompoſſibilitatem omnem talis defectus conſenſum, aut complacentiam: talis eſſet attritio propter

Tertij ordinis actus variarum virtutum, remiſsiui culparum venialium.

ter

pter pœnam illi culpæ à Deo in purgatorio destinatam;nec non oratio, qua cum firmo proposito non iterãdi amplius tale peccatum, de illo à Deo veniam postulamus, & præsertim oratio, quæ Dominica appellatur, de qua S. Augustinus in Enchiridio sic ait. *De quotidianis leuibus breuibusq. peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit, delet enim omnino hæc oratio minima quotidiana peccata.* Denique inquit S. Thomas *displicentia aliqua virtualis, puta cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum, & res diuinas, vt quidquid illi occurreret, quod ab hoc motu retardaret, displiceret ei, & doleret se commisisse, etiamsi actu de illo non cogitaret.* Sed videamus iam, quod vltimo loco proposuimus, qua ratione huiusmodi actus culparum venialium remissiui inter meditandum, & orandum eliciantur.

S. August. in enchir. c. 70.

S. Thom. 3. p. q. 87. art. 1.

Quomodo excitentur in meditatione, affectus remissiui culparum venialium.

9 Cùm in triplici differentia tales actus fuerint à nobis superius distributi, primùm in actus perfectæ contritionis, deinde accensæ dilectionis, tertiò in virtutum infusarum varias exercitationes: quæ ad actus primi ordinis eliciendos meditantem valde poterunt excitare, sunt omnia illa peccati odium, & abominationem inducentia pericula, damna, miseriæ, & grauia detrimenta superius, dum affectus viæ purgatiuæ traderemus, exposita. Ad actus verò secundi ordinis, idest accensæ charitatis, & ardentissimæ Dei dilectionis, inducere poterunt contemplantẽ ea, quæ de hoc affectu pro via vnitiua fusè paulò inferius exponentur. Ad actus demum tertij generis facilè perducũt affectus varij viæ illuminatiuæ proximè superius explicati, maximè verò imitationis virtutum, vitijs, & culpis, quibus nostra conscientia maculatur oppositarum. Sicut enim, qui ad speculum seipsum intuetur, maculas & deformitates, quas alia ratione in se non obseruasset, facilè deprehendit, & emendat: ita qui attentè considerat Sanctorum admiranda, & simul imitanda exempla virtutum, quid in se, & qua ratione id corrigat, efficaciter admonetur. Quare S. Gregorius, illud, quod Moysi in Exodo præceperat Deus, vt labrum æneum cum basi sua curaret fieri de speculis mulierum excubantium in atrio tabernaculi, ad munditiem Sacerdotum Sancta sanctorum ingredientium, sic mysticè interpretatur, vt per huiusmodi lauacrum, sine quo non licebat ingredi Sancta sanctorum, expiatio culparum etiam minimarum intelligatur, sine qua vitam æternam nullus ingreditur; quia sicut legitur in Apocalypsi, ***non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, aut mendacium:*** per specula mulie-

Lib. 5. c. 1. 2. 3.

Lib. 7. c. 3. & 4

Lib. 6. c. 1. 2. 3

Exodi. 38. 8.

Apoc. 21. 27.

mulierum exempla sanctarum animarum: *quæ* inquit S.Gregorius, *quamdiu in hac vita sunt, æternum tabernaculum ingredi nequaquam possunt, sed tamen ad ostium tabernaculi mulieres excubant, quia sanctæ animæ etiam cùm infirmitate carnis adhuc grauantur, amore tamen continuo ingressum æterni introitus obseruant. Moyses ergo labrum* Sacerdotibus *de speculis mulierum facit, quia lex Dei lauacrum compunctionis peccatorum nostrorum maculis exhibet, dum ea, per quæ sanctæ animæ superno sponso placuerunt, intuenda nobis cælestia præcepta præbent; quibus si diligenter intendimus, internæ nostræ imaginis maculas videmus, videntes autem maculas in pœnitentiæ dolore compungimur, compuncti verò, quasi in labro de speculis mulierum lauamur*. Sed obseruare postremo loco in hac materia diligenter oportet, etiamsi quæ hactenus dicta sunt de remissione venialium, per varios motus gratiæ, diuersos affectus pios, & plura exercitia interna virtutum, probabilissima sint, & insignium theologorum auctoritate confirmata, non tamen esse de omnibus æque certa. Magis enim est certum remitti venialia per contritionem, quàm per attritionem; magis per detestationem, & displicentiam formalem, quàm per illam vocatam virtualem; magis per actus dilectionis Dei, & exercitia interna charitatis, quàm aliarũ etiamsi supernaturaliũ virtutum infra charitatem. Quare operepretium erit sapientem illum negotiatorem inter meditandum imitari, de quo in Euangelio dicitur: *Simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inuenta autem vna pretiosa margarita abijt, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam*. Nihil verò sunt aliud hæ pretiosæ margaritæ, quibus honestari, & ditari nostra spiritualis paupertas debet, quàm à cælo per gratiam sancti Spiritus animis iustorum infusæ virtutes. Sicut enim referunt, qui scribunt de historia naturali, inter humanas delicias nulla est pretiosior margaritis, quarum vna interdũ multis aureorum centenis millibus empta est: quæ etiamsi in mari nascantur intra conchylia, magis tamen originem, incrementum, pretium, venustatem à cælo sortiuntur. Inde enim rore infuso primum generantur, & virtute luminis coalescunt; candidæ pro candore cælitus infusi roris, claræ pro cæli claritate, & serenitate, contractæ verò, & turbidæ, cælo nubilo, & conturbato. Sed quid virtutibus à Deo infusis animæ per gratiam sanctificatæ potest inueniri pretiosius, quid amabilius, quid speciosius? quas homines etiã impij, & virtutis osores, cùm ad earum exercitationes, & fructus ven-

S.Greg.ho 17. in Euang.

Matth.13.45.

Plin.l.9.c.35.

tum

tum eſt, in alijs admirantur. Hæ magis à cælo pendent, quam à terra, etiamſi in terra procreētur, variæ pro cæli vario aſpectu, influxu, & benignitate. Noſtrum eſt ſectari pretioſiores, & meliora charismata, ſicut monet Apoſtolus, æmulari. Atque ita ſimile eſt regum cælorum, ideſt inquiſitio regni cælorum, homini negotiatori quærenti bonas huiuſmodi margaritas, pro quibus non eſt nobis mare ſulcandum, nec ad Indos penetrandum, ſed ex ipſo orationis loco, in quiete contemplationis, poſſumus eas conquirere, atque interni delectu adipiſci. Illam autē pretioſiſſimā omnium margaritā Euangelicam, nō aliam eſſe S. Auguſtinus interpretatur, niſi charitatē. *Hæc eſt*, inquit *pretioſa margarita, charitas, ſine qua nihil tibi prodeſt quodcumque habueris, quam ſi ſolum habeas ſufficit tibi. Nullum eſt iſto Dei dono excellentius. Quale bonum eſt charitas fratres? quid pretioſius, quid luminoſius, quid firmius, quid vtilius, quid ſecurius?* Non eſt igitur mirum, ſi inuenta hac pretioſa margarita Euangelicus negotiator, & regni cæleſtis perueſtigator abijt, vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam. Nam & alibi dicitur: *ſi dederit, homo vniuerſam ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam.* Non ſit ergo contentus amator perfectionis venialia peccata, quia leuia exiſtimantur, leui diſplicentia, & qualicumque retractatione velle expiare, ſed vbi ſacramenti confeſſionis defuerit oportunitas, orationi, & meditationi inſtando, emat, ſicut ſuadetur in Apocalypſi aurum ignitum, & probatum feruentioris dilectionis Dei, vt ea locuples fiat, & ex ea defectus, ac negligentias ſuas affectu ardentiſſimo deteſtetur, in obſequio Domini tam amabilis, tam benefici, tam ſublimis. Vnde ſæpius, & per ſingula emendationem ex hac Dei accenſa dilectione proponat: atque ita ſenſim à via illuminatiua proficientium, ad vnitiuam perfectorum ſe diſponet, de qua toto libro ſequenti erit agendum.

1. Cor. 12. 35.

Ibi.

S. Aug. trac. 5 in ep. 1. Ioann. l. 15. de Trin. cap. 18. ſer. 50. de verbis Domini.

Cant. 8. 7.

Apoc. 3. 18.

DE

DE CAELESTI CONVERSATIONE, PER INTERNAM ORATIONEM, ET EXERCITIA SPIRITVS.

Liber Septimus.

DE AFFECTIBVS VNITIVIS Perfectorum, & de actu contemplationis.

CAPVT PRIMVM.

De affectu Admirationis.

1 AGIMVS hic primum de affectu admirationis, quia secundum Sanctum Bernardum in libro de consideratione postremo, admiratio gradus quidam est, & introductio ad perfectam contemplationem; & ex ea tanquam ex primo anulo eiusdem catenæ varij cohærentes inuicem trahuntur affectus inferius suo ordine explicandi, quibus animus contemplantis Deo vinctus in oratione placidissiuè detinetur: ideo ad viam vnitiuam tum hic affectus, tum alij sequentes censentur pertinere. Debemus autem de admiratione hic tria explicare: primum in quo propriè consistat: deinde qua ratione circa fidei nostræ misteria eliciatur: tertio quam facilè, atque vtiliter in meditatione possit dilatari, & extendi.

S.Bern. l.5. de consideratione, ad finem.

Cur primo loco agendum de affectu admirationis.

2 Primum itaque statuendum est, non tam in intellectu, quam in affectu consistere admirationem: quamuis enim originem suam ducat ab intellectu, tamen in appetitu rationali proprie consummatur, atque perficitur. Consurgere autem solet

In quo proprie consistat admiratio.

ſolet ab intellectu admiratio tribus potiſſimum modis: primùm dum offert ſe nobis aliqua res inſolita, rara, excellens, aut ſingularis, cuius cauſam ignoramus, ideo ſuſpenſo animo in contemplatione talis effectus ad ignotam ſuam cauſam relati, per admirationem ſubſiſtimus. Secundò cum effectus huiuſmodi videmus, & cauſam aliqua ex parte non ignoramus; tamen ob eius excellentiam, & magnitudinem, illam bene comprehendere non valemus. Tertiò cum non ſolùm cauſa, noſtram excedit cognoſcendi facultatem, ſed etiam ipſe effectus in ſe: vnde in illius magnitudine tantum hæremus ſine alio diſcurſu, firma cogitatione ſuſpenſi. Hinc varij exiſtunt actus in appetitu rationali, vel etiam ſenſitiuo, quibus diuerſæ admirationis ſpecies conſtituuntur. Si enim deſiderium quod excitatur in appetitu, viſo effectu aliquo raro, & inſolito, eius cauſam inueſtigandi, habeat adiunctam ſpem talis cauſæ inueniēdæ, tunc exiſtit quædam admiratio delectabiliter inuitans ad perfectiorem effectus cognitionem, per vlteriorem cauſarum eius inueſtigationem. Qua ratione mundi ſapientes dum effectus naturæ admirabiles à cauſis occultis prouenientes intuerentur, vt eclypſes, fulgurationes, tonitrua, fulmina, fluxus Oceani, atque refluxus, in earum perueſtigatione cauſarum ætates conſumpſerunt: vnde ab admiratione philoſophiam ſumpſiſſe principium teſtatur Ariſtoteles. Si verò deſiderium illud ex cognitione rei magnæ atque inſolitæ ſit cum quadam veluti deſperatione vlterioris cauſæ inueniendæ, oritur ſpecies quædam admirationis, quæ à ſancto Ioanne Damaſceno propriè ſtupor appellatur. Hac ratione Patriarcha Iſaac vbi ſuam irreuocabilem benedictionem non Eſau primogenito, vt exiſtimabat, ſed Iacob myſterioſa deceptione contuliſſet, Eſau pro eâdem benedictione accipienda ſuperueniente: *expauit*, ait ſcriptura, *Iſaac ſtupore vehementi, vltra quam credi poteſt admirans*. Quòd ſi res inſperata nobis occurrens, grande aliquod fuerit malum; habebit admiratio coniunctam cum ſtupore triſtitiam, atque formidinem: vt cum ſe videt aliquis propè vaſtum præcipitium, aut immanem contra ſe beſtiam irruentem aduertit. Si autem magnum illud malum non iam imminere, ſed præterijſſe, & nos ab eo mirabiliter euaſiſſe deprehendimus, habet ſtupor & admiratio adiunctam non triſtitiam, vel timorem, ſed lætitiam, & conſolationem. Hinc eſt illud in Pſalmo dictum: *In conuertendo Dominus captiuitatem Syon, facti ſumus ſicut conſolati*; quod S. Hieronymus eandem rem verbis diuerſis exponendo reddidit:

Lib. primo Metaph. circa initium.

S. Dam. lib. 2. fid. cap. 15.

Gen. 27. 33.

Pſal. 125. 1.

dit: *Cum conuerteret Dominus captiuitatem Syon, facti sumus sicut somniantes:* ac si diceretur: cum primum inexpectatum nostræ liberationis à dura, & diuturna captiuitate decretũ nobis innotuit, & de concessa in patriam reuersione facultas sub Cyro Rege promulgata est, ea fuimus admiratione correpti, vt propter admixtum consolationi stuporem, vix crederemus, & non tam cernere, vel audire, quam somniare tantum bonum nobis videremur. Cui simile est, quod de Patriarcha Iacob refertur in Genesi, qui cum inexpectatum nuncium de filio suo Ioseph accepisset, eum scilicet, quem ante tot annos tanquam mortuum, & à fera bellua occisum amarè defleuerat, viuere, & in omni terra Aegyptij dominari, ex vehementi admiratione, ait scriptura, *quasi de graui somno euigilans, non credebat eis*. Denique si bonum illud inopinatum excedens præiudicatam nostram æstimationem, laudabile apparuerit, habet admiratio coniunctum affectum laudis, commendationis, & congratulationis. Atque ita de Regina Saba legimus in libris Regũ: *Videns autem omnem sapientiam Salomonis, & domum, quam ædificauerat, & cibos mensæ eius, & habita culaeruorum, & ordines ministrantium, vestesque, & pincernas, & holocausta, quæ offerebat in domo Domini, non habebat vltra spiritum. Dixitque ad Regem: Beati viri, & beati serui tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam. Sit Dominus Deus benedictus, cui complacuisti.* Gen.45.26. 3.Reg 10.4.

3 Quæ cum ita sint, vt ad secundum, quod proposuimus exponendum veniamus, omnes huiusmodi species admirationis in gradu longe sublimiori, elici poterunt, ac debebunt ex attenta consideratione rerum diuinarum, & mysteriorum nostræ fidei altissimorum, omnem humani vim ingenij, & creatæ intelligentiæ facultatem excedentium. Nam si hæc fluxa, & fugacissima bona temporalia visibilia, in talem rapiunt admirationem, ea mortalibus oculis contemplantes, vt homines sæpe reddat attonitos, & veluti dementatos; *& non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur*, ait Ecclesiastes; quid euenire par est, non oculis carnis, sed spiritus superno lumine collustratis *contemplantibus nobis*, iuxta consilium Apostoli, *non quæ videntur, sed quæ non videntur? Quæ enim videntur temporalia sunt: quæ autem non videntur æterna sunt*. De Regina Saba, quam supra commemorauimus, testatur in Euangelio Christus Dominus, fore vt condemnet in extremo vniuersali iudicio perfidos Iudæos, qui verum, non Dauidis tantum, sed

Qua ratione hic affectus eliciendus.

Eccl.1.8.

2.Cor.4.18.

ſolet ab intellectu admiratio tribus potiſſimum modis: primùm dum offert ſe nobis aliqua res inſolita, rara, excellens, aut ſingularis, cuius cauſam ignoramus, ideo ſuſpenſo animo in contemplatione talis effectus ad ignotam ſuam cauſam relati, per admirationem ſubſiſtimus. Secundò cum effectus huiuſmodi videmus, & cauſam aliqua ex parte non ignoramus; tamen ob eius excellentiam, & magnitudinem, illam bene comprehendere non valemus. Tertiò cum non ſolùm cauſa, noſtram excedit cognoſcendi facultatem, ſed etiam ipſe effectus in ſe: vnde in illius magnitudine tantum hæremus ſine alio diſcurſu, firma cogitatione ſuſpenſi. Hinc varij exiſtunt actus in appetitu rationali, vel etiam ſenſitiuo, quibus diuerſæ admirationis ſpecies conſtituuntur. Si enim deſiderium quod excitatur in appetitu, viſo effectu aliquo raro, & inſolito, eius cauſam inueſtigandi, habeat adiunctam ſpem talis cauſæ inueniēdæ, tunc exiſtit quædam admiratio delectabiliter inuitans ad perfectiorem effectus cognitionem, per vlteriorem cauſarum eius inueſtigationem. Qua ratione mundi ſapientes dum effectus naturæ admirabiles à cauſis occultis prouenientes intuerentur, vt eclypſes, fulgurationes, tonitrua, fulmina, fluxus Oceani, atque refluxus, in earum perueſtigatione cauſarum ætates conſumpſerunt: vnde ab admiratione philoſophiam ſumpſiſſe principium teſtatur Ariſtoteles. Si verò deſiderium illud ex cognitione rei magnæ atque inſolitæ ſit cum quadam veluti deſperatione vlterioris cauſæ inueniendæ, oritur ſpecies quædam admirationis, quæ à ſancto Ioanne Damaſceno propriè ſtupor appellatur. Hac ratione Patriarcha Iſaac vbi ſuam irreuocabilem benedictionem non Eſau primogenito, vt exiſtimabat, ſed Iacob myſterioſa deceptione contuliſſet, Eſau pro eàdem benedictione accipienda ſuperueniente: *expauit*, ait ſcriptura, *Iſaac ſtupore vehementi, vltra quam credi poteſt admirans*. Quòd ſi res inſperata nobis occurrens, grande aliquod fuerit malum; habebit admiratio coniunctam cum ſtupore triſtitiam, atque formidinem: vt cum ſe videt aliquis propè vaſtum præcipitium, aut immanem contra ſe beſtiam irruentem aduertit. Si autem magnum illud malum non iam imminere, ſed præterijſſe, & nos ab eo mirabiliter euaſiſſe deprehendimus, habet ſtupor & admiratio adiunctam non triſtitiam, vel timorem, ſed lætitiam, & conſolationem. Hinc eſt illud in Pſalmo dictum: *In conuertendo Dominus captiuitatem Syon, facti ſumus ſicut conſolati*; quod S. Hieronymus eandem rem verbis diuerſis exponendo reddidit:

Lib. primo Metaph. circa initium.

S. Dam. lib. 2. fid. cap. 15.

Gineſ. 27. 33.

Pſal. 125. 1.

dit: *Cum converteret Dominus captiuitatem Syon, facti sumus sicut somniantes:* ac si diceretur: cum primum inexpectatum nostræ liberationis à dura, & diuturna captiuitate decretũ nobis innotuit, & de concessa in patriam reuersione facultas sub Cyro Rege promulgata est, ea fuimus admiratione correpti, vt propter admixtum consolationi stuporem, vix crederemus, & non tam cernere, vel audire, quam somniare tantum bonum nobis videremur. Cui simile est, quod de Patriarcha Iacob refertur in Genesi, qui cum inexpectatum nuncium de filio suo Ioseph accepisset, eum scilicet, quem ante tot annos tanquam mortuum, & à fera bellua occisum amarè defleuerat, viuere, & in omni terra Aegyptij dominari, ex vehementi admiratione, ait scriptura, *quasi de graui somno euigilans, non credebat eis*. Denique si bonum illud inopinatum excedens præiudicatam nostram æstimationem, laudabile apparuerit, habet admiratio coniunctum affectum laudis, commendationis, & congratulationis. Atque ita de Regina Saba legimus in libris Regũ: *Videns autem omnem sapientiam Salomonis, & domum, quam ædificauerat, & cibos mensæ eius, & habitaculaeruorum, & ordines ministrantium, vestesque, & pincernas, & holocausta, quæ offerebat in domo Domini, non habebat vltra spiritum. Dixitque ad Regem: Beati viri, & beati serui tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam. Sit Dominus Deus benedictus, cui complacuisti.*

Gen. 45. 26.

3. Reg 10. 4.

3 Quæ cum ita sint, vt ad secundum, quod proposuimus exponendum veniamus, omnes huiusmodi species admirationis in gradu longe sublimiori, elici poterunt, ac debebunt ex attenta consideratione rerum diuinarum, & mysteriorum nostræ fidei altissimorum, omnem humani vim ingenij, & creatæ intelligentiæ facultatem excedentium. Nam si hæc fluxa, & fugacissima bona temporalia visibilia, in talem rapiunt admirationem, ea mortalibus oculis contemplantes, vt homines sæpe reddat attonitos, & veluti dementatos; *& non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur*, ait Ecclesiastes; quid euenire par est, non oculis carnis, sed spiritus superno lumine collustratis *contemplantibus nobis*, iuxta consilium Apostoli, *non quæ videntur, sed quæ non videntur? Quæ enim videntur temporalia sunt: quæ autem non videntur æterna sunt*. De Regina Saba, quam supra commemorauimus, testatur in Euangelio Christus Dominus, fore vt condemnet in extremo vniuersali iudicio perfidos Iudæos, qui verum, non Dauidis tantum, sed

Qua ratione hic affectus eliciendus.

Eccl. 1. 8.

2. Cor. 4. 18.

etiam Dei filium præsentem contemnebant; illa vero ex admiratione eorum, quæ de Salomone audierat excitata, longo itinere ad eum venire, illum agnoscere, de multis interrogare properauit. *Regina*, inquit, *Austri surget in Iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam, quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plusquam Salomon hic.* *Et quæ est ita Regina Austri*, ait Ricardus sancti Victoris, *illius calidæ regionis inhabitatrix, & Domina, videndi Salomonis desiderio succensa? nisi qualibet anima sancta, sensibus, & appetitibus carnis, cogitationibus, & affectibus mentis præsidens, & summi regis, verique Salomonis dilectione feruens, videndique desiderio ardens*; quæ, sicut auctor hic fusè prosequitur, tunc domum Salomonis ingreditur, vt eius sapientiam tẽtet in ænigmatibus, videat regiam magnificentiam, & aulæ totius ordinem, ac splendorem admiretur; cum ad orationem se confert, & opera, atque consilia diuinæ prouidentiæ contemplatur, in Ecclesiæ suæ fundatione, gubernatione, sacramentorum institutione, in humani generis per passionem, & mortem Vnigeniti filij sui admiranda redemptione. Dum enim secum anima reputat eximias virtutes, & diuinas perfectiones in singulis Christi Domini actionibus elucentes, detinetur percita stupore tam immensæ charitatis, & inconprehensibilis pietatis æterni Patris, quomodo Filium suum, vnigenitum, splendorem gloriæ, candorem lucis æternæ, consubstantialem sibi, Deum ipsum, quem infinitè, vt æquum est, diligebat, ad redimendas captiuas creaturas adeo sibi propter peccata redditas odibiles, & inimicas, flagris subdiderit mancipiorum, & præcepto subiecerit ignominiosi supplicij: secumque recogitat, quàm meritò vocet Apostolus propter hanc inæstimabilem erga nos dilectionem, *Deum diuitem in misericordia, & nimiæ charitatis, qui cum essemus mortui peccatis, viuificauit nos in Christo, vt ostenderet sæculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ, in bonitate super nos, in Christo Iesu.* Rapit etiam in admirationem tanta Dei benignitas, qua dignatus est Altissimus exinanire seipsum, formam serui accipere, nostris miserijs subijci, tentatus per omnia absque peccato. In quo *apparuit*, vt idem Apostolus, scribit, *benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam*. Erant enim ante hoc mysterium quodammodo clausa viscera misericordiæ Dei nostri, *Donec visitauit nos oriens ex alto*. Neque cessat animus admirari ignem illum

Matth. 12. 42.

Ricard. sancti Vict. lib. 1. de contempl. cap. 12.

Ad Ephes. 2. 4

Ad Heb. 4. 15

Ad Tit. 3. 4.

Lucæ 1. 78.

illum inextinguibilis charitatis, & pelagus inexhaustæ suauitatis, ex quò Spiritus sanctus Patri, & Filio consubstantialis tantùm opus exequi dignatus est, in remedium, & consolationem perditæ creaturæ. Miratur altitudinem diuini consilij in electione medij conuenientissimi pro nostræ salutis reparatione, in qua diuina claruit misericordia, nec minus iustitia, cui ad æqualitatem summo rigore fuit satisfactum, triumphatum est de inimico Dæmone, victus est potenter in infirmitate humanæ carnis, delusus est sapienter, expoliatus fortiter, qui fraudulenter nos miseros in tetram redegerat seruitutem. Miratur præterea mundi peruersitatem, quòd dilexerint homines magis tenebras, quàm lucem, quòd in Creatoris sui necem conspirauerit creatura. Miratur animæ præstantiam, & dignitatem, quam æterni Dei sapientia tantò sumptu decreuerit redimendam. Admiratur sublimitatem æternæ gloriæ electis tanto pretio comparatam. Horret ad solam memoriam peccati, eiusq. nocentissimæ fœditatis, quæ tam pretiosi sanguinis lauacro fuerit abluenda. Grauitatem exhorret cruciatuum æternorum, à quibus homines pauci tanto labore liberati sunt. Miratur denique virtutis pulchritudinem, propter quam animis nostris inserendam tanta operatus est, & quotidie operatur Deus.

Plura apud Arias de or.c. 6. & 7.

4 Quòd verò attinet ad huiusmodi affectus extendendos, ac dilatandos, quod explicare tertio loco debebamus, proderit valde aliquãdo, sinere vt excurrat cogitatio, sumpta occasione à rebus visibilibus, & earũ virtute, ac magnitudine, ad inuisibilia, & diuinã aliquã perfectionẽ melius apprehendendã, vt omnipotentiam, maiestatem, virtutis infinitatẽ. Consideret, exempli gratia, amplitudinem orbis terræ, quæ tamen à reliquis elementis, aqua, aëre, igne, latè omnia circumambiente multis partibus superatur. Quid autem tot cælorum immensa spatia? in quorum vno, quod propterea stellatum appellatur, tam multæ fixæ sunt stellæ, terræ globum toties, aliquæ plusquam centies excedentes, quamuis hinc eas nocturno tempore aspicientibus, paruæ faces esse videantur: argumentum maximæ longinquitatis euidentissimum. Quanta verò inter stellam, & stellam, & qualia interiecta sunt spatia? adeò vt astrorum omnium lucidior substantia reliquæ cælorum immensitati comparata, possit pro minima computari. Præ cæteris autem extenditur vltra omnem creatum terminum immensa moles Empyrei cæli, in qua fœlices beatorum sedes collocatæ sunt: huic tota terræ globosa magnitudo, tamquam centrum tenuissimum, & quasi pun-

Quomodo extendatur affectus admirationis.

ctum imperceptibile amplissimæ circumferentiæ comparatur. Hinc menti procliue reddetur de omnipotentia Creatoris cum vtili admiratione facere coniecturam; quippe qui nulla mora, nullo labore, nulla materia præsupposita, nullo applicatò instrumento, solo simplici verbo, & quasi ludens condidit hoc vniuersum, conseruat, & regit: possetq. si vellet efficere aliud, & aliud in infinitum illo maius, & eminentius: & rursus omnia redigere ad antiquum nihilum, eàdem, qua condidit facilitate, ac celeritate. Hac vel simili consideratione absoluta, ad idem, vnde orantis mens digressa est regrediatur, secumque fide viua disquirat, & ratiocinetur: ergo ne tanta illa maiestas, illa virtus, & omnipotentia, est hic ipse infans, qui pro me vagit, ac tremit in præsepio? tantus ille Deus est hic ipse, qui de Cruce, nudo, lacero, & vulnerato vndique corpore pendet exanguis, & exanimis? Sæpe ex huiusmodi excursionibus sequetur cordis inexpectata commotio, feruor insolitus in voluntate, lachrymæ fluent suauissimæ compassionis, ardor quidam excitabitur promptæ imitationis. Atque ita ex vno admirationis affectu alij plures trahentur, tanquam vnius eiusdemque catenæ, vt supra dicebamus, anuli pretiosi, animum meditantis, Deo perfectè deuincientes.

CAPVT SECVNDVM.

De affectu desideriorum cælestium.

Ex admiratione sequuntur cælestia desideria.

1 EX affectu vnitiuæ admirationis alius genere quidem vnus, specie tamen, & virtute multiplex excitabitur affectus, quem hic appellamus desideriorum cælestium. Si enim rerum cælestium, idest spiritualium, & æternarũ admiratio ea sit, qualis esse deberet, nõ solum mouebit ad illarum vlteriorem inuestigationem, & perfectiorem per suas causas cognitionem; sed etiam accendet desiderium eas, quantùm nobis fas est assequendi, & quamprimum adipiscendi. Propheta illuminatissimus erat Daniel, adeoque magnitudine reuelationum, & admirandarum visionum stupore interiores eius animæ facultates sæpe detinebãtur, vt corpus à vitæ functionibus destitutum aliquando videretur: *& nõ remansit*, inquit, *in me fortitudo, sed & species mea immutata est*

Daniel. 10.7.

est in me, & emarcui, nec habui quidquam virium. Inde sancta desideria in illo crescebant, & inualescebant: atque hoc nomine iterum, ac tertio laudari ab Angelo, & à Deo tandem exaudiri promeruit. *Veni*, ait illi Angelus, *vt indicarem tibi, quia vir desideriorum es*: & iterum: *Daniel vir desideriorum intellige verba, quæ ego loquor ad te*. Deinde post aliqua: *noli timere vir desideriorum, pax tibi, confortare, & esto robustus*. Ieiunauerat Daniel pluribus diebus, sacco, & cinere se afflixerat; neque propterea, sed quia vir erat desideriorum, exauditus est, vt septuaginta hebdomadæ abbreuiarentur, & vngeretur Sanctus sanctorum, idest vt Christus humani generis Saluator pro mundi redemptione citius adueniret. Beneficium, omnium beneficiorum supremum, & totius gratiæ à Deo post Adæ peccatum hominibus collatæ vniuersale principium; quod, quia cadere sub meritum, cum sit ipsum principium meriti, per se non potuit, fieret saltem vt temporis illius accelerationem, & abbreuiationem accensa huius, & aliorum prophetarum desideria mererentur. Verè enim dixit Salomon in Prouerbijs: *Desiderium suum iustis dabitur: & desiderium iustorum omne bonum est*. De his itaque tria sunt hìc nobis exponenda, primùm, quæ nam sint hæc desideria cælestia. Secundò qualia concipi debeant inter meditandum. Tertiò, quanti sint momenti ad spiritualem perfectionem obtinendam.

Dan. 9. 23. Dan. 10. 10. Dan. 10. 19. Prou. 10. 24. Prou. 11. 23.

2 Vt ergo à primo ordiamur, & quæ sint hæc desideria videamus, antea statuendum est, quid sit desiderium; est autem motus quidam immanens nostri cordis in bonum, quo caret, & vellet habere. Vnde à S. Augustino definitur desiderium, concupiscentia rerum absentium, siue amor inhians habere, quod amatur. Quare semper supponit illius boni, quod appetitur, aliquam priuationem: & quò melius hæc priuatio apprehenditur, eo maius solet excitari desiderium. Nam qui longè à termino, ad quem tendit, se esse cognoscit, ad illum tantò magis vrget seipsum, atque festinat: qui verò se iam metam arbitratur attigisse, ad eam amplius se non promouet. Ideo de se dicebat Apostolus: *Ego me non arbitror comprehendisse; & non quòd iam acceperim, aut iam perfectus sim, sequor autem, si quo modo comprehendam*. Circa quæ verba S. Ioann. Chrysostomus. *Qui*, inquit, *se iam perfectum esse, & nihil ad virtutis assecutionem deesse sibi putat, à cursu cessabit tamquam totum iam assecutus: qui verò se metam nondum attigisse putat, numquam à cursu desistet*. *Et hoc nobis semper reputandum est, etiamsi in-*

Quæ sint hæc cælestia desideria. S. Aug. in Ps. 118. enar. 8. & lib. 14. de Ciu. c. 17. Ad Phil. 3. 13. S. Chrys. hom. 12. in epist. ad Philip.

numera bona executi fuerimus. Si enim Paulus post mille mortes, post tanta pericula istud est arbitratus de se, multo magis nos. At sæpe solet euenire contrarium, vt homo non quantum sibi desit; sed quantum spatij iam confecerit, & quantum habeat in bonis, si tamen habet, & non potius habere sibi falso videatur, vana mentis persuasione reuoluat; sicut ille, cui di-

Apoc.3.17. ctum est in Apocalypsi: *Quia dicis, quòd diues sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus*. Hinc illa in itinere perfectionis periculosa lassitudo, & damnosa remissio, ille bonorum desideriorum torpor, & languor, illa tepiditas, quæ vt ibidem in Apocalypsi dicitur, ipsi Deo mouere vomitum consueuit. Con-

Apoc.3.16. tra verò, quia donorum cælestium ea est conditio, vt quò plura animæ sanctificatæ à Deo infunduntur, eò reddant illam humiliorem, illuminatiorem, & similium donorum capaciorem: ideo quanto magis in heroicis Christianæ perfectionis virtutibus anima proficit; tanto magis, qua ex parte deficiat in se ipsa diligentius examinat, & acutius discernit. Magnus erat apud Deum Propheta Ieremias adhuc ab vtero matris sanctificatus, & tamen de se in suis lamentationibus conquerebatur, dicens:

Ier.thren.3.1. *ego vir videns paupertatem meam*. Magnus gentium prædicator Apostolus Paulus, quàm tamen demissè, & humiliter de se ipso

1. Ad Tim.1. 15. sentiret, exponit in prima ad Timotheum, cum scribit: *Christus Dominus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorũ primus ego sum: sed ideo misericordiã consecutus sum, vt in me primo ostenderet Christus Iesus omnem patientiam*, quam magis declarat ibi, cum addit, *qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus*. Et in prima epistola ad Corinthios

1.Cor.15.18. vocat se abortiuum, & minimum Apostolorum, *qui non sum dignus*, inquit, *vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei*. Erat S. Bernardus suo tempore tum admirabili vitæ sanctimonia, tum doctrina singulari, tum miraculorum multitudine, & magnitudine celeberrimus, & tamen in vna sua epistola ad quosdam religiosos, vbi scripsisset se illos tanquam sanctos suspicere, eorum orationibus ita se commendat. *Cla-*

S.Ber.ep.249. ad Bernardũ priorem, & alios. *mat ad vos mea monstruosa vita, mea ærumnosa conscientia. Ego enim quædam chymera mei sæculi, nec clericum gero, nec laicum; nam monachi iamdudum exui conuersationem, non habitum. Nolo scribere de me, quod vos per alios audiuisse existimo, quid actitem, quid studeam, per quæ discrimina verser in mundo, immo per quæ iacter præcipitia. Precor*, &c. De sancto

Fran-

Francisco legimus, talem habuisse B. Ruffinum eius socium aliquando visionem. Ostendebatur illi in cælo inter altiores Angelorum choros thronus vacuus sublimissimus, pretiosis lapidibus, & fulgentissimis vndique gemmis exornatus, id cum ipse plenus admiratione suspiceret, cupiebat intelligere, cui nam esset destinatum solium tam sublime, & speciosum; & responsum diuinitus accepit: ex eo propter superbiam esse deiectum in infernum vnum ex præcipuis angelicis spiritibus de ordine Seraphinorum, nunc autem humillimo Francisco esse reseruatum. Hac transacta visione B. Ruffinus magno tenebatur desiderio cognoscendi, in quo hæc tanta humilitas S. Francisci consisteret. Itaque solita confidentia, & simplicitate ab eo postulauit, quid nam ipse de se, suisque apud Deum meritis verè sentiret. Cui tale statim S. Franciscus responsum reddidit: ego in veritate teneo, & reputo me peccatorem omnium, qui sunt in mundo, maximum, & neminem esse, qui tam male Deo seruiat, sicut ego. Et vt ostenderet id ex corde se affirmare, addebat huius, vt ipse appellabat veritatis, talem rationem: Quia si quemcumque scelestissimum latronem Deus tanta misericordia præuenisset, tot auxilijs, & gratijs iuuisset, quot ego adiutus sum, certò mihi persuadeo futurum illum fuisse Deo gratiorem, & in eius obsequio multò, quam ego sim, diligentiorem, ac feruentiorem: contra vero, si me Deus gratia, & misericordia sua destitutum relinqueret, plura, & grauiora, quàm vllus mortalium peccata committerem. De S. Eleazaro Comite refert Surius in eius vita: cum tantæ esset innocentiæ, & probitatis, vt nunquam aliquod mortale peccatum admiserit, & perpetuam virginitatem etiam in statu matrimonij de consensu vxoris, paris nobilitatis, & pietatis conseruauerit: tamen affirmabat, & coram Deo ita sentiebat, se mille infernis esse dignum, eo quòd abyssum quandam enormium peccatorum ante oculos mentis sibi proponebat, in quam pridem sine dubio cecidisset, nisi diuina misericordia, cuius agnoscebat se indignissimum, adiutus fuisset. Adeo erant piè ingeniosi viri sancti in peruestigandis rationibus proprij contemptus, ac despicientiæ. Quia verò despicientiam hanc, & suimet contemptum ortum ex profunda notitia propriæ deficientiæ, coniunctum ipsi habebant cum altissima æstimatione magnæ Dei liberalitatis, & munificentiæ, qui, sicut ait Apostolus, *potens est omnia facere superabundanter, quàm petimus, aut intelligimus:* ideo ardebant semper in ara cordis interius eorum accensa in Deum desideria,

Chron. sancti Franc. p. par. l. 1. c. 68.

S. Bon. in vita S. Franc. c. 6.

Sur. in Sept. die 27.

Ad Eph. 3. 20

ria, & multiplicata precum viciſſitudine ad cælum acceptabile tot piorum votorum ſacrificium perpetuo aſcendebat.

Qualia ſint excitanda in meditatione deſideria.

3 Hinc ad intelligendum ſecundum, quod exponere propoſuimus facile deducemur: qualia videlicet in ſanctis fuerint, & eſſe in nobis debeant huiuſmodi cæleſtia deſideria; nimirum ardentiſſima, rectiſſima, & eleuatiſſima. Ardentiſſima debere eſſe docuit nos exemplo ſuo Propheta regius in Pſalmo, cuius eſt initium: *Quemadmodum deſiderat Ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Addit præterea ſe ad accenſum hoc deſiderium, & ardentem adeo ſitim leniendam vnicum refrigerium habuiſſe, diuturnam, & nocturnam lachrymarum profuſionem: *fuerunt mihi lacbrymæ meæ panes die, ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus? Quod ſi is, qui talia de ſe refert*, ait ſanctus Io: Chryſoſtomus; *eſſet priuatus aliquis, humiliſque, & abiectus, & viuens in paupertate, magnum quidem eſſet vel ſic vitam præſentem contemnere, ſed non eſſet adeo magnum, vt nunc eſt. Vt qui Rex eſt, & tantis fruitur delicijs, tantæque eſt gloriæ particeps, & eſt innumerabiles victorias conſecutus, multaque bella vicit, & eſt omni ex parte clarus, inſignis, & illuſtris, hæc quidem omnia irrideat, diuitias, & gloriam, & omnes delitias: ad futura autem aſpiret, ac inhiet; hoc eſt magni cuiuſdam, & excelſi animi: hoc eſt animæ, quæ ſtudio tenetur ſapientiæ, cæleſtique amore verè capta eſt.* Plures autem ob cauſas ceruorum ſiti ardens ſui cordis deſiderium Propheta Dauid comparabat, vt ſancti Chryſoſtomus & Auguſtinus, in illum Pſalmum adnotarunt: primum quia ceruus eſt animal natura ſua ſitibundum, & magnæ in curſu velocitatis, ideo frequenter ad fontes recurrit, ad quos etiam remotiſſimos inſtinctu naturæ, & vrgenti ſiti, ea fertur celeritate, vt neque pratorum viridantium amœnitate, neque viarum difficultate, neque itineris longinquitate quidquam detineatur, vel à ſuo curſu retardetur. Deinde augetur in ceruo hæc ſitis, quia ſæpe exagitatus à venatoribus, vt ſe ad locum ſecuriorem recipiat pro vnico refugio, incitatiſſimo curſu feſtinat ad montes: vnde etiam in alio Pſalmo dicitur: *montes excelſi ceruis*, nempe ad refugium, ſicut *petra*, ibi dicitur, *refugium Erinaceis*. Ferunt præterea, qui ſcribant hiſtorias animalium, ceruos eſſe inimiciſſimos ſerpentibus, eoſque à cauernis, & foueis ſubterraneis odoratu venari, tum inde violenter extractos necare, ſicut ab ijs ipſis, qui viderunt

Pſal. 41. 1.

Pſal. 41. 2.

S. Io. Chryſoſt. & S. Aug. in Pſal. 41.

Pſal. 103. 18.

fide

fide dignissimis relatum intellexi. Nec solum serpentes ceruus interimit, sed etiam vorat, ijsque deuoratis, nisi pro medicina præsentissima, quamprimùm festinet ad aquas, de vita periclitatur: si verò large potauerit, ita releuatur, vt aduentantem senectutem arcere tali antidoto dicatur; quin etiam onere illo ramosorum cornium sensim decidentium dicunt ea ratione liberari. Quæ omnia animæ Deum ardenter amanti, & ad perennis vitæ fontem anhelanti mystica ratione conuenientissimè tribuuntur. In primis enim tales nulla terrena fœlicitate, nulla mundi aduersitate impediuntur, quominus ad Deum toto corde ac viribus ferantur: deinde cum varijs tribulationibus diuexantur, & malorũ dæmonum tentationibus impugnantur, ad montẽ orationis, & contemplationis se conferunt, ibi Deo dicentes cum Isaia: *Domine sustinuimus te: nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ. Anima mea desiderauit te in nocte, sed & spiritu meo in præcordijs meis, de mane vigilabo ad te*: Isai. 26. 8. Serpentes verò, cum quibus est nobis assiduè præliandum, vitia nostra sunt, & noxiæ omnes cupiditates. *Consumme*, inquit sanctus Augustinus, *serpentes iniquitatis, tunc amplius desiderabis fontem veritatis*. S. August. in Psal. 41. Atque ita demnm reddentur desideria nostra ardentissima. Rectissima verò tunc erunt, quando propter creaturas nihil planè declinauerint ab amore, ac dilectione Creatoris. *Minus enim te amat*, dicebat Deo S. Augustinus, *qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. O amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris charitas Deus meus accende me*. S. Aug. lib. 10. confess. c. 29. Sic accendebatur affectus animæ illius, cuius in altum eleuebantur purgantissima desideria: *sicut virgula fumi ex aromatibus mirrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij*. Cant. 3. 6. *Virgula fumi*, propter rectitudinem subtiliter examinatæ intentionis, etiam in rebus exiguis, & tenuissimis: *ex aromatibus myrrhæ, & thuris*: idest odoriferæ coram Deo mortificationis, & suauissimè olentis deuotionis: *& vniuersi pulueris pigmentarij*, virtutum scilicet reliquarum. Proprium est enim animæ diuino amore succensæ, nunc vnam optare, & à Deo postulare virtutem, nunc alteram, nunc plures simul, nunc etiam vniuersas. *Et quemadmodum virgula fumi*, inquit Hugo Victorinus, *quãtò magis sursum attollitur, tantò amplius extenuatur, ita cælestibus appropinquans, & omnem terrenæ concupiscentiæ nebulam euaporans, totus spiritualis efficitur*. Hugo S. Vict. lib. 3. de arca mor. c. 7. Atque ita demum tertiam quam supra posuimus, habebunt sancta desideria perfectionem, vt non solum sint ardentissima, & rectissima, sed etiam eleuatissima,

ſima,& ſublimiſsima; quapropter in benedictionibus duodecim Patriarcharũ legimus appellata, deſideria colliũ æternorũ. Sunt enim, qui colles, ſed non æternos, alij magis valles deſiderant, aut etiam ſempiterna præcipitia: colles appetunt non æternos, qui Mundi honoribus inhiant, & dignitatibus temporalibus; valles, qui de ſuo quotidiano profectu aſcenſuq. virtutum minimè ſunt ſolliciti; & dum culpas quaſcumque facilè admittunt; quid niſi æterna videntur appetere præcipitia?

Gen.49.26.

Quãti ſint momenti hæc cœleſtia deſideria.

4 Tertiùm iam ſupereſt oſtendendum, quanti momenti ſint huiuſmodi ſancta deſideria frequentia, & ardentia ad vitam verè ſpiritualem iam inſtitutam magis quotidie perficiendam. Id autem nobis conſtabit, ſi benè conſiderauerimus, quam in ſe vim habeant humani cordis deſideria: deinde quid in nobis ipſis operentur: tertio quantùm pro nobis valeant apud Deum. Primùm enim humana deſideria vel mala ſunt, vel bona in ſe ipſis: ſi mala, ſine dubio omnium planè malorum infœliciſſima ſunt ſemina, & radices. Vnde Apoſtolus: *Radix*, inquit, *omnium malorum eſt cupiditas*; & quamuis ibi de argenti cupiditate in ſpecie loqueretur, iuxta græci vocabuli, quod vſurpauit, proprietatem, ideſt de inordinato deſiderio diuitiarum, vnde, inquit, *qui volunt diuities fieri incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem*: tamen hinc licet inferre, ſi eſt tam fertilis malorum, radix vnius peruerſæ cupiditatis, quid erit, ſi accedant alia mala in omni genere deſideria? Contra verò nullum eſt bonum, quod à bonis iuſtorum deſiderijs non oriatur: hoc eſt enim, quod à Salomone in Prouerbijs ſignificabatur, cum diceret: *Deſiderium iuſtorum omne bonum eſt*. Nam quemadmodum modicum ſemen tota arbor eſt in virtute: ibi enim truncus latitat, ibi rami, frondes, fructuſque, & omnia, tanquam effectus in ſua quadam cauſa continentur: ita in bona iuſti hominis voluntate à caſti conſilij ſeminatore Deo proſeminata, reliqua inſunt omnia, quæ bene, & iuſte poſtea eàdem adiuuante diuina gratia perficientur. Quapropter hominem bene, vel male operantem arbori bonæ, vel malæ Chriſtus Dominus in Euangeljo comparauit, cum dixit: *non poteſt arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere*. Id vt magis aliqui explicarent, conſiderarunt, quod à ſapientibus dictum eſt, videri hominem arborem eſſe inuerſam, cuius rami deorſum vergunt, nempe manus, & pedes; truncus vero, & radices, caput videlicet,

1. Ad Tim.6.10.

φιλαργυρία amor argenti.

Prou. 11.23.

Matth.7.18.

atque

atque capilli, quibus cogitationes, & desideria significãtur, sunt sursum: vt ex hoc intelligeremus à cælo, non à terra per sanctas cogitationes, & pios nostri cordis affectus, succum, & vigorem bonarum omnium operationum esse trahendum. Eâdem quoque ratione, diuina prouidentia sensus animi speculatores, præsertim oculos, vnde potissimùm fomenta, & incentiua cupiditatum interius aduehuntur, ita in capite collocauit, vt cæteris animantibus prono corpore terram spectantibus, & ad pastum semper abiectis, hominem quasi porrecta manu à terra excitatum, & erectum, spectatorem esse voluerit supernarum rerum, atque cælestium. *Omnium animalium corpora,* inquit S. Augustinus, *siue quæ in aquis, siue quæ in terra viuunt, siue quæ in aëre volitant, inclinata sunt ad terram, & non sunt erecta, sicut hominis corpus. Quo significatur, etiam animum nostrum in superna, idest in æterna, & spiritualia crectum esse debere. Quid autem indecentius,* ait S. Bernardus, *quàm curuum recto corpore gerere animùm. Peruersa res est, & fœda luteum vas, quod est corpus de terra, oculos habere sursum, cælos libere suspicere, cælorumque luminaribus oblectare aspectus: spiritualem verò, cælestemq. creaturam suos è contrario oculos, idest internos sensus, atque affectus trahere in terram deorsum, & quæ debuit nutriri in croceis, hærere in luto.* Quantam præterea in vtramque partem vim habeant bona, & mala hominum desideria, licet in omni genere statu, conditione personarum quotidie obseruare. Quid enim non agunt, quid non patiuntur auari cupiditate diuitiarum? mercedis, & lucri opifices, & mercatores? quid non tentant, non audent, non aggrediuntur cupidine voluptatis homines voluptuosi? quid periculorum, atque discriminum non tolerat miles? quid miseriarum, diuturna, & sæpius fallaci expectatione non dissimulat aulicus ambitiosus? Sed quanto maiori accenderentur hi omnes desiderio, & quali arderent cupidine talium bonorum, si quemadmodum apud Deum, pro opere habentur desideria, ita apud ipsos voluntas posset esse pro facto? Si nimirũ posset auarus arcas, & marsupia nummis sibi replere solo desiderio pecuniarũ; si posset ambitiosus sola interna cordis ambitione cõsequi optatũ honoris gradũ, & dignitatem ex prõpta voluntate, sicut in gradibus gratiæ, & spiritualibus diuitijs re ipsa consequimur apud Deum. Si enim Christi Domini testimonio, *qui viderit mulierẽ ad concupiscẽdum eam, iam mœchatus est in corde suo,* quomodo non magis bona desideria apud benignissimum Deum, & multo magis ad præmiandum,

Cic. lib. 2. de nat. Deorum
Lactant. lib. 2. de orig. err. cap. 1.
S. Aug. l. 1. de gen. ad lit. cap. 17.
S. Ber. ser. 24. in cant.
Matth. 5. 28.

quam

quàm ad puniendum propensum, pro bonis ipsis operibus habebuntur? & non solum habebuntur, sed etiam id ipsum, quod expetunt, obtinebunt. Sunt enim illa certa diuina oracula, &
Prou. 10. 24. infallibiles pollicitationes: *Desiderium suum iustis dabitur*. Et
Psal. 77. 30. *Desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati à desiderio suo.*
Psal. 106. 9. *Esurientes impleuit bonis: Et animam esurientem satiauit bo-*
Luca. 1. 53. *nis:* denique: *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam*
Matth. 5. 6. *ipsi saturabuntur*.

CAPVT TERTIVM.

De affectu perfectæ dilectionis Dei, & sex gradibus illius.

1 EST hic affectus omnium, quos hactenus exposuimus præcipuus, & aliorum veluti finis, apex, & consummatio christianæ perfectionis: *finis enim præcepti charitas*, ait Apostolus. Aliæ siquidem virtutes omnes aut circa proximum nos bene disponunt vt iustitia; aut ea, quæ nostra, & in nobis sunt ordinant, vt pleræque virtutes morales: aut respiciunt, quæ Dei sunt, vt religio: aut ordinat nos quidem ad Deum ipsum, sed iuxtà aliquod tantummodo eius attributum, siue peculiarem perfectionem: vt fidei virtus ad credendum diuinæ auctoritati aliquid reuelanti, spes ad fidendum eius auxilio, atque promissis: charitate verò, ac Dei dilectione in totum Deum ferimur, secundum omnes eius perfectiones per omnia & propter illa omnia diligendũ. Vnde maximè omniũ hæc virtus Deo nos vnit, tamquam vltimo fini, & summo bono, per affectum à nobis habito, & in nobis manente, iuxta id quod à S. Ioanne dicitur: *qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*. Cum tamen fides sit de non visis, & de non habitis spes. Atque hinc est, quod primùm, & maximum mandatum tam in noua, quàm in veteri lege hoc dilectionis præceptum appellatur. De quo in Euangelio S. Matthæi

1. Ad Tim. 1. 5.
Dei dilectio, est omniũ piorum affectuũ finis, & perfectio.
S. Thom. 2. 2. q. 23. art 6. & 1. 2. q. 66. art. 6.
1. Ioan. 4. 16.

Matt. 22. 37. sic habetur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex*
Luca. 10. 27. *tota anima tua, & ex tota mente tua:* Additur in S. Luca, *& ex*
Marc 12. 30. *omnibus viribus tuis;* & in S. Marco: *ex tota virtute tua:* in
Deut. 6. 5. Deuteronomio vero: *ex tota fortitudine tua*. Vnde sex gradus
Isai. 6. 2.

dile-

dilectionis licebit distinguere, illis sex alis Seraphin quodammodo respondentes, quibus supremi spiritus, vt est apud Isaiam, ante Dei solium volitabant, & ad illius throni celsitudinem clamantes sanctus, sanctus, appropinquabant. *Isai.6.2.*

2 Antequam autem ad singulos gradus explicandos veniamus, occurrit vnum in primis obseruatione dignum: tantam videlicet huius præcepti esse magnitudinem, & perfectionem, vt ex toto adimpleri, quamdiu sumus in hac mortali vita, & corpore constamus infirmo, & corruptibili, omnino non possit. *Nam cùm est aliquid*, inquit S. Augustinus, *carnalis concupiscentiæ, quod continendo frænetur, non omni modo ex tota anima diligitur Deus*, & S. Bernardus in eamdem sententiam scribens: *ego puto*, inquit, *non ante sanè perfectè impletum iri: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua, quousque ipsum cor cogitare iam non cogatur de corpore, & anima eidem in hoc statu, viuificando, & sensificando intendere desinat, & virtus eiusdem releuata molestijs, in Dei potentia roboretur*. Neque hinc propterea licebit inferre, sicut insanientes hæretici nostri temporis malè intulerunt: rem planè impossibilem huiusmodi mandato hominibus à Deo fuisse præceptam. Nam quemadmodum si Dux exercitus, vt Angelici doctoris in hac materia vtamur similitudine, militibus præcipiat strenuè pugnare, & obtinere victoriam, illi non poterũt dici impositi præcepti trãsgressores, quamdiu nihil cõmittant contra disciplinam militarem, sed pugnare pro viribus pergant, etiam si in acie ante adeptam victoriam, quæ finis erat præcepti, moriantur; ita cum aliud sit, quod hoc præcepto dilectionis iubetur, nempe, vt Deus super omnia diligatur, aliud, quod magis spectat ad præcepti consummationem, ac finem, vt homo totaliter Deo vniatur; satis pro hac vita facere huic obligationi iudicabitur, qui plena mandatorum obseruatione, nihil Deo anteposuisse peccando inueniatur: etiamsi illi per amorem non ita inhæserit, sicut fiet in cælestri patria, quando Beati *inebriabuntur ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis illius potabuntur: & erit Deus omnia in omnibus*. Est & alia ad idem satis accommodata similitudo Regis alicuius, qui seruum suum à longinqua regione aduocaret, mandans, vt quamprimum itineri se committat, eius cõspectui se præsentet, ei assistat, & familiari obsequio deseruiat. Neque enim præcepto huiusmodi obligaretur, hæc omnia statim, & in remota illa regione adimplere, quod fieri non potest, sed tantum viæ se dare

Præceptũ dilectionis quatenus obliget in hac vita.

S. Aug. lib. de perfectione iustitiæ resp. 16.
S. Bern. lib. de diligẽdo Deo.

S. Thom. 2.2. q.44. art.6.

Psal.35.9.
1. Cor.15.28.

non

non recedere, sed appropinquare. Vnde quæstionem hanc pertractans S. Augustinus in libro de perfectioue iustitiæ. *Cur ergo* inquit, *non præciperetur homini ista perfectio, quamuis eam in hac vita nemo habeat? Non enim rectè curritur, si quò currendum est nesciatur. Quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? Sic ergo curramus, vt comprehendamus; omnes enim, qui rectè currunt comprehendunt: non sicut in agone theatrico omnes quidem currunt, sed vnus accipit palmam. Curramus credendo, sperando, desiderando, curramus corpus castigando, & eleemosynas in dandis bonis, malisq. ignoscendis hilariter, & ex corde faciendo, & currentium vires, vt adiuuentur orando: & sic audiamus præcepta perfectionis, ne currere negligamus ad plenitudinem charitatis*. Hæc S. Augustinus. Iam ergo hanc plenitudinem charitatis, ad quam aspirare debemus per sex suos gradus exponamus, duo in singulis explicando, primùm, in quo consistat, deinde quod nam præcipuè motiuum ad illum gradum habeamus.

S. Aug. lib. de perfectione iustitiæ resp. 16.

Primus gradus huius dilectionis est, Deum diligere toto corde.

3 Primus itaque diuinæ dilectionis gradus illis verbis continetur: *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo:* per cor solere intelligi voluntatem in diuinis scripturis, nemo vel mediocriter in illis versatus ignorat. Nam quemadmodum cor initium est motus, & fons vitæ animalis, ac sensualis, ita voluntas est initium vitæ rationalis, & spiritualis: vt propterea moneat Salomon: *omni custodia custodi cor tuum, quoniam ab ipso vita procedit*. Quod non pro pugna, vel duello corporali dictum, est accipiendum; sed pro bello inuisibili, & militia spirituali: ad quam discipulos suos instruens Christus dominus, contra inutiles pharisaicas obseruationes: *non intelligitis*, ait, *quia omne extrinsecus introiens in hominem non potest eum communicare, quia non intrat in cor eius?* Ac si dixisset: non potest hominem quidquam contaminare, nec animam vllatenus vulnerare, nisi culpa penetrans vsque ad sensum, & consensum liberæ voluntatis. Quare non solum potentia ipsa voluntatis cordis nomine in sacris scripturis significatur, verùm etiam actus, & maximè præcipuus, qui specialiter intentio nominatur, iuxta quam, Beatos Dauid pronunciauit, *qui in toto corde exquirunt Deum*; seque ita fecisse in eodem Psalmo profitetur: *in toto corde meo exquisiui te, ne repellas me à mandatis tuis*. Idem igitur erit dicere, Deum toto corde diligendum, ac tota voluntatis intentione quærendum, tanquam finem nostrum vltimum, & summum bonum, omnia ad eum finem ordi-

Prou. 4. 23.

Mar. 7. 19.

Psal. 118. 2.

Psal. 118. 10.

ordinata charitate referendo, & nihil præter illum finem inordinatè admittendo, quod esset delinquere venialiter; & multo minus contra eumdem finem aliquid committendo, quod esset peccare mortaliter, & inordinatio multo maior, nostram cum Deo dissoluens amicitiam, ac destruens charitatem. Quamuis autem, vt supra dicebamus, in hac mortali vita semper in actu dilectionis Dei esse absorptos nobis non concedatur, id enim beneficium est, & simul præmium beatarum mentium in cælo, quibus nos assimilare, non æquare in Oratione dominica postulamus, cum dicimus: *fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra:* *Math.6. 10.*
illud tamen procurare possumus, & debemus, vt habitu dilectionis Dei, virtuteque charitatis in anima perseuerante, plurima propter Deum iterata intentione, nihil verò contra eius beneplacitum operemur. Si enim auarus, qui totum cor suum ponit in pecuniis, quidquid agit, aut agere prætermittit ex intentione sui thesauri operatur, siue mutuo det, siue dare recuset, siue emat, siue diuendat, siue in negotio versetur, siue in otio conquiescat, vt redeat aptior ad negotium; & vbi lucri non datur occasio iacturas timet, ac diligentissimè omnia rei familiaris præcauet detrimenta: quomodo, qui non in modica terra, sed in amplitudine cælorum, in vero, summo, interminato bono, bono omnis boni thesaurum suum collocauit, non habebit ibi totum cor suum? eoque renouatis sæpissime intentionibus, omnia referre curabit, siue facta, siue dicta, siue etiam cogitata? Quòd si non assequatur, sicut assequi per omnia reuera in hac vita non potest, ad eam saltem aspiret, aut certe suspiret, animi contentionem; vt & in opere, & in corde præter hanc intentionem admittat quotidie pauciora, nec ab illa vnquam cum aliqua diuinorum mandatorum transgressione deflectat. Sic enim anima iusti in hoc saltem primo dilectionis gradu constituetur, toties à Christo Domino, & tam efficacibus verbis in postrema nocte suæ sacratissimæ passionis commendato: cum diceret: *Manete in dilectione mea. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea. Et si diligitis me, mandata mea seruate. Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me. Et qui non diligit me, sermones meos non seruat.* *Ioann.15.10. Ioann.14.15. 21.24.*
Huiusmodi autem dilectio poterit in suo gradu bene dici perfecta, cum de illa S. Ioannes in sua prima epistola sic loquatur: *qui autem seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est.* *1. Ioann.2.5.*
Neque propterea quisquam existimet, cùm nihil magis spontaneum esse debeat amore, ac dilectione, impediri

hanc perfectionem in actu dilectionis tam magni necessitate præcepti. Non est enim hoc mandatum diligendi Deum ex toto corde tam impositum nobis, quam expositum; nec tam illatum, quàm ex Dei insita amabilitate spontè inductum, & innatum. Spontaneum iuxta morales philosophos illud dicitur, quod non fit violenter externa vi compellente, sed ex impetu interno, & propensione suauiter alliciente, qua ratione dicimus sponte ceruum ad fontem currere, & puerum ad matrem festinare. Quid autem suauius potest allicere ad se diligendum, quam summum bonum, summè amabile, summè desiderabile? Quod non propterea amari vult, aut amari se præcipit, vt aliquid inde à nobis accipiat, sed vt donet se totum nobis. *Hei mihi,* dicebat S. Augustinus cum Deo hac de re loquens, *dic mihi per miserationes tuas Domine Deus meus, quid sis mihi? quid mihi es? miserere, vt loquar. Quid tibi sum ipse, vt amari te iubeas à me, & nisi faciam irascaris mihi, & mineris ingentes miserias? Parua ne ipsa est miseria, si non amem te?* Tria dicit esse S. Ioannes Chrysostomus, quæ amorem maxime conciliant; alterius in nos gratuita beneuolentia, beneficientia, & pulchritudo. Quis enim illum non redamabit, à quo etiamsi nullum acceperit beneficium, tamen sincera charitate ardenter se amari certò nouit, & semper in illius corde, & cogitatione se versari? Quod si plura, & magna ab eodem habeat beneficia, quibus etiam feræ belluæ mitescunt, & mansuescunt, quis ad beneuolentiam saltem rependendam adeo beneuolo benefactori non prouocabitur? Pulchritudo vero sine alijs, vel beneficijs, vel beneuolentiæ argumentis extorquet dilectionem. Quod si hæc tria simul conuenisse in aliquo reperiantur, & quidem in gradu eminentissimo, qualia solùm in Deo inueniuntur, quas non deberet amoris flammas, & interiora nostri spiritus incendia excitare? Ipse in charitate perpetua dilexit nos: *ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*, quæcumque habuimus, habemus, & habere, ac sperare possumus bona: cuius pulchritudo non est illa quidem oculis subiecta mortalibus, neque corporeis sensibus perceptibilis; attamen in sua natura, illuminata mentis acie perspecta ipsa est, non alia vera fœlicitas, & sola electorum æterna beatitudo. *An vero*, inquit S. Augustinus, *habent corporis sensus voluptates suas, & animus deseritur voluptatibus suis? Si animus non habet voluptates suas, vnde dicitur: filij hominum sub tegmine alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam*

Arist. 3. ethic. cap. 2.

S. Aug. lib. 1. confess. c. 5.

S.Chrysost. in Psal. 41.

Ierem. 31. 3.
Ad Rom. 11. 26.

S. Aug. tract. 26. in Ioann.

Psal. 35. 8. 9.

apud

apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. *Da amantem, & sentit quod dico, da desiderantem, da esurientem, da in ista solitudine peregrinantem, atque sitientem, & fontem æternæ patriæ suspirantem, da talem, & scit quid dicam: si autem frigido loquor, nescit quid dicam.* Atque hic est primus diuinæ dilectionis gradus, quem non solum ictu modico nostri cordis attingere par est; sed etiam si corda omnium filiorum hominum, & omnes cælestium spirituum voluntates in vnum redactas singuli haberemus, pleno impetu assequi, & consequi optare deberemus.

4 Secundus verò dilectionis gradus illis verbis significatur: *diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua:* hunc antequam explicemus, obseruare oportet, aliquorum esse opinionẽ, diuinum hoc præceptum, tot modis in varijs scripturæ locis nobis expressum non necessariò tanta subtilitate esse distinguẽdum: cum eò tandem spectare, quæ pro illo dicuntur, omnia videantur, vt nihil Deo anteponamus, vel adæquemus, sed eum quantùm possumus supra omnia, plusquam omnia, & ante omnia diligamus. Idque videtur S. Augustinus in libro primo de doctrina christiana significasse, vbi dixit: *Cum audis toto corde, tota anima, tota mente Deum esse diligendum, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, vt alia re velit frui, sed quidquid aliud diligendum venerit in animum illuc rapiatur, quò totius dilectionis impetus currit.* Quare non negamus in primo gradu iam exposito dilectionis, quinque alios mox exponendos esse implicitos, & virtute contentos. Quia tamen nullum esse potest in diuina scriptura verbum superuacaneum, aut otiosum; sicut vbi tantum audiuimus Deum ex toto corde diligendum, nondum expresse intelligimus, quomodo ex tota anima diligatur; ita fieri bene potest, vt toto corde, idest toto impetu nostræ voluntatis, intentione rectissima in Deum, tamquam in finem vltimum feramur, & ad illum omnia implicitè referamus; nondum tamen de vita, & sanguine pro eius amore fundẽdo expresè, siue explicitè cogitemus. Erit igitur hic secundus perfectior amoris gradus, quo suademur ex tota anima Deum diligere, nimirum ex quadam vehementia diuini amoris sæpius expresse de vita pro Dei gloria, pro fidei propagatione, pro salute animarum effundenda, magno cum affectu, & desiderio cogitare. Et quidem per animam sæpissimè in diuinis scripturis vitam esse significatam, manifesta res est. Quare S. Paulus, qui hunc dilectionis gradum perfectè fuerat assecutus,

Secundus gradus dilectionis Dei est, illum diligere ex tota anima.

S. Aug. lib. 1. de doctr. christiana c. 22.

Act.20.24. cutus, cum Ierosolymam ad magna vitæ discrimina proficisceretur: *nihil*, inquit, *horum vereor, nec facio animam meam*, idest vitam meam, *pretiosiorem, quàm me, dummodo consummem cursum meum, & ministerium verbi, quod accepi à Domino Iesu, testificari Euangelium gratiæ Dei*. Et quia ne tot, & tam euidentibus periculis se exponeret, à fratribus pia compassione detinebatur: *Quid*, inquit, *facitis flentes, & affligentes cor meum? ego enim non solum alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu*. Quid etiam de gradu isto dilectionis in suo corde sẽtiret, & experiretur insignis Christi Martyr, & amator feruentissimus Ignatius in quadam sua epistola ad Romanos, ex parte à S.Hieronymo relata, significauit, inter alia sic scribens: *Vtinã fruar bestijs, quæ mihi sunt præparatæ: quas & oro mihi veloces esse ad interitũ, & ad supplicia, & allici ad comedendum me, ne sicut aliorum martyrũ, non audeãt corpus attingere*. Cumque iam damnatus esset ad bestias, & rugiẽtes audiret leones, ardore patiendi, ait, *frumẽtum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar*. Atque ex hoc vehementi moriendi pro Christo desiderio infert, se iam incipere verum eius esse discipulum; cuius est illa lectio in Euangelio ab admodum paucis benè percepta: *Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*. *Magna*, inquit S.Augustinus, *& mira sententia, quemadmodum sit hominis in vitam suam amor, vt pereat, odium ne pereat: si malè amaueris, tunc odisti, si bene oderis, tunc amasti*. Est profectò necessarium ad veram Christi dilectionem, & Dei charitatem, etiam in minimo gradu obtinendam, animo sic esse dispositum, vt sicut ibidem ait S.Augustinus, *cùm causæ articulus venerit, in quò hæc conditio proponatur, aut faciendum esse contra Dei præceptum, aut ex hac vita emigrandum, quorum duorum homo cogatur alterum eligere, comminante mortem persecutore: ibi eligat Deo dilecto emori, quàm offenso viuere; vbi oderit in hoc mundo animam suam, vt in vitam æternam custodiat eam*. Sed ardentior charitas vlterius progreditur, non enim huiusmodi occasiones expectat, sed vltro expetit, easque in maximo lucro repositas habet, fert in votis, versat in desiderio, dicens similia cum Apostolo: *secundum expectationem, & spem meam, quia in nullo confundar, sed in omni fiducia, sicut semper, & nunc magnifica-*

[Margin notes: Act.21.13. — S. Hieronym. in l. de script. Ecclesiasticis. — Ioann.12.24. — S. Aug. tract. 51. in Ioann. — Ad Philip.1. 20.]

gnificabitur Christus in corpore meo, siue per vitã, siue per mortem: mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum. Erat Apostolo Christus viuere, idest viuendi principium, & causa multipliciter. Primùm causa naturalis, quatenus Deus est primum principium omnis creaturæ: *In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus:* vnde etiam Moyses dicebat: *Diliges Dominum Deum tuum, & illi inhæreas, ipse est enim vita tua, & longitudo dierum tuorum.* Deinde Christus quà homo, est iustis principiũ, & causa vitæ præstantioris; ideo ipse de se dicebat: *ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant:* neque causa solùm efficiens, sed etiam meritoria, & exemplaris, & finalis, ad quam totam vitam suam Apostolus referebat, & conformabat, & vt alij idem facerent hortabatur: *nemo enim nostrum,* dicebat ad Romanos scribens, *sibi viuit, & nemo sibi moritur, siue enim viuimus, Domino viuimus, siue morimur, Domino morimur. Siue ergo viuimus, siue morimur Domini sumus.* Cùm itaque tot titulis, ac nominibus Deo vitam nostram habeamus debitam, & obligatam, cui obligationi etiamsi omnium hominum vita Deo nostro singuli viueremus, non posset à nobis plenè atque omni ex parte satisfieri, quid mirum si pro modico illo, quod habemus, Deum ex tota anima diligere debeamus?

Act.17.28. *Deut.30.20.* *Ioann.10.10.* *Ad Rom.14.7*

5 Tertius gradus est, vt Deus tota mente diligatur. Mentem in sacra Scriptura significare partem animæ nostræ superiorem, quæ etiam spiritus appellatur, & quæ per immateriales, & inorganicas facultates memoriam, intellectum, & voluntatem, operationes exercet merè spirituales, satis illa sacra testimonia persuadent, quibus dicitur Deus in mente haberi, à mente excludi, mente cogitari, & mente nos ei deseruire. *Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deũm:* dicebat filio suo Tobias, *& caue ne aliquando peccato consentias.* Propter quod subdit inferius, *multi à se, & à sua mente Deum excludunt:* Et Apostolus *ego,* inquit *mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati.* Deum igitur tota mente diligere, nihil aliud erit, nisi in parte nostra spirituali quoddam veluti immateriale templum Deo cõstituere, & cõsecrare, triplici distinctũ habitaculo, & quasi conclaui, memoria Deum, & diuina semper suggerente, intellectu assiduè cælestia cogitante, voluntate ad hæc ipsa identidem anhelante, & suspirante; quæ verò his contraria, sensus, & caro secundũ iniquas peccati leges, anteuertẽdo rationem ingesserit, prima statim animaduersione reijciẽte. Nã vt idẽ ait Apostolus, *Quis cõsensus Templo Dei cũ Idolis? Vos enim estis templũ Dei*

Tertius gradus dilectionis Dei est, Deum diligere tota mente.

Tob.4.6. *Tob.6.17.* *Ad Rom.7.25* *2.Cor.6.16.*

viui, sicut dixit Deus: quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus. Vt quemadmodum vnus est in essentia Deus, & Trinus in personis; ita in tribus vnius animæ nostræ potentijs conuenienter inhabitet, & familiariter, ac suauiter conuersetur. Neque sit ibi tantùm per essentiam, præsentiam, & potentiam; sicut est etiam in carne, & in qualibet visibili, aut inuisibili creatura: neque solùm per habitus gratiæ iustificantis; sicut est in spiritu, & anima cuiuscumque iustificati; sed per internas frequentiores gratiæ actualis motiones, mentis illustrationes, arcanas operationes, visitationes, fauores, ac dignationes. Quòd si Rex aliquis potētissimus à suis regalibus ædibus, & palatio magnificentissimo, venire ad tuguriolum rusticanum alicuius pauperculi speciali quadam beneuolentia dignaretur; is profectò non rustici modo, & inurbani, sed valde ingrati animi notam incurrisse diceretur, nisi quidquid in tanta loci angustia Princeps ille inhabitare, & quousque penetrare desideraret, ei ab hospite illo pauperculo promptè recluderetur. Habet altissimus Deus, præterquam quod est, & locus, & thronus, & habitaculum sibimetipsi per omnia sufficientissimum, si velit ad creaturas benignè diuertere habet inquam propè infinitam cælestium spirituum multitudinem, Angelorū, & Archangelorum, Cherubinorum, & Seraphinorum veluti palatia spiritualia amplissima, fulgentissima, delitiosissima. Inter hæc ordo quidam Thronorum est appellatus, *ad indicandum*, ait S. Dionysius, in libro de Cælesti Hierarchia, *id quod ab omni terrena humilitate sine admixtione secretum est, immobiliter, firmiterq. hæret, diuinumq. aduentum sine vlla motione, atque materia recipit, ac Deum portat, officiosèq. ad ea, quæ diuina sunt capienda propensum est*. Cùm igitur ob infinitæ bonitatis eius beneuolentissimam dignationem, etiam ad angustias nostræ mentis venire non dedignetur, vtique ea tota quanta est debemus illum excipere, vltrò admittere, omnia occupanda illi tradere, occulta quæque reserare, & illi cum S. Augustino dicere: *Angusta est domus animæ meæ, quò venias ad eam dilatetur abs te. Ruinosa est refice eam: habet, quæ offendant oculos tuos, fateor, & scio: sed quis mundabit eam? aut cui alteri præter te clamabo? Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo*. Et hoc erit, Deum tota mente diligendo, ad tertium dilectionis gradum peruenire.

S. Dion. de Cælesti hier. c. 7.

S. Aug. lib. 1. confess. c. 5.

Psal. 18. 14.

Quartus dilectionis gradus est, Deum diligere ex omnibus viribus suis.

6 Quartus amoris diuini gradus illis verbis exprimitur: *ex omnibus viribus tuis:* Vires nostræ idest facultates, & potentiæ

animæ

animæ nostræ non sunt solùm spirituales, & rationales intellectus, & voluntatis, de quibus proximè superius dicebamus; sed etiam animales partis sensitiuæ, & vegetatiuæ: sensus nimirum interni, & externi, aliæq. vitales altricis animæ facultates, quibus etiamsi propriè Deum diligere non possimus, sed actu solùm elicito, rationali potentia voluntatis: possumus tamen quodammodo alijs quibusdam actibus à ratione imperatis, vel ad finem Deo per omnia placendi piè ordinatis obsequi, & deseruire. *Anima mea illi viuet*, dicebat Deo Propheta Dauid, *& semen meum seruiet illi*. Si quis domi suæ multam alens familiam magnum hospitem excepisset, cui tamquam proprio Domino, & supremo Principi omnia obsequia deberet; vnum, tamen aut alterum tantùm in ministerio seruũ exhibuisset, reliquis tum famulis quàmplurimis, tum etiam filijs aliò amandatis, siue otiosè distractis: profectò iniuriam tanto hospiti non leuem intulisse, nec solùm reprehensione, sed etiam pœna dignus iudicaretur. Quantò ergo magis, si quis Deo non omnes animæ suæ facultates, quantùm fas est in hac mortali vita, voluerit deseruire? saltem ea ratione, & modo, quamuis fine per omnia diuerso, suis solent deseruire concupiscentijs addicta Diabolo mancipia, propter peccatum. Quis enim verus Dei amator hoc audeat primùm Deo, deinde Apostolo negare, tanta moderatione deposcenti: *humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* *Pudorem*, ait benè Origenes, *incutit hisce verbis auditoribus suis Apostolus, vt hoc saltem obsequijs impendant iustitiæ, quod priùs impenderunt iniquitati. Quasi dicat: currebant priùs pedes vestri ad effundendum sanguinem, nunc autem ad liberandum sanguinem currãt. Protendebantur manus priùs, vt aliena diriperent, nunc protendantur, vt propria largiantur: circumspiciebant priùs oculi alienum ad concupiscendum, nunc circumspiciant pauperes ad miserendum*. Hæc Origenes, quibus addit S. Anselmus: *Sicut ad peccandum nullus cogebat timor, sed ipsius libido, voluptasq. peccandi; sic ad iustè viuendum non vos supplicij metus vrgeat, sed vrgeat dilectio charitatis. Sicut ergo ille iniquissimus est, quem ne pœnæ quidem temporales deterrent ab immundis operibus sordidæ voluptatis: ita iustissimus ille est, qui ne pœnarum quidem temporalium timore reuocatur à sanctis operibus luminosissimæ charitatis.* Verè iustum, moderatum, humanum, quod

Psal.21.31. — *Ad Rom.6.19* — *Orig. in ep. ad Rom.* — *S. Ansel. in ep. ad Rom.*

à nobis exigit Apostolus in hac parte: vt mens, cogitatio, imaginatio, cor, oculus, manus, motus animi, & corporis nostri sic in Deum ferantur, vel ad eum referantur, vt quondam in peccatum, cùm deseruiebant peccato. Immo verò non tantumdẽ, sed si fieri possit decuplo magis: *Sicut enim*, inquit Propheta Baruch, *fuit sensus vester, vt erraretis à Deo, decies tantùm iterum conuertentes requiretis eum*. Sed hoc magis pertinet ad gradum dilectionis sequentem.

Baruch.4.28.

Quintus gradus dilectionis est, Deum ex tota virtute diligere.

7 Est autem quintus dilectionis gradus illis verbis significatus: *diliges Dominum Deum tuum ex tota virtute tua*. Benè autem vires, & virtutem in hoc aliqui distinxerunt, vt per vires facultates, & potentiæ animæ nostræ, de quibus iam dictum est, accipiantur, per virtutem autem applicatio, & conatus potentiarum. Itaque Deum tota virtute diligere, nihil aliud erit, quàm summo illo conatu, quo possumus, & applicatione totali non solùm potentiæ, sed etiam habitus, qui sunt in potentijs, maximè habitus infusi, & præcipuè charitatis, ex qua possumus & remissè, & ad æqualitatem habitus, & intensè vt volumus cũ auxilio diuinæ gratiæ operari. Est enim, quod dici solet, verissimum, plus valere apud Deum vnum actum valde intensum, quã plures tepidos, atque remissos. Vnde cum aliud non potest consequi Dæmon, saltem hos conatus in nobis varijs modis tentat distrahere, & impedire. Cùm essent filij Israel ab Aegypto, & dura seruitute Pharaonis, Deo vocante, recessuri, nitebatur Pharao, quos poterat in Aegypto retinere. Interrogans itaque Moysem: *qui nam sunt, qui ituri sunt:* responsum est illi à Moyse: *cum paruulis nostris, & senioribus pergemus, cum filijs, & filiabus, cum ouibus, & armentis*. Tunc ait Pharao: *non fiet ita, sed ite tantùm viri, & sacrificate Domino Deo vestro*. Superuenientibus autem nouis in Aegypto portentis, atque supplicijs, *vocauit*, inquit scriptura, *Pharao Moysem & Aaron: & dixit eis: ite sacrificate Domino, oues tantùm vestræ, & armẽta remaneãt, paruuli vestri eant vobiscum*. Tunc ait Moyses: *hostias quoque & holocausta dabis nobis, quæ offeramus Domino Deo nostro, cuncti greges pergent nobiscum, non remanebit ex eis vngula.* Addebat autem huius rei Moyses rationem; quia nondum satis illi Deus manifestauerat, quæ & qualia sacrificia in egressu ab Aegypto, & in profectione ad terram promissionis, sibi vellet offerri. Cùm ergo satis nobis constet ad terram viuentium ex hac mortali vita quotidie peregrinantibus, qualia Deus requirat à nobis offerri sibi spiritualia sacrificia, & holocausta

Exod.10.8.

in ara

in ara nostri cordis igne charitatis adolenda, dum primum, & magnum hoc mãdatum imponit: *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex tota virtute tua:* vtique debemus quantùm in nobis est, ad omnes huiusmodi perfectæ dilectionis gradus, Dei semper adiuuante gratia, conari; nec vllum, neque postremum quidem, Dæmone quantùmlibet repugnante, quin ad eum aspiremus, negligere, & prætermittere.

8 Est autem sextus, & postremus dilectionis gradus in eo positus, vt Deus tota animi nostri fortitudine diligatur. Porrò virtus à fortitudine iuxta S. Thomæ interpretationem, ita distinguitur: *quia virtus,* inquit ipse, *est summus conatus virium nostrarum ad agendum, fortitudo vero summus conatus ad sustinendum.* Quare cùm argumentum magnum veræ dilectionis exhibitio sit operis, & ibi magna dilectio esse deprehendatur, vbi magna pro dilecto aliquis operatur: si pro eodem grauia quoque amauerit sustinere, adhuc charitas multo maior esse significabitur. Idque Christus Dominus suo exemplo, & auctoritate nos docuit, cùm dixit: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos; maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Quæ verba exponens S. Io. Chrysostomus: *Prastet,* ait, *quis beneficia, largiatur dona, sit benefactor in prosperis, diligat obsequentes: nunquid illi poterit comparari, qui in se suorum suscipit necessitates? qui se periculis pro illis exponit? corpus obiectat morti, vt illos neci subtrahat, illos reseruet ad vitam. Aduersis probatur amor, affectio pensatur periculis, pœnis examinatur dilectio, morte charitas perfecta declaratur.* Huc vsque Chrysostomus de hoc gradu dilectionis; ad quẽ se peruenisse bene ostendebat Apostolus cùm de se suisque similibus scriberet ad Romanos: *Quis ergo nos separabit à charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculũ? an persecutio? an gladius?* Quasi diceret: nihil horũ profectò: non persecutio, nam gaudeo, & glorior in tribulationibus propter Deũ: non angustia, nã si angustiamur foris, intus cor dilatatum est charitate: non fames, nam cibus meus est, Dei facere voluntatem: non nuditas, bona enim vestis, & stola pretiosissima est charitas: non periculum, nihil enim magis mihi timendum iudico, quàm ne tepescam in dilectione, & pati refugiam pro dilecto: non denique gladius, quia non me separabit à Christo, sed magis illi coniunget in vita immortali, cupio enim dissolui & esse cum Christo. Atque ad hunc diuini

Sextus gradus dilectionis est, Deum tota fortitudine diligere.

S. Thom. opusc. 61. de dilectione c. 23.

Ioann. 15. 12.

S. Chrys. hom. 6. de passione Domini.

Ad Rom. 8. 35.

S. Bern. in lib. de diligendo Deo.

uini amoris gradum communiter omnes Martyres aliquo modo perueniſſe S Bernardus arbitratur, cùm in libro de diligendo Deo ſic ſcribit: *Putamus ne tamen hanc gratiam vel ex parte ſanctos martyres aſſecutos, in illis adhuc victorioſis corporibus conſtitutos? magna vis prorſus amoris illas animas introrſus rapuerat, quæ ita ſua corpora feris exponere, & tormenta contemnere valuerunt.* Sed quia in hoc gradu adhuc alij ſunt gradus, eodem ſancto Bernardo teſte, perfectiores, ad quos aſpirare vt poſſumus debemus, etiamſi peruenire magis videatur fœlicitatis æternæ: ideo etiam de his ſumpto aliunde principio, in ſequenti capite diſſeremus.

CAPVT QVARTVM.

De affectu amoris vnitiui, & Seraphici per ſex alios gradus ipſius.

Sex gradus dilectionis, ex canticis canticorum.

1 HIc eſt vltimus affectus, & perfectiſſimus inter omnes, quos pro noſtro inſtituto ſuſcepimus explicandos, non omnino ab affectu ſuperiori diſtinctus, ſed in extremo illius gradu, ſicut iam indicatum eſt, aliquo modo incluſus, aliorum veluti faſtigium, & complementum. Poſſumus autem ſimiliter per alios ſex gradus, iuxta ſex alas Seraphin, & hunc diſtinguere. Quod in ſacris canticis, ſymbolicis illis verbis videtur eſſe ſignficatum: *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculũ ſuper brachium tuum: quia fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio: Lãpades eius, lampades ignis, atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatẽ, nec flumina obruent illam: ſi dederit homo omnem ſubſtantiã domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihil deſpiciet eam:* Antequàm autẽ hæc à nobis per ſingula explicentur, & ad inſtitutũ applicentur, oportet aduertere ab imperfectis, vel qui parum in via ſpirituali profecerunt, vt ſunt cõmuniter incipientes, ea quæ hoc loco dicturi ſumus parum fortaſſis ſiue practicè ſiue ſpeculatiuè poſſe intelligi, immo etiam vix apprehendi. Non inquam practicè, nam ſi ea in praxi à talibus bene perciperentur, imperfecti non eſſent: non ſpeculatiuè, quia diuinus amor in ſua præſertim excellentia, & ſuprema perfectione conſideratus,

Cant. 8. 6.

tus,

tus, res est adeo eleuata, vt qui illud in se non experitur, sicut qui nunquam mel gustauit, sed tantùm illum flauum colorem oculis subiecit, qualis, & quantæ sit dulcedinis non facilè percipiet. Propterea in Psalmo admonemur, gustandam prius esse, quàm intelligendam Dei suauitatem, ac bonitatem: *gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus*; & loquens specialiter Sanctus Petrus de incipientibus, non nisi cum ea conditione ad proficiendum in Dei amore, ac dilectione illos adhortatur: *Sicut modo geniti infantes, rationabiles sine dolo lac concupiscite; vt in eo crescatis in salutem: si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus*. Propterea etiam S. Augustinus dicebat in hanc sententiam. de seipso: *gustaui Domine, & esurio, & sitio, flagrasti, duxi spiritum, anhelo tibi: tetigisti me, & exarxi in pacem tuam*; & alibi: *Da amantem, & sentit quod dico, da desiderantem, da esurientem, da in ista solitudine peregrinantem, atque sitientem, & fontem æternæ patriæ suspirantem, da talem, & scit, quid dicam. Si autem frigido loquor, nescit quid dicam*. Auget quoque non parum in hac materia difficultatem, modus noster explicãdi amoris diuini admirabiles in humanis cordibus operationes, per terminos, & comparationes amoris sensitiui, vel etiam sensualis: vix enim aliter nostra intelligentia corporeis sensibus alligata, quidquam de huiusmodi rebus assequeretur. Vnde apud eos, qui minus purgatos affectus habere inueniuntur, non tam declarari talibus comparationibus, quam obscurari, & quodammodo inquinari videri possent purissimæ deliciæ charitatis. Quare testantur antiqui patres Origines, Nazianzenus, atque Hieronymus propterea Cantica canticorum huiusmodi referta mysterijs apud veteres Iudæos legi à iuuenibus non fuisse permissum, sed tantùmmodo grandæuis, & qui ad maturitatem sacerdotalis ætatis iam peruenissent. Vt ergo ad expositionem prædictorum verborum, quæ habentur in Sacris canticis accedamus, scire oportet amoris vnitiui, ac Seraphici efficacitatem per quosdam gradus operationis esse dispositam, ita vt primùm amor sit assimilatiuus amantis rei amatæ, secundò vt sit mortificatiuus, tertiò sit annihilatiuus, quartò sit insatiabilis, quintò sit insuperabilis, sextò denique sit inexhaustus.

Psal. 33. 8. *1. Pet. 2. 2.* *S. Aug. l. 10. conf. c. 27.* *Idem trac. 26 in Ioan.* *Orig. in proë. cant. S. Greg. Nazianz. apolog. 1. S. Hieron. in proëm. in Ezechiel.*

2 Primus gradus, qui est assimilationis, illis verbis exprimitur: *pone me, vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuũ*. Refert S. Dionysius in libro de diuinis nominibus hanc ex præceptore suo Hierotheo diuini, & spiritualis amoris descriptionem: *est vis quædam coniungens, & miscens, & sti-*

Primus gradus charitatis est, assimilatiuus. *S. Dion. cap. 4. de diu. nom.*

& superiora quidem impellens, vt inferioribus prospiciant, & consulant, inferiora vero vt se conuertant ad superiora: cuius descriptionis sensum, non apparet, qua possimus accommodatiori similitudine declarare, quàm signaculi, siue sigilli, & materiæ cui debet imprimi sigillum. Nam quemadmodum illius tractabilis materiæ propria forma, atque perfectio in eo est posita, vt sigillo per omnia cohæreat, eique iuxta omnia, & singula lineamenta, quantum fieri potest, assimiletur: ita nostræ in Deum charitatis propria perfectio est, vt vbi cor humanum, totamque animam secundum omnem eius virtutem, vires, & facultates, de quibus in superiori capite dictum est, reddiderit quasi liquefactam ceram, tractabilem, atque flexibilem, tunc per intimam affectus coniunctionem, & voluntatis omnimodam conformitatem, diuinam illi similitudinem imprimat, & quantùm homini fas est, diuinas in se referre perfectiones, quodammodo deificatam efficiat. Atque hoc est, quod à suis feruentioribus amatoribus exigit Deus, cùm ait, *pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum:* Sed tria sunt in his verbis potissimum obseruanda, primum quod dicitur, *pone me*: nam quamuis in prima gratiæ iustificantis, virtutum, ac donorum susceptione, Deus in nobis sine nobis illos habitus infundens operetur, atque ita similitudinem quamdam suam omnibus iustis, & in suam gratiam adoptatis communem imprimat: tamen vt eam magis in nobis exprimat, & melius faciat eminere per honestos, & liberos nostros actus, ac variarum exercitamenta virtutum, maximè verò vnitiuæ dilectionis, diligentem nostram requirit cooperationem, ideo ait, *pone me, vt signaculum*, nempe sic excitans, vt ponamus, & vt veteris Adæ similitudinem magis quotidie deponamus, ipse cooperationem nostram benignissimè adiuturus. *Adiutor enim noster Deus*, ait S. Augustinus; *nec adiuuari potest, nisi qui aliquid sponte conatur: quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis, in quorum natura, rationem, voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis*. Secundo additur hoc signaculum similitudinis ponendum esse super cor: vt enim superius asseruit S. Dionysius, proprium est amoris vnionem, & conformitatem facere voluntatum. Quod maximè debet esse verum de illo amore, quo Deus nobis perfectè non in futura tantùm beatitudine, sed etiam in hac mortali vita diligitur. Nam quamuis in creaturis id sæpe contingat, vt nostram illis dilectionem propter alias perfectiones impendere debeamus,

S. Aug. l. 2. de pecc. mer. & remiss. c. 5.

mus, minimè verò propter deficientem in bono voluntatem: Deo tamen, cuius voluntas regula est omnis bonitatis, bene velle oportet maximè propter voluntatem, qua omnia bona vult, & nihil potest esse malum, quod vult, nihil potest esse bonum, quod ipsa non vult. Ponere ergo Deum vt signaculum super cor suum, est, amabiliter se Deo, & eius diuinæ voluntati, ac beneplacito per omnia conformare; vt sit nobis vnū idemq; velle, vnum idemq. nolle cum ipso; nec aliud quodammodo posse velle, nisi quod Deus vult, & posse nolle, nisi quod Deus non vult. Tertium demum est obseruatione dignum, quod dicitur: *pone me vt signaculum super brachium tuum. In brachio*, ait exponens hæc verba S. Gregorius, *operatio designatur: super cor ergo, & super brachium sponsæ dilectus, vt signaculum ponitur: quia in sancta anima quantùm ab eo diligatur, & voluntate, & actione designatur. Signum quippe sancta mens interius, & exterius Christum portat, quia dum eius meditationibus assiduè laborat, in exteriori actione eum imitari non cessat, quò eius dilecta esse dubitari non debeat. De quo signo ipse sponsus suis discipulis aiebat: in hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem:* hæc S. Gregorius. S.Greg. in Cantic. c. 8. Ioann. 13 35.

3 Sequitur secundus gradus vnitiuæ charitatis illis verbis significatus: *quia fortis est, vt mors dilectio*: hunc ab effectu perfectæ mortificationis, quæ plus dicit, quàm assimilationem, mortificatiuum appellamus. In eo verò mortis sita est fortitudo, vt vinculum in viuentibus omnium maximum, atque firmissimum animæ, & corporis sola ipsa dissoluat. Sed in brutis aliter, quàm in rationalibus animantibus: in brutis siquidem non vnionem tantummodo, sed etiam vtrumque vnionis terminum, hoc est ambas compositi partes planè corrumpit; sed in viuentibus rationalibus, tantùm quod materiale est, atque corporeum; quod vero est spirituale manet incorruptum, & immortale. Sic igitur est fortis vt mors perfecta dilectio, quia quidquid in nobis est terrenum, & sensuale mortificat, quidquid autem est rationale, & spirituale in libertatem vendicat, & quasi à mundi vinculis expeditum, atque absolutum, ad meliora reseruat. Quare sic verba prædicta S. Gregorius super Cantica interpretatur: *Bene fortis, vt mors dilectio esse perhibetur, quia dum per dilectionem à vitijs mortificamur, quod mors agit in sensibus corporis, hoc agit dilectio in cupiditatibus mentis. Sunt enim nonnulli, qui sic diligunt Deum, vt omnia visibilia negligant, & dum in æterna mente tendunt, ad omnia temporalia* Secundus gradus dilectionis, mortificatiuus. S.Greg. in c. 8. Cantic.

lia

lia penè insensibiles fiunt. In his nimirum vt mors dilectio fortis existit, quia sicut mors exteriores corporis sensus ab omni proprio, & naturali appetitu interficit; sic dilectio in talibus viris omnia terrena desideria contemnere mentem alijs intentam compellit. Huiusmodi mortuis, & viuis dicebat Apostolus: Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.

Ad Coloss. 3. 3.

Tertius gradus dilectionis, annihilatiuus.

4 Sed est tertius gradus perfectior charitatis, qui in illis verbis continetur: *dura sicut infernus æmulatio*. Hunc amoris excessum ab effectu annihilationis vehementiori, quàm mortificationis, annihilatiuum appellamus. Oportet autem nomine inferni, cui zelus, & æmulatio charitatis hoc loco assimilatur, sepulchrum intelligere, sicut aliàs in scriptura. Quemadmodum igitur solet sepulchrum mortuos in se recipere, & non solùm circumiacentia vestimenta, sed etiam pellem, & carnem, & ossa sic absumere, vt in modicos cineres omnia redigendo, quasi annihilare videatur. Ita quoque Dei amor, & charitas semper meliorum charismatum æmulatrix, vbi animam à Cruce mortificationis ad hunc gradum veluti ad sepulchrum annihilationis adduxerit, sic eius affectum erga res creatas attenuat, & consumit; vt nihil amplius præter Deum, quod appetat, quod velit, quod cogitet, neque ipsamet sibi & caro, & anima superesse videatur: sed cogitur dicere cum Dauide: *Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*, & cum Apostolo Paulo: *Viuo ego iam non ego, viuit autem in me Christus: Et mihi viuere Christus est.* Hac ratione cor hominis in se prauum, & tortuosum in Deum Creatorem ita dirigitur, vt neque ad creaturam deflectat, neque ad se ipsum inordinatè reflectatur: sed suimet, atque omnium extra Deum quasi oblitũ, intra Deum vix se inueniat, & fiat vnus quodammodo spiritus cum ipso Deo. In quam sententiam aliqui illud à S. Iob dictum intellexerunt: *Si direxerit ad eum cor suum, spiritum illius, & flatum ad se trahet, deficiet omnis caro simul, & homo in cineres reuertetur. O amor sanctus, & castus, o dulcis, & suauis affectio*, ait S. Bernardus, loquens de hoc gradu dilectionis, *ò pura intentio voluntatis, eò certè purior, quò in ea de proprio nihil iam admixtum relinquitur, eò suauior, & dulcior, quò totum diuinum est, quod sentitur. Sic affici deificari est. Quomodo stilla aquæ modica multo infusa vino deficere à se tota videtur, dum & saporem vini induit, & colorem: & quodammodo ferrum ignitum, & candens igni simillimum fit, pristina propriaq.*

Psal. 72. 26. *Ad Gal. 2. 20.* *Ad Phil. 1. 21.*

Iob. 34. 14.

S. Ber. l. de diligendo Deo.

forma

forma exutum: & quomodo solis luce perfusus aër in eandem transformatur luminis claritatem, adeo vt non tam illuminatus, quàm ipsum lumen esse videatur: sic omnem in sanctis humanam affectionem quodam ineffabili modo necesse erit à semetipsa liquescere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem. Addit S. Bernardus gradum hunc magis pertinere ad statum Beatorum, quando erit illis Deus omnia in omnibus. *Et beatum dixerim,* inquit ipse, *ac sanctum cui tale aliquid in hac mortali vita, & rarò interdum, aut vel semel, & hoc ipsum raptim, atque vnius vix momenti spatio experiri donatum est. Te enim quodammodo perdere, tanquam, qui non sis, & omnino non sentire teipsum, & à temetipso exinaniri, & penè annullari cælestis est conuersationis, & non humanæ affectionis. Et siquidem è mortalibus quispiam ad illud raptim interdum, vt dictum est, & ad momentum admittitur, subito inuidet sæculum nequam, perturbat diei malitia, corpus mortis aggrauat, sollicitat carnis necessitas, defectus corruptionis non sustinet, quodque his violentius est, fraterna reuocat charitas.* Hæc S. Bernardus de hoc gradu seraphicæ dilectionis tanquam expertus in seipso, cui proinde nihil est opus, vt à nobis superaddatur.

5 Ad quartum nihilominus gradũ amoris insatiabilis charitas Dei per charitatem proximi, tanquam ignis igne succrescẽs, conatur ascendere. Ideo ad verba Canticorum præcedentia statim adiungitur: *lampades eius, lampades ignis atque flammarum.* Ignis flammam emittit, charitas Dei proximi dilectionẽ immittit; ab igne flamma prodeniens etiamsi quædam ignis extenuatio videatur, tamen apta ad exardescendum accedente materia, ignis est incrementum, flammarum multiplicatio, & innouatio. Ita charitas Dei, quamuis ad proximorum extensa charitatem, remitti quodammodo in exercitio videatur, inualescit tamen reuocata in seipsam, atque in suum refusa principium: & dum plures secum inflammat, ardet vehementius, semperque alios adhuc, & alios conatur accendere, alios pro Dei gloria subire labores, alia pro animarum salute adire pericula, & quasi nihil egisset, plura, & maiora, indefessa, & insatiabilis concupiscit. Tria posuit Salomon in sacris Prouerbijs insaturabilia, & quartum, quod nunquam dicit sufficit. Primùm cæcam, sub nomine inferni, inuidentiã, siue vt alij exponunt, furentem cupidinem vlciscẽdi: deinde effrænatã libidinem sensualium voluptatum: tertiò inexplebilem sitim terrenarum diuitiarum, *& terra,* inquit, *quæ non satiatur aqua:* quartò vitæ superbiam

Quartus gradus dilectionis, insatiabilis.

Prou. 30. 16.

siue

siue honorum temporalium, & mundanarum dignitatum insaturabilem ambitionem: quæ quò maior exarserit, eò prouehit altius flammam, & fumum; & quò maiorem materiam occupauit, eò magis appetit plura comburere: ideo de hac ibidem subditur: *ignis verò nunquam dicit sufficit*. Quod si tantùm valet in corde inuido, & iracundo proximi odium inueteratum, vt nunquam alienis, sicut infernus satietur malis; nunquid minus valere debebit fraterna ex Dei charitate orta dilectio, ad benè omnibus faciendum, benè de omnibus merendum, ad iuuandos omnes corde puro, conscientia bona, fide non ficta? Si tantum dominatur in animo sensuali belluina cupido cænosarum voluptatum; nunquid in anima iusti minus posse deberet amor castus cælestium delitiarum, & spirituale contubernium Assistricis sedium diuinarum Sapientiæ, cuius conuersatio, sicut sacra testantur eloquia, non habet amaritudinem, nec tædium conuictus illius; sed veram lætitiam, sanctum gaudium, pacem, quæ exuperat omnem sensum. Si adeo in auaris est inexplebilis auri execranda fames, & cupiditas terrenarum diuitiarum, nunquid veræ diuitiæ, thesauri non deficientes in cælis, vbi neque erugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur, minus sibi de nostro corde poterunt vindicare? Si vanis honoribus, vmbra magni nominis fugacissima plurimi tantopere capiuntur, quales flammas alere in nostro pectore non deberent omnium vota virtutum, iustitiæ zelus, & maioris Dei gloriæ insatiabile desiderium? Sed longè ab hoc dilectionis gradu plerique substitimus: de quo autem habeatur vsque ad illum fœlici cursu peruenisse, benè dici potest: *lampades eius, lampades ignis, atque flammarum*.

Sap. 8. 16.
Sap. 9. 4.
Ad Phil. 4. 7.
Matth. 6. 19.

Quintus gradus dilectionis, insuperabilis.

6 Superest tamen quod sequitur: *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam*; atque hic est amoris insuperabilis gradus quintus. Ad hunc assequendum magno animo progredi, suo perfectissimo exemplo nos docuit Christus Dominus, cuius inæstimabilem charitatem non solùm non extinguere, sed neque ex minima parte remittere, aquæ multæ potuerunt omnium videlicet peccatorum, quæ in mundo commissa sunt, & committentur, quamuis essent illi iuxta diuinam, & humanam scientiam præsentissima, & omnia quadam ratione contra ipsum, vt supremum legislatorem committerentur: neque flumina, & torrentes tot persecutionum, passionum, & tormentorum, quæ ab eius sacratissima humanitate alia flumina sanguinis eliciebant, efficere potuerunt, quominus arden-

ardentissima sua charitate etiam pro illis vitam offerret, ac totum pretium sui sanguinis, à quibus crudelissimè fundebatur. Sed suo etiam modo ab alijs eximiæ sanctitatis hominibus, vltra alios gradus iam explicatos progrediendo, hic quintus attingitur. Vbi enim per primum Christo Domino satagunt assimilari, per secundum vero omnibus, quæ in mundo sunt mori, per tertium quasi omnino in se ipsis annihilari, per quartum in Deo confortati propter Deum omnia velle, omnia aggredi, omnia posse; procliuè illis erit ad quintum etiam peruenire, vt reddantur insuperabiles, hoc est à Dei charitate inseparabiles, sicut testabatur Apostolus: *quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus, sicut oues occisionis, sed in his omnibus superamus, propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu. Magna quidem sunt dicta hæc ab Apostolo,* ait S. Ioannes Chrysostomus; *sed nobis incognita, hoc ipso, quòd tantam charitatem non habemus.* Horum verò per singula propriam rationem optimè prosequitur S. Augustinus his verbis: *Nemo nos, si ad hunc amoris gradum peruenerimus, à Dei charitate separat minando mortem, idipsum enim, quòd diligimus Deum, mori non potest, nisi dum non diligimus Deum, cum mors ipsa sit non diligere Deum, quod nihil est aliud, quàm ei quidquam in diligendo, atque sequendo præponere. Nemo inde separat pollicendo vitam, nemo enim ab ipso fonte separat pollicendo aquam. Non separat Angelus, non enim est angelus, cum inhæremus Deo, nostra mente potentior. Non separat virtus, nam si virtus hic illa nominata est, quæ aliquam potestatem in hoc mundo habet, toto mundo est omnino sublimior mens inhærens Deo; sin virtus illa dicta est, quæ ipsius animi nostri rectissima affectio est, si in alio est fauet, vt coniungamur Deo, si in nobis est, ipsa coniungit. Non separant instantes molestiæ, hoc enim leuiores eas sentimus, quò ei vnde nos separare moliuntur arctius inhæremus. Non separat promissio futurorum; nam & quidquid boni futurum est certius promittit Deus, & nihil est ipso Deo melius, qui iam profectò sibi bene inhærentibus præsens est. Non separat altitudo, neque profundum; etenim si hæc verba scientiæ fortè altitudinem, vel profunditatem significant, non ero curiosus, ne seiungar à Deo, nec cuiusque doctrina me ab eo separat, vt quasi depellat errore, à quo nemo prorsus, nisi sepa-*

Ad Rom. 8. 36

S. Io. Chys. ho. 15. in ep. ad Rom. 8.

S. Aug. l. 1. de moribus eccl. cath. c. 11.

ratus erraret. Si verò altitudine, & profundo, superna, & inferna huius mundi significantur, quis mihi cælum pollicetur, vt à cæli fabricatore seiungar? aut quis terreat infernus, vt Deum deseram, quem si nunquam deseruissem, inferna nescirem? Postremo, quis me locus ab eius charitate diuellat, qui non vbique totus esset, si vllo contineretur loco. Hactenus de hoc gradu sublimis dilectionis S. Augustinus.

Sextus gradus dilectionis inexhaustæ.

7 Sextus atque postremus amoris vnitiui perfectissimus gradus habetur illis verbis expressus: *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Hunc gradum inexhaustæ dilectionis appellauimus. Quis enim non diceret inexhaustum fontem aquarum, vel thesaurum pecuniarum, atque gemmarum, si quauis copia inde subtracta, non solùm nunquam ex toto exhauriretur, sed perinde se haberet, ac si nihil ex eo fuisset acceptum? Huiusmodi autem est charitas perfectorum, quando ad hunc gradum per antecedentes iam expositos studio feruentiore prouehitur. Quamtumuis multa, quamtumlibet grandia, & operosa talis Dei amator pro Deo operetur: *operatur enim amor Dei magna, si est,* ait sanctus Gregorius; *si verò operari renuit, amor non est,* denique quamtumuis grauia, & intolerãda pertulerit; nihil tamen se putat fecisse, nihil dedisse, *& si dederit omnem substantiam domus pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Nunc incipio Christi esse discipulus,* dicebat ardentissimus Christi amator S. Ignatius, *nihil de his, quæ videntur desiderans, vt Iesum Christum inueniam. Ignis, Crux, Bestiæ, confractio ossium, & cætera tormenta omnia in me veniant, tantùm Christo fruar.* At non erat re uera id tantum incipere Christi esse discipulus, sed progressus maximos in eius altiori schola iam perfecisse. Hoc tamen idcirco euenit viris perfectis, quia cum ardore feruentissimæ charitatis, etiam splendorem quendam internum in anima sua recipiunt, excellentissimæ cuiusdam claritatis, ad optimè cognoscendas tres huiusmodi practicas veritates. Prima est, quidquid magnum pro Deo agunt, vel patiuntur, id non nisi ex magna Dei gratia, & auxilio eius speciali ab ipsis præstari posse. Itaque totum Deo, sibi vix quidquam aut certè valde parum superesse, tribuendum: & illud parum multo collatum, quod est ipsis à Deo liberalissimè præstitum, euanescit ex cõsideratione superadditæ obligationis; vt propterea minus se ipsos esse faciendos intelligant, quia multò plus faciũt, quàm proprijs viribus facere potuissent; & magis obligari, quia vnde tot obligationibus satisfa-

S. Greg. hom. 30. in euang.

Apud S. Hier. in l. de script. eccles.

satisfa-

tisfaciant, ſemper liberalius, quam perſoluant accipiunt. Altera veritas eſt, ſi merces æternæ retributionis cum bonis iuſtorum operibus conferatur, nimis multum excedere, quæ præparauit Deus diligentibus ſe: *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitatibus æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 1. Cor. 4. 17. Quin etiam idem æquus rerum æſtimator Apoſtolus; *exiſtimo*, inquit, *quod non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis:* Ad Rom. 8. 18 legit autem S. Auguſtinus; *indignæ ſunt paſſiones huius temporis ad futuram gloriam.* S. Aug. l. 5. de ciu. Dei c. 18. & alibi. Et ſanè quænam poteſt eſſe proportio modici temporis huius vitæ ad ſecuturam æternitatem? præſentium aliquot incommodorum, ad magnitudinem futurorum in perpetua beatitudine gaudiorum? Luc. 6. 38. debilis conatus noſtri liberi arbitrij in bene operando, ad manum omnipotentis Dei, menſuram bonam, confertam, coagitatam, & ſuper effluentem retribuentis? Et quamuis illa ipſa honeſta hominis operatio, non in ſe ſolum conſiderata, & vt à noſtro libero procedit arbitrio, ſed etiam vt eleuatur à gratia, & vt exercetur ab homine iam Dei filio, & in eius amicitia conſtituto, cenſeatur tali præmio digna, & ſuam cum illo habere proportionem: quia tamen, vt ad eam aſcendat dignitatem non à ſe ipſa habet, ſed à gratia, ideo ait S. Bernardus; *homo propter ipſam magis Deo debitor eſt, quàm homini Deus.* S. Ber. ſer. 1. de annunc. *Neque enim*, inquit, *talia ſunt hominum merita, vt propterea vita æterna debeatur ex iure, aut Deus iniuriam aliquam faceret, niſi eam donaret.* Quod ſi contra hæc, quæ videntur à S. Bernardo dicta per hyperbolem, proferat aliquis Apoſtoli teſtimonium 2. Ad Tim. 4. 8. dicentis: *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex.* Ad hoc ita reſpondet S. Bernardus: S. Bern. lib. de grat. & libero arbit. circa finem. *Eſt, quam Paulus expectat, corona iuſtitiæ, ſed Dei non ſuæ: iuſtum quippe eſt, vt reddat, quod debet; debet autem, quia pollicitus eſt: & hæc eſt iuſtitia, de qua præſumit Apoſtolus, promiſſio Dei.* Quæ eſt doctrina ſæpius à ſanctis patribus, præſertim Auguſtino repetita: *nam*, inquit, *debitorem Dominus ipſe ſe fecit non accipiendo, ſed promittendo, non ei dicitur, redde quod accepiſti, ſed quod promiſiſti.* S. Auguſt. in Pſal. 83. Has veraces, fideles, miſericordes, liberales, adeoque munificas Dei promiſſiones, & donationes, dum illuminatæ iuſtorum mentes conferunt cum operis conditione, quam ex parte noſtra implere debemus, & cum tot nouæ gratiæ excitantis, comitantis, ſubſequentis auxilijs, atque ſubſidijs, quibus ad eam implendam conditionem indigemus;

intelligunt, quàm parum sit, quod faciunt, & prope nihil, vt tot obligationibus satisfaciant. Sed est alia tertia veritas non minus practica, & longè sublimior, infinitæ amabilitatis Dei, quæ sola absolutè in se cognita, & bene intellecta sine alijs eius erga nos beneficijs, aut officijs satis superque poterit persuadere, vt si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro hac dilectione, quasi nihil despiciat eam. Et quid hoc mirum in homine? cum illi supremi spiritus, qui ab ardore Seraphin appellantur, *propter excedentem feruorem*, ait S. Dionysius, *sempiternæ mobilitatis eorum in Deum, quæ attentissima est, & inamissibilis, & in aliud desiderabile nunquam declinans*: tamen quasi essent in illius dilectione, affectuque remissi, pedes, & caput alis sibi cooperiunt: *& quoniam non assequuntur, quod expetunt, & quod conueniebat*, inquit S. Io: Chrysostomus; *quod deest affectui, hoc velo obtegunt*. Atque hæc est charitas inexhausta eò indeficientior, & perfectior, quò magis deficiens, minusque perfecta infinitis Dei perfectionibus comparata perspicaci amoris oculo iudicatur: vt cum multa, & magna pro Deo faciat, desiderio faciendi plura, atque maiora, quasi nihil se facere arbitretur.

S. Dion. c. 4. de cel. hi hierar. iuxta antiquam translationem.

S. Chrys. hom. 1. de ver. Isa. 6. dominũ vidi, &c.

CAPVT QVINTVM.

De actu contemplationis.

Actus cõtemplationis quomodo se habeat ad actum perfectæ dilectionis, & amoris vnitiui.

1 ACTVS proprius contemplationis, de quo hic agendum suscepimus consequenter, est adeo coniunctus cum affectu amoris vnitiui, & perfectæ Dei dilectionis, vt aliqui theologi mystici appellati, nihil aliud esse contemplationem opinati sint, quàm huiusmodi amoris affectum; & in exercitio talis actus veram, atque perfectam contemplationem propriè consistere voluerunt; quod quàm sit à ratione, alienum alibi est declaratum. Quia tamen, sicut verissimè dixit S. Augustinus, nullum bonum perfectè cognoscitur, quod non perfectè amatur, contemplatio verò, de qua hic agimus perfecta quædam notio est veri, & summi boni, profectò negari non potest, gradum perfectæ contemplationis sine gradu supremo vnitiuæ dilectionis inueniri, nisi fortè violenter, non posse. Vtrum autem ab actu dilectionis actus sequatur

S. Aug. lib. 83. quæst. q. 35.

contem-

contemplationis, an potius ab actu contemplationis actus trahatur vt subsequẽs dilectionis, non est facilè determinare. Nam quamuis iuxta ordinem naturæ præuolet intellectus, & tardus sequatur affectus; è contrariò tamen iuxta ordinem gratiæ perfectius à nobis in hac vita diligitur Deus, quàm intelligitur: non enim melius intelligitur, quàm per fidem, quæ propter suam obscuritatem, & ineuidentiam in beatitudine cessare debebit; amatur autem per illam, quæ nunquam excidit, charitatem, eandem videlicet in specie, quoad actum, & in numero quoad habitum, quæ erit in cælis. Et quia non tam valet in exercitio contemplationis natura, quàm gratia; magis credere debemus à feruore præeũtis dilectionis prius per discursus meditationis accensæ, lumen induci quietæ, & perfectæ contemplationis. Vnde monet Ecclesiasticus: *Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabit corda vestra.* Et ideo dixit S. Thomas, contemplationem essentialiter consistere in intellectu, tamen principium habere in affectu; & quia finis debet respondere principio, continuandam etiam esse propter affectum. Quare post gradus varios diuinæ dilectionis, de actu nunc est agendum perfectæ contemplationis: de qua tria sunt explicanda: Primum, in quo propriè consistat, ex quo etiam constabit, qua ratione distinguatur contemplatio à meditatione. Secundò, vtrum contemplatio sicut meditatio sit etiam incipientium, aut proficientium, an tantummodo perfectorum. Tertio, quamdiu possit mens nostra in ipso actu perfectæ contemplationis perdurare.

Eccl. 2. 10.
S. Thom. 2. 2. q. 180. art. 7. ad 1.

2 Circa primum ad naturam perfectæ contemplationis intelligendam, quæ est quodammodo supra naturam, doctrina Richardi S. Victoris erit obseruanda, quam eximij Theologi S. Thomas, & S. Bonauentura de hac materia differentes libenter admittunt. Distinguit autem Richardus cogitationem, meditationem, & contemplationẽ multipliciter: videlicet à principio, vnde tres huiusmodi operationes nostræ mentis procedunt, à fine ad quem singulæ diriguntur, à forma, & modo procedendi, & ab effectibus inter se varijs, ac diuersis. *Nam cogitatio,* vt ipse ait, *potissimum prouenit ab imaginatione, quæ virtus est in homine cogitatiua: meditatio est à ratione, quæ est virtus animi discursiua: contemplatio ab intelligentia, quæ mentis purior est intuitus, & quædam eleuatior nostri spiritus operatio. Cogitatio semper vaga de vno in aliud transit; meditatio circa vnum aliquod perseueranter intendit; contemplatio sub vno visionis radio ad innumera se diffundit. Cogitatio per*

Actus cõtemplationis in quo consistat.
Ric. S. Vict. l. 1. de contempl. c. 4. 5. & 6.
S. Thom. 2. 2. q. 180. ar. 3.
S. Bon. de septem itiner. ætern. itin. 4.

deuia quaque lento pede sine respectu peruentionis passim huc, illucq. vagatur; meditatio per ardua sæpe, & aspera directionis finem magna animi industria nititur; contemplatio libero volatu quocumque eam fert impetus spiritus mira agilitate circumfertur. Cogitatio est improuidus animi respectus ad euagationem pronus; meditatio est prouidus animi obtutus in veritatis inquisitione vehementer occupatus; contemplatio est perspicax, & liber animi contuitus in res perspiciendas vsquequaque diffusus. Cogitatio est sine labore, & fructu; meditatio cum labore, & fructu; contemplatio sine labore cum fructu. In cogitatione enim euagatio, in meditatione inuestigatio, in contemplatione placidissima admiratio. Cogitatio serpit, meditatio incedit, contemplatio quasi alis immotis volat, & cum voluerit in summis se librat: Hæc ferè Richardus, quamuis non hoc ordine, & breuitate. Quia verò hic de contemplatione potissimùm est agendum, vt in exemplo volatus auium persistamus, quò sæpius ad nostrum propositum vtitur Victorinus; immo etiam ad idem in Diuina scriptura legimus vsurpatum, vt cùm

Psal.54.7. dicebat Propheta Dauid: *Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, & volabo, & requiescam.* Ideo aduertere oportet, non cuicumque volatui assimilari exercitium contemplationis, sed ei, qui fit tanquam immotis alis: nam ille, qui alarum magna concussione, & multa pennarum agitatione, idest plurium ratiocinationum variatione perficitur, potius spectat ad meditationem, siue cogitationẽ, quam aliqui dictam quasi coagitationem existimarunt. Immo perfecta contemplatio magis assimilatur illi quieti, quam aues nonnullæ interdum obtinent, dum post aliqua per aërem diuerticula apertis, & quodammodo immotis alis in medio suspensæ, ac libratæ, modico aliquo tempore perseuerant. Alæ vero duæ, in hoc spirituali volatu contemplationis sunt, sicut sæpe dictum est, intellectus, & affectus: intellectus in cognoscẽda sublimi aliqua veritate occupatus, adiumento veluti pennarum, virtutis fidei, & donorum sapientiæ, intellectus, ac scientiæ: affectus verò quatenus excitatus, atque detentus admiratione, vel desiderio aliquo cælesti, gustu, delectatione, & maximè vnitiua superius explicata per suos gradus dilectione: ex qua mens vni defixa obtutui diu hæreat in eodem, ijsdemque sæpius repetitis internis vocibus, idem sine digressione secum ipsa reuoluat. Atque hoc illæ replicatæ Seraphinorum voces apud Isaiam videntur significare voluisse clamantiũ,

Isai.6.3. atque dicentiũ *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum,*

cituum; & modus ille similiter orandi Moysis, cum ad eum, per nubem Dominus descendisset: *Dominator Domine Deus, misericors, & clemens, patiens, & multæ miserationis, & verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, & scelera, atque peccata*: quæ profectò singula, atque omnia eodem, vbi semel affixa mēs hæret sine digressione reuoluũtur. Alia quoque similitudine sumpta puto ex S. Augustino ab aliquibus, actus huiusmodi contemplationis declaratur: vt si quis imaginetur in obscuræ noctis silentio, & quiete, à profundo loco de altissima turri audire se verba expectatissima proferentem; sicut dicebat Dauid: *audiam quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos, qui conuertuntur ad cor*. Simile aliquid reipsa, & non per imaginariam tantùm cogitationem aliquando sibi contigisse, testatur apud Iob Eliphas Themanites: *Porro*, inquit, *ad me dictum est verbum abscōditum, & quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurri eius, in horrore visionis nocturnæ*: tunc temporis, ait, audiuisse se vocem quasi auræ lenis. Elias quoque describitur in ostio suæ speluncæ, caput habens pallio coopertum excepisse Dei voces in sibilo auræ tenuis: *Quasi enim*, inquit S. Gregorius, *sibilum tenuis auræ percipimus, cum saporem incircumscriptæ veritatis contemplatione subita subtiliter degustamus: tum ergo verum est, quod de Deo cognoscimus, cùm planè nos aliquid de illo cognoscere non posse sentimus*. Est & alia quorumdam magis vulgaris similitudo ad explicandum contemplationis actum, & exercitium: nec deest huius comparationis vestigium in sacra Scriptura. Dicebat illa humilitatis, & fidei plenissima Cananæa à Christo Domino propterea non sine admiratione commendata: *etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum*. Modus igitur quò anima per humilitatem cordis profundissimam, multa cũ fiducia, & magna cum fide, ad actum contemplationis se ipsam componit, videtur ei similis, quò ante mensam Domini sui catellus se constituit, ceruice, & pectore eleuato, erectis auribus, oculis intentissimis; præsertim si à Domino directè aspiciatur, expectans aliquid sibi de mensa donari, clamans quasi sine voce, & postulans remissis, & interruptis gemitibus, paratus si quid dispensabitur gratissimè accipere. Hac ratione Dauid actus contemplationis non semel se exercuisse significat, vbi ait: *Defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum. Oculi mei defecerunt in salutare tuum. Et ecce sicut oculi seruorum in ma-*

Exodi 34.6.
S. Aug. lib. 7. confess. c. 10.
Psal. 84. 9.
Iob 4. 12.
3. Reg. 19. 12.
S. Greg. lib. 5. mor. c. 27.
Matth. 15. 27.
Psal. 68. 4.
Ps. 118. 123.

nibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Miserere nostri Domine, miserere nostri.

Psal.122.2.

An actus contemplationis competat incipientibus.

3 Sed videamus iam secundum quod proposuimus, an hic orandi modus, & inhærendi Deo per contemplationem sit tantummodo perfectorum, aut proficientium; nullo verò modo incipientium. Mouet hanc dubitationem alicubi S. Thomas cùm de contemplatione disputans, quærit an ad vitam contemplatiuam morales virtutes sint necessariæ, & in hæc verba respondet: *Impeditur actus contemplationis, in quo essentialiter consistit vita contemplatiua, & per vehementiam passionum, per quã subtrahitur intentio animæ ab intelligibilibus ad sensibilia, & per tumultus exteriores. Virtutes autem morales impediunt vehementiam passionum, & sedant exteriorum occupationum tumultus: & ideo virtutes morales ad vitam contemplatiuam pertinent.* Addit maximè ad contemplationem disponere virtutẽ eximiæ castitatis, sicut multum aduersatur oppositum vitium incontinentiæ, ex quo lumen rationis maximè obscuratur. Est autem hæc doctrina à sanctis Patribus, præsertim à Magno Gregorio desumpta, qui ad id exponens illa verba Iob: *Ingredieris in abundantia sepulchrum: Quid,* inquit, *sepulchri nomine, nisi contemplatiua vita designatur? Quæ nos quasi ab hoc mundo mortuos sepelit, dum à terrenis desiderijs susceptos in intimis abscondit.* Et addit, *nequaquam illum esse perfectum, qui vel propter contemplationis studium operanda negligit, vel propter operationis instantiam contemplanda postponit*: eadem fusius pertractans super Ezechielem inter cætera sic habet: *Contemplatiua verò vita est, charitatem quidem Dei, & proximi tota mente retinere, sed ab exteriore actione quiescere, soli desiderio Conditoris inhærere, vt nihil iam agere debeat; sed calcatis curis omnibus ad videndam faciem sui Creatoris animus inardescat: ita vt iam nouerit carnis corruptibilis pondus cum mœrore portare, totisq. desiderijs appetere illis hymnidicis Angelorũ choris interesse, admisceri cælestibus ciuibus, de æterna in conspectu Dei incorruptibilitate gaudere.* Quare Sanctus Bernardus in sermone tertio de Circumcisione, apertè docet esse admodum paucos, qui donum perfectè contemplationis in hac vita consequantur: neque ad illud esse aspirandum, nisi quis antea ex toto corde sæculo abrenunciet: nec inde fugiat ad eremum; sed subdat se religiosæ obedientiæ in vita communi, eligat abiectus esse in domo Dei sui, & subiectus esse Magistro, sub

S. Thom. 2.2. q.180. art.2.

S. Greg. lib.6. mor. c.17. ad illa verba Iob. 5. Ingredieris.

S. Greg. hom. 14. in Ezech.

ſub quo frangatur eius voluntas, & quotidiana mortificatione concupiſcentia reprimatur; fiatque quod ait Propheta: *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra:* diu multumque in omni genere virtutis exerceatur: *Iam verò*, inquit, *cùm in his diutius fueris exercitatus, roga dari tibi deuotionis lumen, diem sereniſſimum, & ſabbatum mentis, in quo tamquam emeritus miles in laboribus vniuerſis, viuas abſque labore.* Quæ cùm ita ſint, duo nihilominus huic veriſſimæ ſanctorum Patrum doctrinæ pro noſtro inſtituto ſunt adiungenda: Primum eſt, donum perfectæ contemplationis eſſe quidem proprium perfectorum, ideſt eorum, qui iam pridem liberum à noxis grauioribus, atque etiam à minoribus culpis frequentioribus, aut plena deliberatione commiſſis ſuarum paſſionum dominium acquiſiuerunt, vitijſque repreſſis, & virtutibus omnis generis inſertis, magna animi tranquillitate, & ſpirituali pace fruuntur. Sic tamen, vt quamuis multò facilius iſtis à Deo concedatur, quàm incipientibus, & proficientibus, de quibus ſtatim dicetur, non omnibus huiuſmodi viris alioqui perfectis ſine exceptione ſoleat conuenire. Notauit hoc in eodem ſermone S. Bernardus, cum ait: *multi tota vita ſua ad hoc tendunt, & nunquam pertendunt, quibus tamen ſi piè, & perſeueranter conati ſunt, ſtatim vt de corpore exeunt redditur, quod in hac vita diſpenſatoriè eſt negatum, illuc perducente eos ſola gratia, quò prius tendebant ipſi cum gratia, vt conſummati in breui expleant tempora multa.* Atque hæc eſt vna, & præcipua huius exceptionis ratio, diuinæ ſcilicet gratiæ ſecundum occulta eius iudicia diſpenſatio. Altera à S. Gregorio aſſignatur, naturalis ſcilicet incapacitas, & indiſpoſitio: ſunt enim aliqui mente tardiores, & intelligentia ſic obtuſa, vel ita natura inquieti, & inſtabiles, vt etiamſi aliquam meditandi formam per pias ſubinde variatas cogitationes obtinere poſſint, ad gradum tamen quietæ contemplationis, qui huiuſmodi ſunt, nunquam valeant peruenire. Et quamuis *Deus potens* ſit, vt ait Apoſtolus, *omnia facere ſuperabundanter ſupra, id quod petimus, & intelligimus*, atque adeo per ſuam gratiam reformare naturam, immutare hominis conplexionem, meliorare ingenium, aut etiam formam ſine requiſitis diſpoſitionibus in ſubiectum introducere, ſicut facit extraordinarijs miraculis aliquando: tamen communiter, & ordinariè, naturæ & ingenijs hominum ſe accommodat. Alterum hoc loco adiungendum eſt, donum contemplationis, neque ita proprium eſſe perfectorum, vt nunquam ab imperfectis vlla ex parte deguſtari poſ-

Pſal. 65. 12.

S. Bern. ſer. 3. de circumciſ.

S. Greg. lib. 6. mor. c. 27.

Ad Eph. 3. 20.

ri possit: solet enim Deus pro sua benignitate, & liberalitate etiam incipiẽtibus aliquam eius participationẽ communicare, vt sic illos blandè alliciat, & ad perfectiora pr omoueat, præsertim si diligentes sint, & quod in se est pro gradu proprio incipientium facere non prætermittant. Notauit hoc etiam ibidem S. Bernardus, vbi cùm dixisset paucos esse in hac vita, qui donum perfectæ contemplationis assequantur, adiecit: *Neque enim si quis aliquando videtur hanc habere perfectionem, continuo credat sibi necesse est: maximè si nouitius est, nec per præfatos ascendens gradus; plus enim Dominus noster Iesus Christus pusillos corde blanditijs talibus solet allicere. Sed nouerint, qui huiusmodi sunt, gratiam hanc præstitam sibi esse, non datam, vt in die bonorum memores sint malorum, & in die malorum, non immemores sint bonorum. Longè tamen aliter, qui exercitatos habent sensus deuotionis, huius fœlicitatis fruuntur iucunditate.* Hæc S. Bernardus; ex qua doctrina intelligimus, si de imperfecta huius doni participatione loquamur, non esse à statu incipientium, ne dum proficientium omnino alienum, aliquid de illo experiri, atque etiã velle inter meditandum ex eo non nihil data opera degustare, præsertim rẽ cõsiderando ex parte nostri intellectus, qui non semper nouis discursibus, & variatis, vt fit in meditatione ratiocinationibus est fatigandus, sed præstat interdum detineatur in vna aliqua veritate admiranda, ponderanda, exaggeranda: quin etiã ex parte volũtatis, quæ in incipientibus quoque exerceri debet actibus diuini amoris, sine quibus perfecta ad Deũ conuersio esse nõ potest. Huiusmodi verò actus propriè ad viam pertinent vnitiuam, & in ijs morari, est aliquid de quiete contemplationis participare. Quare S. Bernardus, vel quisquis est auctor epistolæ ad Fratres de mõte Dei inter opera S. Bernardi, contemplatiuam orationem ita definit: est hominis Deo adhærentis affectio, & familiaris quædam, & pia allocutio, & statio illuminatæ mentis ad fruendum Deo, quàm diu licet.

S.Bern. ser. 3. de circum.

Epist. ad frat. de monte Dei. S.Ber. vel potius Gugl. Abbat. de S.Theodorico.

Quam diu cõtinuari possit actus contemplationis.

4 Sed iam tertium hoc superest explicandum, quamdiu, siue quanto tempore in actu continuato contemplationis perdurari possit. Qua de re sæpe tractans S. Gregorius occasione expositionis variorum sacræ scripturæ locorum, admodum breue hoc tempus esse solere significat. Inprimis enim expendens illa verba apud Iob: *& quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurri eius. Venas,* inquit, *superni susurri auris cordis furtiuè suscipit, quia subtilitatem locutionis intima afflata mens, & raptim,*

S.Greg. lib. 5. mor. c. 20. in c. 4. Iob.

ptim, & occultè cognoſcit. Poſtea circa verba illa ſequentia in eodem capite Iob: *Et cùm ſpiritus me præſente tranſiret: Nobis*, inquit, *præſentibus ſpiritus tranſit, quando inuiſibilia cognoſcimus, & tamen hæc non ſolidè, ſed raptim videmus: neque enim in ſuauitate contemplationis intimæ diu mens figitur*. In quadam verò homilia ſuper Ezechielem vix ad ſpatium horæ dimidiæ poſſe à nobis continuari actum contemplationis ſignificat, accommodans ad propoſitum illud Apocalypſis: *factum eſt ſilentium in cælo quaſi media hora: cælum quippe eſt anima iuſti*, ait S. Gregorius, *ſicut per Prophetam Dominus dicit: Cælum mihi ſedes eſt: Et cæli enarrant gloriam Dei. Cùm ergo quies contemplatiuæ vitæ agitur in mente, ſilentium fit in cælo, quia terrenorum actuum ſtrepitus quieſcit in cogitatione, vt ad ſecretum intimum aurem animus apponat. Sed quia hæc quies mentis eſſe in hac vita perfecta non poteſt, nequaquam hora integra factum in cælo ſilentium dicitur, ſed quaſi media hora, vt neque ipſa media hora plenè ſentiatur, cùm præmittitur, quaſi; quia mox vt ſe animus ſubleuare cœperit, & quietis intimæ lumine perfundi, redeunte citius cogitationum ſtrepitu, de ſemetipſo confunditur, & confuſus cæcatur*. Hoc idem quod docet S. Gregorius videtur reſpexiſſe S. Bernardus agens de amore Dei vnitiuo in actu perfectæ contemplationis, cùm ait: *Hic eſt finis, hæc eſt conſummatio, hæc eſt perfectio, hæc eſt pax, hoc eſt gaudium in Spiritu ſancto, hoc eſt ſilentium in cælo. Quamdiu quippe in hac ſumus vita hoc fœliciſſimæ pacis ſilentio in cælo, ideſt in anima iuſti, quæ ſedes eſt ſapientiæ, aliquando fruitur affectus: ſed hora eſt dimidia, vel quaſi dimidia, intentio verò de reliquis cogitationibus diem feſtum perpetuum agent tibi*. Non eſt tamen horum Patrum ea ſententia, vt velint omnino intra horæ vnius medietatem ſummum huius continuatæ actionis ſpatium pro quolibet circumſcribere, ſed tantum ſignificare indefinitè voluerunt valde breue illud tempus eſſe ſolere. Huius rei hanc reddit S. Thomas rationem: quia etiamſi vita contemplatiua ſecundum ſe diuturnior ſit, quàm actiua, verſatur enim circa incorruptibilia, & immobilia; vnde dictum eſt in Euangelio de illa: *optimã partem elegit ſibi Maria, quæ non auferetur ab ea*: immo etiam ſecundum nos eſt in ſe diuturnior, quàm actiua, quia competit nobis vita contemplatiua ſecundum intellectum, & ſpiritum immortalem, nec in ea ſicut in actiua, membra moribundi corporis fatigantur. Tamen loquendo non de vita ipſa contemplatiua, quæ multas complectitur operationes,

ſed

S. Greg. lib. 5. mor. c. 23.

S. Greg. ho. 15. in Ezech. idẽq. repetit. lib. 30. mor. c. 12.

Apoc. 8. 1.

Iſai. 66. 1.

Pſal. 18. 1.

S. Bern. lib. de amore Dei c. 4.

S. Thom. 2. 2. q. 180. art. 8. in corp. & ad 2.

Luca 10. 42.

ſed de vnico illo actu proprio, Deum contemplandi, eique ſine diſcurſibus intellectus fixo intuitu, & vnitiuo dilectionis affectu inhærendi, in hoc ait nos non poſſe multum durare, *quia nulla actio*, inquit S. Thomas, *poteſt diu durare in ſui ſummo: ſummũ autem contemplationis eſt, vt attingat ad vniformitatem diuinæ contemplationis*. Hæc S. Thomæ doctrina deſumpta eſt à ſancto Dionyſio Areopagita, qui in libro de diuinis nominibus circa exercitium contemplationis tres motus noſtræ mentis aptè diſtinguit: obliquum, rectum, & circularem; obliquum per vagum proceſſum ad diuerſa; rectum de vno in aliud ſine obliquitate tendentem; circularem verò circa idem quaſi centrum, ſimplicem, & per omnia vniformem, Dei (quantum homini fas eſt in hac vita) ſummam fœlicitatem imitantem: quæ in eo ſita eſt, vt ſemper ſine vlla viciſſitudine intelligat, velit, ametque ſe ipſum, & omnia propter ſe: *quoniam ab ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*. Hoc autem eſt nobis perquam difficilè in hac vita, tum ex parte intellectus, tum ex parte affectus, tum etiam ex parte ſenſus. Ex parte primùm intellectus, quippe qui multum debet eleuari pro tali actione ſupra ſe ipſum, & ſupra connaturalem ſibi ſpeculandi modum, per ſex gradus ſubtiliter à Richardo Victorino in primo libro de Contemplatione recenſitos: quorum primus ponitur perceptio ſenſiblium, ſecundus à ſenſibilibus progreſſus ad intelligibilia, tertius dijudicatio ipſorum intelligibilium, ſed iuxta ſenſibilia, quartus abſoluta conſideratio intelligibilium, in quæ tamen per ſenſibilia deuenitur, quintus contemplatio intelligibilium, quæ non poſſunt per ſenſiblia inueniri, quamuis poſſint per rationem capi, ſextus denique gradus omnium ſublimior, & in contemplatione ſupremus eſt ſpeculatio purè intelligibilium, quæ ratio non poteſt capere, ſicut non potuit inuenire: qualia ferè ſunt, quæ de intimis trium increatarum perſonarum reſpectibus, relationibus, proprietatibus, notionibus, proceſſionibus, & de toto arcano myſterio ſanctiſſimæ Trinitatis, relictis quodammodo ſenſibus, & eorum, quæ ſub ſenſum cadunt, conceptibus abnegatis, ſuſpenſis quoque omnibus diſcurſibus, ſimplici, & defixo mentis intuitu, illuſtrata ſupernaturali lumine, & maximè ſapientiæ dono intelligentia percipiuntur. Quòd ſi experientia ſatis didicimus in contemplationibus ſcientiæ naturalis, inuenta per diſcurſum præſtanti aliqua veritate, non poſſe nos ad horam vel dimidiam in ea ſpeculatione quieta mente conſiſtere, ſed poſt modicum temporis cogi mentem aliò deflectere, ſaltem

S. Dion. de diu. nom. c. 4.

Ad Rom. 11. 36

Prima difficultas continuãdi actum contemplationis ex parte intellectus.

Ricar. S. Vict. lib. 1. de contempl. c. 6.

per

per aliquam ratiocinationem erga eandem veritatem per plura principia, vel plures causas, vel alios effectus, distinctas proprietates, noua exempla, & comparationes melius apprehendendo, & aliquid aliud circa illam ipsam veritatem intelligendo: multò magis vbi operatio intellectus est adeo eleuata supra seipsam, & supra sibi connaturalem intelligendi modum, & in sui summo, vt dixit S. Thomas, constituta. Secundùm caput difficultatis est, ex parte nostræ voluntatis magis liberæ in seipsa, quàm sit intellectus; libertas siquidem intellectus in eo solùm est posita, vt sine coactione moueatur ad hoc, vel illud cognoscendum à libero principio voluntatis. Vnde facilius poterit euenire, vt nolit voluntas intellectum ad plura intelligenda vagari, sed malit in vna aliqua veritate contemplanda, & admiranda aliquamdiu detineri, ipsa tamen pro sua libertate malit sub illo vno fixo intuitu intellectus varios suos affectus permutare; nam si circa idem obiectum vtraque potẽtia occupetur, benè fieri hoc potest, nũc eliciendo affectus diuini amoris, nunc fiduciæ, nunc reuerentiæ, nunc timoris. Et hoc inquam faciliùs est, quam immoto mẽtis intuitu, immotam etiã circa illud ipsum obiectum cognitum detinere liberrimam in se voluntatem, quæ donec aperta Dei visione ex toto per amorẽ, & fruitionem adhæreat summo bono, sicut flamma extra suam sphæram elementarem inter contraria constituta, inquieta est semper, & nouam ambiens materiam versatur in perpetua commotione. Est & tertium caput difficultatum ex parte sensus: nam huiusmodi perfectæ contemplationis exercitium magnam requirit animi puritatem, passionum vacuitatem, & pacatæ mentis iuxta ipsam quoque naturalem corporis constitutionẽ tranquillitatem, atque animi à perturbatis phantasmatibus serenitatem; quam etiam viri sancti, & valde perfecti non possunt semper, vt vellent, & quamdiu vellent pro otio sanctæ contemplationis obtinere, sicut testatur S. Augustinus cum Deo loquens de seipso. *Et aliquando*, inquit, *intromittis me in affectum multum inusitatum introrsus ad nescio quam dulcedinem, quæ si perficiatur in me, nescio quid erit, scio quòd vita ista non erit. Sed recido in hæc, erumnosis ponderibus, & resorbeor solitis, & teneor, & multum fleo, sed multum teneor. Tantum consuetudinis sarcina degrauat. Hic esse valeo, nec volo: illic volo, nec valeo, miser vtrobique*. Est autem quod hìc dicimus accipiendum iuxta ea, quæ infirmæ naturæ nostræ conueniunt, cui ordinariè diuina gratia se accommodat: quamuis fauoribus

Secunda difficultas continuandi actum cõtẽplationis ex parte voluntatis.

Tertia difficultas ex parte sensus.

S. Aug. lib. 10 confess. c. 40.

qui-

quibusdam extraordinarijs, mirabilia in seruis suis, etiam in ipso initio conuersionis non raro Deus operetur. Noui ego ex hoc numero quendam, qui cum se meditationi traderet ad horam, non vlterius in illo exercitio processurus, ex meditatione perductus insensibiliter ad contemplationem, vltra tertiam horam aliquando procedebat, neque id nisi à me interturbatus adhuc aduertebat. Alter mihi etiam non ignotus animo solùm per quartam horæ partem meditandi, tota nocte inaduertenter in contemplatione gloriæ beatorum perdurauit. Et de Societatis nostræ Parente Ignatio legimus in ipsis suæ conuersionis exordijs aliquando à Completorio Sabbati, vsque ad alterius Sabbati Completorium, per totam videlicet hebdomadam in ecstasi adeo abalienata à sensibus mente propter contemplationem iacuisse, vt iam de sepulchro agendum fuisset, nisi ex modica palpitatione cordis in illo vitæ reliquias deprehendissent. Sed admiranda potius sunt ista, quàm imitanda, & de vsu sensuum, quomodo contemplationi deseruiat mox dicemus.

B. Aloysius Gonzaga.

Lib. 1. Histor. Soc. n. 28.

CAPVT SEXTVM.

De contemplatione quæ fit sine vsu, vel applicatione sensuum.

Refellitur vt ficta contemplatio, sine internarum animæ potentiarum vsu.

Ioan. Taulerus in suis instit. c. 12.

1 DE ea primùm contemplationis forma, & ratione, quæ fit sine vsu, & applicatione sensuum hic dicemus; tum de illa, quæ fit cum applicatione sensuum in capite sequenti. Et de hac primùm, quæ fieri dicitur sine vsu sensuum, quædam erunt præsupponenda potius, quàm operosius disputanda. Ante omnia verò decipi eos auctores existimamus, qui de mystica theologia scribentes putant, aut putare interdum videntur, altissimum gradum contemplationis illum esse, in quò mens orantis adeo suspensa circa Deum, & res diuinas modo quodam spirituali inuenitur, vt nihil non solum sensu, sed neque intellectu, neque voluntate operetur, expectans tantummodò, & audiens quid in ea loquatur Dominus Deus: quam orandi rationem ipsi vocant silentium, somnum, & quietem. At nullum profectò sic opinandi argumentũ ab vllius experientia, quantumuis id ipsi maximè prætendant,

habere

habere potuerunt. Quis enim eius rei proferat experientiam, cuius neque sensus extitit, neque notio aliquando, & consequẽter neque memoria esse potuit, neque reminiscentia? Nullus siquidem nisi eorum, quæ prius aliquo modo nouit, postea per memoriam reminiscitur. Sed verba S. Dionysij Areopagitæ de hac materia Timotheo scripta in libro de mystica theologia male ab aliquibus intellecta, huic opinioni occasionem aliquam præbuerunt. Neque id mirum, sunt enim valde mysteriosa, & perobscura, de quibus propterea sic ipse legentem admonuit: *vide autem ne quis eorum, qui non sunt initiati sacris nostræ Religionis hæc audiat*. Deinde, pro re nostra, hæc ipsius sunt verba: *Tu autem Timothee carissimè pro maxima mysticorum spectaculorum exercitatione, qua vales, prætermitte sensus, & mentis actiones, eaque omnia, quæ sub sensum cadunt, & animo cernuntur, & quæ non sunt, & quæ sunt omnia, teque ad eius, qui omnem essentiam, omnemq. scientiam superat coniunctionem, & vnitatem pro virili parte clam excita; libero enim solutoque, ac liquido à te, & ab omnibus discessu ad diuinarum tenebrarum radium, qui omni essentia superior est, contendes.* Et addit ad finem capitis, quòd ita vir contemplatiuus in verè mysticam ignorationis caliginem irrepit, in qua omnis cognitionis subsidia deponit, atque in eo fit, qui penitus tractari, viderique non potest, totus eius, qui superat omnia, nec vllius, nec suus, nec alterius, sed ei, qui omnino incognitus est, omnis cognitionis cessatione præstantiori modo coniunctus, atque hoc ipso, quòd nihil cognoscit, mentem etiam cognoscendo vincit, & superat. Ita loquitur de hac materia S. Dionysius: nihilominus tamen quàm sit contra mentem ipsius prædictorum verborum interpretatio, de vacuitate omnium internarũ animæ operationum, intellectionum, & affectionum, pro exercitio perfectæ contemplationis, satis ostendere potuerunt modi illi loquẽdi, quibus virum contemplatiuum adhortatur, vt se excitet ad vnitatem, & coniunctionem cum Deo, irrepat in diuinam caliginem, & ad radium diuinarum tenebrarum liquido cursu contendat. Hæc autem fieri sine motibus internis affectus, & intellectus nequaquam posse, nimis est manifestum. Nisi fortè audire quis possit intra seipsum, quid in eo loquatur Deus, & non intelligere, aut intelligere, & intellectu nihil operari, aut Deo per affectum sine vllo affectionis, idest voluntatis motu coniungi. Quare quod de caligine, de tenebris, de ignoratione, de actionibus sensus, & mentis prætermittendis, de cognitionis

S. Dion. lib. de mystic. Theol. cap. 1.

subsidijs

ſubſidijs relinquendis S. Dionyſius affirmauit, ſic eſt accipiendum, vt in alta de Deo, & de diuinis perfectionibus contemplatione, ſenſus non ſolum externi cohibeantur, ſed etiam interna phantaſmata rerum creatarum, & cogitationes de huiuſmodi rebus omnes abigantur, & ad ſolùm Creatorem mentis intentio dirigatur, diſcurſus per ambages rationum deſerantur, & ſimplicis ſuſpenſæ in admirationem mentis intuitu veritas apprehendatur: relinquantur etiam illæ, quæcumque ſint, ſiue ſyllogiſticæ, ſiue ſimplices mentis actiones, quæ à propria virtute naturali, & humano ſpiritu proficiſcuntur. Nam alta cōtemplatio motionibus tantū Spiritus sācti iuxta dona ipſius perficitur, per quæ dona nō tam agit anima contemplatiua quaſi cauſa ſecūda, quàm vt inſtrumentum Dei agitur, ſuper regulas propriæ etiam infuſæ prudentiæ; & eſt patiens diuina, ſicut ex eodem Areopagita fuit à nobis alibi explicatum. Illud quoque contemplans diuina, opus eſt bene intelligat; plura eſſe, quæ non intelligit, & quæ illi ſunt in luce contemplationis obſcura, & melius innoteſcere quid non ſit Deus, quam quid ſit: ideo melius per negationes omnium creatarum perfectionum, quàm per affirmationes ad altiſſimas Dei perfectiones intelligendas aſcendendum. Quia res creatæ quæcumque propter magnam ab illo infinito eſſe diſtantiam, & multiplices defectus, quantūnis perfectæ eſſe videantur, Deo tamen comparatæ plus habent cum ipſo diſſimilitudinis, quàm ſimilitudinis. Et hoc eſt quod ad finem capitis ſubiunxit Areopagita. *Ab extremis ad prima, & principalia aſcendendum, & omnia tollenda, vt ſine integumentis agnoſcamus ignorationem illam, quæ ab omnibus rebus, quæ ſcientia comprehenduntur in ijs, quæ ſunt, occultata eſt, caliginemque illam cernamus eſſentia ſuperiorem, quæ ab omni luce, quæ in rebus ineſt occulitur.*

Neque poteſt dari amor cōtemplatiuus ſine actu præuio intellectus.

2 Secundò præſupponere etiam debemus, minus quidem fuiſſe deceptos, ſed tamen non parum deceptos, qui S. Dionyſium de myſtica theologia ſic interpretati ſunt, vt quamuis ipſe non negauerit pro alto contemplationis gradu motus voluntatis, & diuini amoris affectus vnitiuos, ſatis enim clare in verbis ſuperius allatis Timotheum adhortabatur ad perfectam cū Deo coniunctionem, & intimam animi ſui cum illo vnionem; nec vnquam dixit in contemplatione relinquendos affectus, vel operationes voluntatis: quia tamen dixit relinquendos ſenſus, diſcurſus, & operationes intellectus, putant ex hoc ſignificare voluiſſe perfectam contemplationem in ſolo affectu diuini amoris,

ris,& operatione vnitiuæ voluntatis debere consistere, sine alia cooperatione sensus, vel intellectus. At (sicut alibi iam diximus, & dicendum est sæpius, quia frequenter ingeritur à quibusdam mysticis hæc doctrina) non solum de lege ordinaria, vel naturaliter, sed neque de potentia Dei absoluta, vel supernaturaliter fieri potest, vt amet voluntas, quod nullo modo mentè apprehenditur, vel non cognoscitur ab intellectu. Si enim potentia voluntatis moueri posset propter ignoratum finem, qui non mouet, nisi apprehensus, ita moueretur, vt in nullum ferretur obiectum; nec assignari ratio posset, cur id potius intendat, aut velit, quàm illud; cur sicut vult bonũ, quia bonum, ita non possit velle malũ, quia malum: de quo etiamsi aliqui dubitarunt, est tamen contra illud receptissimũ eiusdem S. Dionysij axioma: *Nemo intendens ad malum operatur*; posset voluntas ferri in obiectum nulla in eo apprehensa conuenientia, vel disconuenientia, bonitate, vel malitia: quã opinionem nõ immeritò quidam affirmauit, stultam videri. Propterea in definitione voluntarij cognitionem esse includendam Aristoteles existimauit, cùm dixit: *Voluntarium est cuius principium est in eo, qui agit cognoscẽte singula, in quibus actio consistit.* Quã definitionẽ etiam SS. Gregorius Nissenus, & Ioannes Damascenus approbarunt. Quare sicut non potest esse actio voluntaria, si non sit aliquo modo à potentia interna voluntatis, ita si non sit ab obiecto alliciente sua bonitate ad se voluntatem: quæ bonitas non propterea mouet, quia est à parte rei, sæpe enim re ipsa nihil existit; sed mouet secundum esse, quod vocant obiectiuum, idest cognitum, & mente conceptum, dum siue sit, siue non sit, tamen à parte rei esse iudicatur. Sed etiamsi cõcederemus contra commune axioma posse voluntatem ferri in incognitum, & bonum amare nulla ratione sibi notum, adhuc intelligi non posset in tali amoris actu ratio libertatis; ac proinde nec meriti, nec laudabilis honestatis. Quis enim vsum libertatis admittat sine vsu liberi arbitrij? quis vsum liberi arbitrij sine potentia arbitrandi? quæ est intellectus, in quo radicatur, & à quo habet originem dominium voluntatis. Atque hinc est quòd spontaneum, voluntarium, liberum, deliberatum sine varijs gradibus cognitionis nec explicare, nec intelligere sapiẽtes potuerũt: apud quos illud spontaneum dicitur, quod à principio mouetur intrinseco, vt lapis descendens sua grauitate deorsum, etiamsi absque vlla termini ad quem tendit cognitione moueatur: quod si adsit aliqua cognitio sensitiua, vt cùm volat auis ad suum

Lib. 3. c. 1. & 2

S. Dion. c. 4. de diu. nom.

Gabr. Vasq. 1. 2. to 1. disp. 31 cap. 1.

Arist. 3. ethic. cap. 1.

Gregor. Nissenus, siue Nemesius lib. 5. Phil. c. 3.

Massut. de cælesti conuersat.

quem procul intuetur, aut imaginatur, nidum, motus magis dicitur esse spontaneus, & ab aliquibus etiam dicitur participare aliquid de voluntario: propriè tamen nō est actus voluntarius, nisi à principio vitali interno procedat cum cognitione perfectiori, quàm sensitiua, nempe rationali, vel intellectiua: sed vt actio sit libera perfectiorem adhuc requirit intellectus cognitionem, cum quadam iudicij indifferentia. Vnde sæpe accidit, vt primi motus nostræ voluntatis ex apprehensione subita rei alicuius delectabilis, antequam mens possit aduertere rationem incommodi, vel inhonesti, nullius sint meriti, vel culpæ; quia liberi non sunt, etiamsi maximè spontanei, & voluntarij: qui tamen motus in eàdem voluntate continuati crescente aduertentia intellectus, etiamsi intrinsecè non variati, liberi esse incipiunt, & cùm plena fuerit aduertentia etiam reddentur deliberati. Præterea quamuis concederemus huic ecstatico amori rationem perfecti voluntarij, liberi, ac deliberati; adhuc tamen non posset intelligi quomodo priuatio omnis præuiæ, & comitantis cognitionis ad excellentiam, siue ad perfectionem ipsius pertineret. Amor enim Sanctorum beatificus omnium sine dubio est perfectissimus, & tamen non propterea postulat esse solus sine vlla operatione intellectus: immo ab intuitiua Dei cognitione, tanquam à suo fonte, causa, & perfectione, essentiali subordinatione dependet: *Quoniã apud te est fons vitæ*, dicebat Dauid, *& in lumine tuo videbimus lumẽ*; ideo inebriabũtur beati ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis amoris illius potabuntur. Nec est quòd aliquis dicat, proprium hoc esse illius beatificæ visionis, vt propter suam perfectionem, amoris diuini perfectionem nihil impediat: erat enim in anima Christi Domini amor non solùm beatificus procedens à Dei visione, tamquam comprehensoris; sed etiam alius amor perfectissimus tamquam viatoris extra visionem, qui tamen non excludebat, sed maximè exigebat aliam sibi præuiam amabilis Dei cognitionem. At fortè dicent hanc Dei cognitionem in anima Christi fuisse per scientiam infusam, non verò sicut est nostra subobscura per fidem, qua caruit anima Saluatoris. Sed quid de anima dicetur Beatissimæ Virginis, quæ licet adhuc in vita mortali scientiam habuerit infusam, quia tamen non dum clara Dei visione fruebatur, minimè caruit fide? neque propterea ad explicandam eius perfectissimam contemplationem vllus sanctorum Patrum eius amorẽ nobis proposuit sine vlla præuia diuinarum rerum cognitione, neque id vllibi scripturæ diuinæ significarunt, quæ

Psal. 35. 10.

potius

potius dum loquuntur de quorumdam eminenti dono, & exercitio contemplationis, vt Moysis, Eliæ, Pauli, & Ioannis Euangelistæ, id non nisi per illuminationes, illustrationes, reuelationes, visiones, & similes intellectus eleuatas operationes eis contigisse docuerunt.

3 Tertiò præsupponẽdum est, adhuc minus fuisse deceptos, re tamen vera deceptos, qui censuerunt perfectam contemplationem includere quidem operationem vtriusque nostræ potentiæ spiritualis, voluntatis videlicet, & intellectus; excludere tamen operationes sensus: ita vt anima tunc in supremo contemplationis gradu constituatur, cùm in Deo absorpta oculis non videt, auribus non audit, totó corpore non sentit, phantasia nihil imaginatur, nec alius sensus, siue internus, siue externus, influxu animæ sibi subtracto, quidquam operatur: & hoc esse, quod S. Dionysius affirmauit: proprium esse diuini amoris ecstasim facere: nullibi autem melius amor diuinus, quàm in alta contemplatione prodit in actum suum. Sed si de perfectissima contemplatione absolutè loquendum sit, quis poterit dubitare illam Sanctorum in æterna beatitudine, vbi non per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem singuli Beati Deum contemplantur, omnium esse perfectissimam? quæ tamen non propterea sic ecstatica est, vt vsum sensuum eripiat, vel aliqua ex parte impediat corpori glorioso. Iam verò si quis dicat hanc esse mortalis nostri corporis conditionem: & propterea sanctum Paulum raptum vsque ad tertium cælum dixisse de illa altissima sua contemplatione, se nescire vtrum in corpore, an extra corpus acciderit; tunc proferre in contrarium possumus exemplum excellentius Christi Domini, cuius anima sacratissima in corpore adhuc mortali clara Dei visione perpetuo fruebatur, & præterea per scientiam infusam sæpe vacabat altissimæ contemplationi: neque tamen vnquam sacra scriptura significat ad huiusmodi spiritus eleuationes Christum Dominum alienationes à sensibus pati consueuisse, quæ alioquin valde frequentes in illo, sicut contemplationes, esse debuissent. Nisi fortè aliquis irrationabiliter opinaretur quoties inter meditandum Christus aliquo interno, vel externo sensu vtebatur, id non nisi speciali miraculo fieri debuisse. Quòd si perpetua visio intuitiua diuinæ essentiæ, & replicatæ tot mentales operationes per infusam scientiam sine vlla prorsus à corpore, vel à corporeis phantasmatibus dependentia, non ita destitutos ab operationibus naturalibus animæ sensus relinquebant, vt eos torpentes

Perfecta contemplatio ex se non excludit vsum sensuum internorum.

S. Dion. c. 4. de diu. nom.

1. Cor. 12. 2.

redderent, aut suspensos, vel otiosos; multo minus id euenire debebit in contemplatione nostra naturali, hoc est, quæ fit gratia quidem adiuuante, sed modo connaturali animæ vnitæ corpori corruptibili, per species abstractas à corporeis phantasmatibus, & per conuersionem ad ipsa phantasmata: sine quibus quàm sit nobis naturaliter impossibile quidquam intelligere, pluribus accommodatis similitudinibus S. Gregorius Nazianzenus exposuit: *Nam quemadmodum*, ait, *nulla ratione fieri potest, vt quispiam quàlibet gressum vrgeat, vmbram suam prætereat, quantùm enim eam assequeris, tantùm etiam illa semper anteuertit: aut oculus rebus in aspectum cadentibus citra intermediam lucem, & aërem coniungatur: aut natatilia animantia extra vndas labantur: ita etiam impossibile est ÿs, qui corporibus inclusi sunt, sine corporearum ac sensibilium rerum adminiculo rebus ÿs, quæ animo, ac ratione intelligunt omnino coniungi. Semper enim obiter sensibile aliquid incidit, quamuis maximè nostra mens à rerum spectabilium contagione separata, atque in se ipsam collecta cum rebus cognatis oculorum aciem fugientibus commertium habere conetur:* hæc Nazianzenus. Quare contemplatio sine vsu, & applicatione sensuum, de qua hic agimus, non est illa in qua omnes sensus tam interni, quàm externi à suis functionibus impediuntur, vel suspenduntur: hæc enim miraculosa valde res est, & admodum rara, nec ferè sine magna vtilitate publica, & singulari priuilegio concessa; sicut Apostolo Paulo, cuius anima tunc adeo non operabatur per corpus, vel circa corpus; vt ipse dixerit, se nescire vtrum esset in proprio corpore, an extra illud. Et huiusmodi animi per contemplationem eleuationes à Deo postulare, procurare, vel desiderare magnæ superbiæ, ac præsumptionis est, & expositum maximis deceptionibus, ac dæmonum illusionibus. Solùm igitur de illa sensuum abnegatione, & abstractione hic loquimur, quæ in eo consistit, vt vsus sensuum externorum quasi ex toto, pro illo contemplationis tempore relinquatur, id enim sine miraculo bene fieri potest: deinde vt interni non diuagentur, sed coerceantur, & ad sola spiritualia modo spirituali quantùm fieri potest percipienda, per gradus inferius explicandos restringantur. Atque hanc esse illam ecstasim ostendemus, de qua dixit Areopagita: *est autem faciens ecstasim diuinus amor*, & in sacra scriptura septem nominibus in vniuersum significatur: appellatur enim quies, otium, silentium, solitudo, somnus, mors, & sepulchrum; ad septem huiusmodi contemplationis gradus indicandos,

S. Greg. Nazianz. or. 2. de Theolog.

2. Cor. 12. 2.

S. Dion. c. 4. de diu. nom.

dos, de quorum singulis nunc breuiter disseremus.

4 Primus itaque contemplationis gradus nomine quietis in diuina scriptura significatur. Est quies opposita inquietudini, cum qua nullus neque primum huius cælestis sapientiæ gradum poterit obtinere. Vnde S. Gregorius ad id verba illa Iob interpretatur: *Ibi impij cessauerunt à tumultu, & ibi requieuerunt fessi robore.* Notat autem Sanctus Doctor in his verbis sermonem antea institutum de diuina luce; neque tamen sequi: in illa luce requieuerunt, sed ibi; sicut etiam cùm in Psalmo Dauid de æternitate Dei antea dixisset: *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient,* statim adiunxit: *filij seruorum tuorum habitabunt ibi.* Quia nimirum Deus sanctis suis lux est mentis, requies animæ, locus delitiarum, & habitatio æternitatis, quam ibi possident per claram visionem, hic degustant aliquo modo per contemplationem: sed non nisi cessante primùm inquietudine malæ conscientiæ, *quia non est pax impijs*, dicit per Isaiam Dominus; deinde sedato tumultu, ac perturbatione passionum, fracta, & superata tyrannide vitiorum, adeptione omnium virtutum in statu perfecto. Vt verè dici de illis possit: *Ibi olim impij, nunc autem pij cessauerunt à tumultu, & ibi requieuerunt fessi robore: Quia,* inquit S. Gregorius, *quò iusti robustius æterna appetunt, eò à temporalibus salubri defectione lassantur. Hinc Psalmista amoris sui robore fessus dicebat: defecit in salutare tuum anima mea: in salutare enim Dei proficiendo defecerat, quia æternitatis lucem desiderans à carnis iam fiducia fractus anhelabat. Hinc rursum dicit: concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini: qui nimirum cùm diceret concupiuit, rectè subdidit, & defecit; quia valde minor est diuinitatis concupiscentia, quam non mox etiam proprius sequitur defectus. Qui enim ad appetenda æternitatis atria ascendit, dignus profectò est, vt ab hoc temporalitatis amore lassetur, vt tantò frigescat ab studio sæculi, quantò surgit ardentior in amorem Dei.* Sed in quò differat hic gradus à sequenti iam prosequamur.

Primus gradus contemplationis cur dicatur quies.

Iob.3.17.

S.Greg. lib.4. mor.c.30.

Psal.101.29.

Isai.48.33.

Psal.108.81.

Psal.83.2.

5 Est autem secundus contemplationis gradus nomine otij significatus, & in eò à primo distinguitur, quòd eleuatiores requirit animæ operationes, & dispositiones præstantiores. Otiũ enim negotio opponitur, at verò quies inquietudini, vt dicebamus: inquietudo autẽ mala res est, negotium res est indifferens, aut non semper mala, sæpe etiam bona. Quare licet pro primo contemplationis gradu sufficiat internos sensus intelle-

Secundus gradus contemplationis cur otium appelletur.

ctui subordinatos in officio continere, ne perturbatis rerum mundanarum phantasmatibus orantis animus, veluti agitatum aquæ vas, radios superni luminis quietè non excipiat; sensus quoque externos oporteat cohibere, quorum vsus, & applicatio huic spirituali exercitio non solùm nihil inseruit, sed magis impedit internam attentionem: vnde si multum hæc attentio perficiatur, tota cesset in sensibus externis attentio necesse est, & naturalis quædam ecstasis in illis absque miraculo interdum subsequetur. Tamen adhuc huiusmodi quies non sufficit pro secundo gradu, & otio sanctæ contemplationis, à quò non solùm remouendæ sunt inquietudines externæ, & internæ perturbationes, mentis euagationes ad sæcularia, & mundana; verùm etiam bonæ alioquin, & honestæ cogitationes, quæ per modum excursionis, & negotiationis mẽte voluuntur; & persistendũ erit in illo sanctæ mentis otio, omni negotio sublimiori, & conducibiliori. Ad quod Timotheum suum S. Dionysius hortabatur, cum diceret: hac via sensim irrependum in diuinæ ignorationis caliginem, vbi relictis subsidijs cogitationum, & laboriosis circuitionibus rationum, animus placidè conquiescat. Et hoc est vacare, & videre, quàm suauis est Dominus.

S. Dion. lib. de Myst. theolog. cap. 7.

Tertius gradus contemplationis cur dicatur silentium.

6 Hinc ad tertium gradum proceditur, silentij nomine denotatum, ex quo aliquid plus, quàm appellatione quietis, & otij significatur; per quietem enim inquietudo remouetur, per otium quodcumque negotium, per silentium verò etiam collocutio, quæ otio, & quieti non est vsque adeo contraria. Duplex autem cùm sit locutio, vna externa, altera interna, de externa, idest oris locutione certum est ad proprium actum contemplationis, qui totus spiritualis est, & internus, eam non pertinere. Interna vero locutio adhuc est distinguenda, vel enim exercetur cum creaturis, vel cum Deo omnium Creatore: illa quæ exercetur cum creaturis, immo etiam, quæ est de creaturis ab hoc gradu contemplationis tota secernitur. Qui enim in illo actu mentis est constitutus, ea quæ infra se habet, vel etiã circa se, omittit cogitare, solùm autem illa considerat, quæ habet supra se. Vt propterea de tali videatur dixisse Ieremias: *sedebit solitarius, & tacebit, quia leuauit se supra se: ponet in puluere os suum*; ac si dicere voluisset: mente transcendet vir contemplatiuus seipsum, relinquet omnium rerum creatarum cogitationes, solum illum, qui est super omnia contemplabitur, & tantæ maiestatis admiratione correptus, quasi ponens in puluere os suum, efformare verba minus poterit, quàm qui dicebat:

Ierem. thren. 3, 28.

loquar

loquar ad Dominum meum, cùm ſim puluis, & cinis. Tacebit itaque, & in ſilentio præſtolabitur, vt in ſe loquatur Dominus Deus verbum dignationis, verbum abſconditum,& excipiet venas ſuſurri eius. Quamuis autem neceſſe ſit omnis vera actio habeat ſuum terminum illa productum, qui terminus in actione intelligendi verbum eſt mentis: *nam omne intelligere creatum*, ait S. Thomas, *propriè loquendo eſt dicere, ideo aliter non poſſumus intelligere, niſi exprimendo talem conceptionem, quæ eſt verbum*; quia tamen in actu contemplationis per dona ſancti Spiritus, ſapientiæ, & intellectus, quibus, vt alibi explicatum eſt, agimur potius, quàm agamus, huiuſmodi verba mentis expriuntur,nec tam ad aliquid Deo ſignificandum diriguntur, quàm ad exponendum nobiſmetipſis, quid Deus loquitur, & operatur in nobis, ideo nomine taciturnitatis, & ſilentij gradus huiuſmodi contemplationis conuenientiſſimè eſt appellatus. *Gen. 18 17.* *Iob. 3. 12.* *S. Thom. q. 4. de verit. ar. 2. ad 5.*

7 Quartus inde ſequitur contemplationis gradus, qui dicitur ſolitudo, iuxta illud in Oſea diuinitus electæ animæ aliquando promiſſum: *ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius*. Multum autem addit ſilentio ſolitudo; nam qui ſilet fieri poteſt, vt habeat in promptu plurimos, cùm quibus facilè erit interrupto ſilentio miſcere ſermonem: at qui verſatur in ſolitudine non habet cum quo verba faciat, etiamſi velit. Sed huiuſmodi ſolitudo magis ſpiritualiter eſt intelligenda, quàm localiter; per talem videlicet interioris hominis compoſitionem, vt anima in ſenſibus internis deſerta inueniatur à ſpeciebus diſtractiuis, & à tenaci memoria creaturarum. Sicut ad illa verba Iob S. Gregorius interpretatur: *Qui ædificant ſibi ſolitudines: Solitudines*, inquit, *ædificare eſt à ſecreto cordis terrenorum deſideriorum tumultus expellere, & vna intentione æternæ patriæ in amorem intimæ quietis anhelare. An non cunctos à ſe cogitationum tumultus expulerat, qui dicebat, vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ?* Ad hanc ſolitudinem inueniendam alas idem petebat,cùm dicebat: *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam? Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine*. Ad hanc datæ ſunt alæ magnæ cæleſti Mulieri,vt dicitur in Apocalypſi: *& datæ ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum in locum ſuum:* Has alas,aliqui mundi contemptum, & Dei fruitionem interpretantur; quas qui meruerint obtinere, facili negotio ad hanc ſolitudinem, ſtudio contemplationis poterunt ſe conferre.

Quartus gradus cõtemplationis cur appellctur ſolitudo. *Oſee. 2. 14.* *Iob. 3. 14.* *S. Greg. lib. 4. mor. c. 28.* *Pſal. 26. 4.* *Pſal. 54. 7.* *Apoc. 12. 14.*

Quintus gradus contemplationis cur somnus dicatur. *Cant. 2. 7.* *S. Bern. ser. 52 in Cant.*

8 Quintus contemplationis gradus, per somnum in sacra Scriptura describitur, de hoc enim dicitur in Canticis canticorum: *Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas, ceruosq. camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit. Non est autem,* inquit S. Bernardus, *is sponsæ somnus dormitio corporis, vel placida, quæ sensus corporis suauiter sopit ad tempus, vel horrida, quæ vitam tollere funditus consueuit. Multò magis verò ab illa alienus existit, qua obdormitur morte, cùm videlicet in peccato, quod est ad mortem, irreuocabiliter perseueratur. Magis autem huiusmodi vitalis, vigilq. sopor sensum interiorem illuminat, & est reuera dormitio, quæ sensum non sopiat, sed obducat.* Pergit deinde exponere S. Bernardus, quid sibi velit illa insolita adiuratio per capreas, ceruosque camporum: ex qua poterimus intelligere, quid addat hic gradus contemplationis supra quietem, otium, silentium, & solitudinem. Nam per huiusmodi capreas, & ceruos animas beatas corporibus exutas, & Angelicos spiritus ipse interpretatur. Sunt enim huius generis animantes miræ admodum per excelsa montium celeritatis, & visu pollent acutissimo: adeoque, sicut alicubi S. Hieronymus obseruauit, aspectu, & intuitu perspicacissimo rei alicuius delectabilis aliquando capiuntur, vt oblitæ pastus, & itineris hæreant quasi immobiles in illo obtutu. Tales sunt beatæ mentes, siue humanæ, siue Angelicæ in actu sublimioris contemplationis celeres, in campo diuinarum perfectionum expeditæ, in illo increatæ pulchritudinis firmo, atque impermutabili intuitu perspicaces; in quo, quia vsu sensuum destitutæ conquiescunt, dormire quodammodo dici possunt. Has ergo beatas mentes illi videntur imitari, qui propter intensum eleuatæ contemplationis exercitium, vsu sensuum externorum omnino destituuntur, internorum vero vsum vix adhibent, nisi quatenus frænata imaginatio proximè deseruit intellectui: atque ita somno, quem Philosophi definiunt, ligamentum sensus communis, videntur esse consopiti. Ab hoc somno excitari prohibentur per capreas, ceruosque camporum, idest per eas, quas emulantur in tali quiete fœlices, ac beatas mentes; ex quarum consortio, & consuetudine toties euelluntur, ait S. Bernardus, quoties ab illo consopitæ in Deo mentis excessu ad actiuæ vitæ operationes reuocantur.

S. Hier. ep. 44.

Sextus gradus contemplationis cur dicatur mors.

6 Sextus gradus contemplationis mors appellatur, hæc somno profundior est, & à commertio corporis, ac rerum humanarum consuetudine longè disiunctior. A somno facilè aliquis,

quis,

quis, & naturali vi excitatur; à morte non nisi virtute supernaturali. Quando igitur ad eam perfectionem mens contemplatiui perducta est, vt ab actu continuato diutius contemplandi, non tam naturali vi deficientis virtutis diuellatur, quàm diuinæ gratiæ motione, siue ad obedientiæ salutare præscriptum, siue propter alia supernaturalium virtutum exercitamenta, veluti obsequia Deo, pro tempore gratiora; tunc ipse non à somno tantùm excitatus, sed etiã à morte quodammodo rediuiuus dici potest. *Vtinam hac morte,* ait S. Bernardus; *ego frequenter cadam, vt euadam laqueos mortis, vt non sententiam vitæ luxuriantis mortifera blandimenta, vt non obstupescam ad sensum libidinis, ad æstum auaritiæ, ad iracundiæ, & impatientiæ stimulos, ad angores sollicitudinum, & molestias curarum. Moriatur anima mea morte iustorum: bona mors quæ vitam non aufert, sed in melius transfert; bona qua non corpus cadit, sed animus subleuatur. Verum hæc hominum est, sed moriatur anima mea morte etiam si dici potest, Angelorum: vt præsentium memoria excedens, rerum se inferiorum, corporearumque non modo cupiditatibus, sed etiam similitudinibus exuat; sitque ei pura cum illis conuersatio, cum quibus est puritatis similitudo: talis, vt opinor, excessus, aut tantùm, aut maximè contemplatio dicitur,* hucusque S. Bernardus. S.Ber.ser.52. in Cant.

10 Septimus superest, & postremus altæ contemplationis gradus, qui sepulchrum appellatur: in eo vir contemplatiuus non solùm iacet huic mundo mortuus, sed etiam quodammodo in pulueres, & quasi in nihilum ex sui contemptu, & obliuione redactus; dum mens ad se redire compulsa, & sui corporis pro diuino obsequio, & bono proximorum resumere cogitationes, non habet circa se quid apprehendat, nisi pulueres, cineres, & nihil. Vnde horret commercium corporis, & soli Deo spiritualiter vellet viuere, non amplius sibi. Atque hæc est illa diuini amoris ecstasis, de qua S. Dionysius, vt antea retulimus, loquebatur, dicens: *Ecstasim facit diuinus amor, amatores suo statu dimouet, & sui iuris esse non sinit, sed in ea, quæ amant, penitus transfert. Idcirco, & Paulus ille magnus, cùm diuino amore flagraret, excessiuæ illius virtutis particeps factus: viuo, inquit, iam non ego, viuit verò in me Christus, tanquam verus amator mentis excessum patiens.* Quod si amor quicumque talis est naturæ, vt amatorem in id, quod amat impellat, & transferat, præsertim si amor sit amicitiæ; nam si fuerit amor concupiscentiæ, quia bonum, quod extra se diligit non absolutè propter ip-

Septimus gradus contemplationis cur vocetur sepulchrum.

S. Dion.c.4.de diu.nom.

Ad Gal.2.20

sum,

S. Thom. 1. 2. q. 28. art. 3. & super Dion. de diu. nom. c. 4. lect. 10. ſum, ſed propter ſe, ſiue relatum ad ſe diligit, inde ſequi perfecta eċſtaſis non poteſt, cùm huiuſmodi amator omnia referat ad ſe ipſum. At verò amor amicitiæ ſic animū extra ſe rapit, vt nihil ad ſe referendo, non habeat cur ad ſe redeat, ſed propter ipſum quem ſic diligit amicum, in amico conquieſcat. Qualis ergo erit amor diuinæ amicitiæ, qua Deus vt in ſe bonus, & ſummum bonum propter ſe perfectiſſime diligitur? cui omnia alia bona, & pulchra cōparata, propter exceſſum incomparabilem vix bona ſunt, vix pulchra ſunt, immo vix ſunt. Sed latet hæc veritas in profundo, ſicut theſaurus in ſepulchro, nec niſi à diligentibus exploratoribus per hoc genus contemplationis inuenitur, de quibus apud Iob legimus: *Sicut effodientes theſaurum gaudent vehementer cùm inuenerint ſepulchrum*. Mos enim fuit antiquiſſimus mortuos cum multis diuitijs ſepelire, ſed inquit, *S. Greg. lib. 5. mor. c. 5.* in expoſitione prædictorum verborum S Gregorius; *ſicut ſepulchrum locus eſt, quo abſconditur corpus, ita diuina contemplatio quoddam ſepulchrum eſt mentis, quo abſconditur anima. Quaſi enim adhuc huic mundo viuimus, cum mente in eum foris vagamur. Sed mortui in ſepulchro abſcondimur, cum mortificati exterius in ſecreto internæ contemplationis cælamur. Vnde bene* *Pſal. 30. 21.* *per Pſalmiſtam dicitur: Abſcondes eos in abſcondito vultus tui à conturbatione hominum, & Paulus per contemplationem mortuos, & quaſi in ſepulchro abſconditos diſcipulos viderat, quibus dicebat: Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita* *Ad Col. 3. 3.* *eſt cum Chriſto in Deo*. Adeo verò poteſt eſſe vehemens apprehenſio diuinorum, vt homo ex ardenti affectu inde excitato ſublimiſſimarum Dei perfectionum, atque vnionis cum ipſo Deo, cui qui perfectè adhæret, vnus ſpiritus fit cum eo, cupiat omnino animam à vinculis corporis liberari, diſſolui, & eſſe cum Chriſto: & dum hoc non conceditur, præualens ſpiritus diuina vitute ſubleuatus vim quamdam infert corpori rapiens illud ſecum ad ſublimia, quod multis Sanctorum legimus contigiſſe, & nouimus etiam hac ætate, cui id contigerit. Sed quia hic non tam ſpecioſa, & admiranda, quàm maximè vtilia & imitanda intendimus explicare, omiſſo hoc genere contemplationis per talem à ſenſibus abſtractionem, potius de illa contemplatione agemus in ſequentibus, quæ ſecuriori ratione fit, cum quadam valde vtili noſtrorum internorum ſenſuum ad materiam meditandam applicatione.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

De contemplatione, quæ fit cum applicatione sensuum.

1 A Deo fuerunt alieni humiles Dei amatores à procurandis, vel expetendis extraordinarijs fauoribus visionum, ecstasum, & abstractionum à sensibus; vt potius, quia constamus ex anima & corpore, modum excogitauerint, & adinuenerint in actione omnium spiritualissima contemplandi, vtramque hanc partem, quantum fieri potest Creatori suo mancipandi, & illi exercitio applicandi: vt cor, & caro sic exultarent in Deum viuum. Hoc genus meditandi B. noster P. Ignatius appellauit contemplationem cum applicatione sensuum: de qua iuxta doctrinam ipsius, primùm explicabimus in quo sita sit: deinde ad quem finem adhibeatur: tertio qua ratione, & quibus cautionibus debeat exerceri.

Cõtemplatio in applicatione sensuum à sanctis magis expetita, quã per alienationẽ à sensibus.

Psal. 83. 3.

2 Primùm itaque traditur huiusmodi ratio contemplandi in libello spiritualium exercitiorum circa meditationes Dominicæ Incarnationis, & Natiuitatis: vbi dicitur; *apprimè conducere quinque imaginarios sensus in contemplatione horum mysteriorum, prout subiecta res feret exercere:* idemque in reliquis mysterijs vitæ, passionis, mortis, resurrectionis Saluatoris sæpe deinceps fieri commendatur. *Vt nimirum secundùm imaginationem personas quasi præsentes, earumque actiones inspiciamus, imaginemur quoque eas loquentes audire, deinde interiore quodam gustu, & olfactu sentire quanta sit suauitas animæ diuinis donis, ac virtutibus imbutæ, præterea per internum quasi tactum, attrectare & deosculari vestimenta, loca, vestigia, cæteraque personis talibus coniuncta: vnde fiat nobis deuotionis, vel boni cuiuslibet spiritualis maior accessio.* Videtur autem hæc B. P. Ignatius aliqua ex parte à S. Bonauentura desumpsisse, qui in libro de septem itineribus æternitatis, hoc genus contemplationis appellat notitiam experimentalem rerum diuinarum, & dicit esse uirorum perfectissimorum, multa præclara de illa docẽs, quæ à sanctis Gregorio, Augustino, & Bernardo videntur accepta; hi verò Patres sine dubio à diuinis scripturis ea didicerunt,

In quo sita sit applicatio sẽsuum inter meditandum.

Lib. exerc. spir. hebd. 2. contempl. 5.

S. Bon. lib. de septem Itiner. æter. i. in. 6.

runt: quorum proinde hac de re testimonia inferius referenda, vt melius intelligantur, quædam antea prænotabimus.

Triplex ordo potentiarum cognoscitiuarum in homine, sensus externi, interni, & intellectus.

3 Aduertendum igitur est, in nobis potentias cognoscitiuas esse triplicis differentiæ, sunt enim sensus externi, sunt interni, & est potentia intellectiua. Externis sensibus non nisi singularia sensibilia, & præsentia percipimus, nullo verò modo spiritualia, vel absentia, vel vniuersalia. Sensibus internis absentia quidem, si sint singularia, & sensata cognoscimus, minimè verò vniuersalia, vel spiritualia. At potentia intellectus percipit tum vniuersalia, tum singularia, tum præsentia, tum absentia, tum materialia, & sensibilia, tum spiritualia, & purè intelligibilia. Nisi quòd non percipit noster intellectus spiritualia per propriā speciem, sed per alienam rerum sensibilium, & materialium; & vniuersalia non intelligit redacta ad singularia, nisi adiumento sensus interioris; præsentia, vt re ipsa præsentia, adiuuante sensu exteriori. Præterea quotidiana docet experientia quò magis abstractè aliqua cognoscimus, eò minus nos tali cognitione affici, & moueri. Quis enim Leonis, aut Draconis naturam in specie tantùm, & in communi speculando terreatur? Si vero accedat imaginatio præsentiæ talis belluæ in singulari, etiamsi per somnium, ea quicumque quamuis dormiēs facile terrefiet: multo autem magis, si externo quoque sensu oculorum in me irruere monstrum huiusmodi conspicerem. Et quod de similibus obiectis timoris asserimus, idem cum proportione debet intelligi de obiectis fiduciæ, spei, dilectionis, gaudij, vēl admirationis; vt quò pluribus potentijs cognoscitiuis, & per plures inferiores rationes præsentiæ, & singularitatis aliquod tale obiectum agnoscitur, ac sentitur; eò vehementius moueat, & afficiat. Verumtamen sicut superius dicebamus, vsus sensuum externorum actui contemplationis non prodest, sed potius obest; cùm ea, de quibus solet esse contemplatio ante oculos tunc temporis non versentur: ijs autem, quæ obuersantur, si quis velit attendere curiosius, maximè distrahetur; vnde dixit sanctus Gregorius: *Si exterior euagatio sensus clauditur, interior sensus aperitur*. Sed est sensus quidam interior communis appellatus, omnium quinque externorum sensuum obiecta discernens, cuius præsidio nostra imaginatio etiam absentia potest imaginari se videre, audire, & quasi præsentia multis modis, vt libuerit persentire. Atque hæc est maximè ad rem nostrām faciens internorum sensuum applicatio per imaginationem, qua multum excitari poterit mens contemplātis ad prosequenda ve-

S.Gregor.l.30. mor.c.9.

da vehementius, quæ prosecutione sunt digna, & ad ea fugienda, à quibus omnino animus debet abhorrere; vt reformemur in nouitate sensus nostri, sicut nos Apostolus abhortatur. Et ideo sæpè diuina Scriptura huiusmodi pios affectus hac ratione vult in nobis excitari: sicut cum monet à propinqua peccandi occasione ita esse fugiẽdum, tãquam si serpentem contra nos insilire videremus: *Quasi à facie colubri fuge peccata*, ait Ecclesiasticus, *& si accesseris ad illa mordebunt te: dentes leonis, dentes eius interficientes animas hominum*. Pro interno auditu dixit Deus aliquando Samueli: *Ecce ego facio verbum in Israel, quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures eius*: quasi dicere voluisset: erit tam horrificum, quod facere cogitaui, vt in auribus omnium, qui factum intelligent, non iam in auribus externis, sed auditus interni videri debeat terribiliter insonare. Odoratus interni quanta sit vis, & efficacitas, expressit in Canticis illa, quæ dicebat: *trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum:* & S. Paulus, *odorem*, inquit, *notitiæ manifestat per nos Christus in omni loco: quia Christi bonus odor sumus Deo in ijs, qui salui fiunt, & in ijs, qui pereunt; alijs quidem odor mortis in mortem, alijs autem odor vitæ in vitam.* Pro tactu interno vtique non pro alio hortabatur Apostolus Athenienses, *quærere Deum, si fortè attrectent, aut inueniant, eò quòd non longè sit ab vnoquoque nostrum, in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus*. De gustu similiter interiori, frequens est mentio in scriptura: *gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus*, dicebat Dauid, *& quàm dulcia faucibus meis eloquia tua? super mel ori meo*. Sponsa quoque in Canticis: *& fructus eius dulcis gutturi meo: quasi dicat gustui meo*, ait S. Bernardus.

Ad Rom. 12. 2 · *Eccl. 21. 2. secundum 70.* · *1. Reg. 3. 11.* · *2. Cor. 2. 15.* · *Act. 17. 27.* · *Psal. 33. 9.* · *Psal. 118. 103.* · *Cant. 2. 3.* · *S. Bern. ser. de Nat. B. Virg.*

4 Ex his, quod facere secũdo loco proposuimus, poterimus causas inuestigare, propter quas hæc sensuum internorũ applicatio contemplationi rerum diuinarum conuenientissimè adiũgatur: quia nimirum ratio quædam est contemplandi facilior, securior, plenior, atque perfectior. Est imprimis facilior, siquidem propter debilitatem nostræ mentis huic corruptibili corpori addictæ, & colligatæ, quemadmodum ad intelligenda, ita etiam ad diligenda spiritualia, & diuina, debemus manuduci per quædam sensibilia nobis magis nota, & familiaria. Vnde solemnes gratias Deo refert Ecclesia vocibus illis toties repetitis: *Quia per incarnati Verbi mysterium noua mentis nostræ oculis lux tuæ claritatis infulxit: Vt dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in inuisibilium amorem rapiamur.*

Quomodo conferat hæc applicatio sensuum ad meditationem.

S. Thom. 2. 2. q. 82. art. 3. ad 2.

In

Auctor l. de spiritu, & anima c. 9. tom. 3. S. Aug.

In quam sententiam præclare Auctor libri de spiritu, & anima, inter opera S. Augustini, sic habet. *Propterea Deus, homo factus est, vt totum hominem in se beatificaret, & tota conuersio hominis esset ad ipsum, & tota dilectio hominis esset in ipso, cùm à sensu carnis videretur per carnem, & à sensu mentis videretur per diuinitatis contemplationem. Hoc autem erat totum bonum hominis: vt siue ingrederetur, siue egrederetur, pascua in suo factore inueniret, pascua foris in carne Saluatoris, & pascua intus in diuinitate* Creatoris. Deinde hæc ratio contemplandi per vsum, & applicationem sensuum internorum debet haberi securior: nam illa quæ fit modo contrario sine vsu, & cum alienatione, vel abstractione à sensibus, procurari, vel postulari, sicut diximus, nisi superba temeritate non potest. Quare illi ipsi viri sancti, qui ex sola Dei dispensatione tales extraordinarios contemplandi modos in se ipsis experiebantur, eos ex se non postulabant, nec ad illos aspirabant, sed magis vt Deum tota mente, tota anima, omnibus viribus, omni fortitudine, ac virtute diligerent, & propterea omnibus animæ suæ facultatibus quantùm possent, eum inquirerent, & apprehenderent. De S. Francisco refert in eius vita S. Bonauentura, cùm huiusmodi extraordinarios fauores diuinos ecstasum, raptuum, & visionum valde frequenter experiretur; tamen non solùm internis, sed etiam externis sensibus ante oculos ea, quæ meditabatur mysteria sibi excogitauit obijcere. *Itaque in nocte Natiuitatis Domini fecit præparari præsepium, apportari fœnum, bouem, & asinum ad locum adduci, & stabat,* inquit S. Bonauentura, *vir Dei coram præsepio pietate repletus, lachrymis, & gaudio superfusus*; puerum verò Iesum ibi non posuit, eò quòd iudicauerit cum maiori decoro per internos sensus apprehendi potuisse, imaginando ibi ipsum videre inter duo illa animalia frigentem, trementem, flentem, audire tanquam internis vocibus ad cor loquentem, exosculari pedes frigore rigentes, & inde afflatos diuinos odores suauissimos excipere. Quod factum Deus miraculo approbauit, vbi minus miraculum quærebatur: apparuit enim ibi Christus Dominus in ea infantis specie, in qua recēter natus iacuerat in præsepio Bethlehemitico, quē S. Franciscus alijs etiam quibusdam videntibus, deuotissimè amplexatus mirifica consolatione; & gaudio spirituali repletus est. *Neque propterea quidquam inde præsumens*, ait ibidem S. Bonauentura; *solebat sæpè dicere suis familiaribus: quando seruus Dei orans visitatur diuinitus, dicere debet: istam consolationem mibi*

S. Bon. in vita S. Fran. c. 10.

mihi peccatori, & indigno misisti de cælo Domine, & ego illam tuæ committo custodiæ, quia thesauri tui me sentio esse latronem. Tertiò est hic modus contemplandi plenior; quia ex anima constamus, & corpore, spiritu, & sensu: cur ergo Deo pro vtraque nostri parte modo naturæ nostræ maximè consentaneo deseruire, quantùm possumus non curabimus? accedente præsertim primo, & magno illo diuino mandato superiùs à nobis exposito, vbi de gradibus diuini amoris ageremus in exercitio contemplationis inclusi, nempe diligendi Deũ ex toto corde, tota anima, omnibus viribus, omni virtute, ac fortitudine. Præclarè ad hoc propositum Richardus S. Victoris illa Psalmi verba interpretatur: *Tu verò homo vnanimis dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum consensu:* per vnanimem ducem, & notum, sensum intelligens spiritui concordantem, & à notioribus nobis sensibilibus, ad inuisibilia, & spiritualia contemplanda deducentem. *Nam quoties*, inquit Richardus, *cognoscendarum rerum per corporeum sensum experientiam capere cogitur, toties interior homo noster ducem suum sequi videtur. Absque dubio sensus carnis sensum cordis in cognoscendis rebus præcedit, quia nisi prius sensibilia per sensum corporeum animus caperet, omnino non inueniret, quid de eis cogitare potuisset. Sed fortè mirum non est, si sensum cordis sensus corporis illuc ducit, quò ipse ire potest: illud valde mirabile, quomodo illuc eum conducit, quò ipse ascendere non potest; sensus siquidem corporeus incorporea non capit, ad quæ tamen sine eius manuductione ratio non ascendit:* hactenus Richardus. Quarto est hæc ratio contemplandi quodammodo perfectior, quatenus non consistit contemplatio in laborioso discursu, & ratiocinationibus, sicut antea declaratum est, sed in quodam placido, simplici, & fixo cum admiratione mentis obtutu suauiter animum reficiente; sensus autem non discurrunt, neque possunt discurrere, sicut neque affirmare, vel negare, sed tantùm obiecta simpliciter apprehendere; iisque si honestè delectabilia sunt, honestè & vtiliter delectari, ad idem inuitantes appetitum intellectiuum; qui gustu repletus spirituali, partem refundit in appetitum sensitiuum, iuxta illud Psalmi ab eodem Richardo mysticè interpretati: *Tu vero homo vnanimis dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos. Cum enim*, inquit, *cœperit homo ille interior domesticum suum talibus cibis reficere, potest de eo veraciter psallere: homo pacis meæ, qui simul mecum dulces capiebas cibos: & talibus*

Richard. p. 1. l. 2. de contemplat. c. 17. Psal. 54. 14.

Psal. 54. 14. Rict. p. 1. l. 2. de contempla. c. 17.

talibus studijs quantò vterque homo amplius ad puritatem proficit, tantò vtique alacrius currit.

Qua ratione fiat hæc applicatio sensuū.

5 Sed oportet iam, quod tertio loco propositum fuit, magis in particulari explicare, qua ratione, & quibus cautionibus huiusmodi sensuum applicatio inter meditandum sit faciēda. Quapropter duo necesse est rerum genera distinguamus, circa quæ meditando fieri poterit hæc sensuum applicatio: quædam enim in se sunt corporea, & proinde sensibus etiam per propriam speciem subijcibilia; quædam verò sunt incorporea, & spiritualia, de quibus propriam speciem in hac vita naturaliter non habemus: & tamen quia nihil sine aliqua menti impressa specie cognoscimus, cogimur ad ea percipienda, vti specie aliena. His itaque sensum applicare, immo etiam intellectum, maior est difficultas. Experiebatur hoc in seipso, & eleganter exprimebat S. Augustinus circa diuinam maximè omnium spiritualem substantiam, cùm in suis confessionibus diceret. *Quid amo, cùm Deum meum amo? non speciem corporis, non decus tēporis, non candorē lucis istis amicū oculis, non dulces melodias suauium cantilenarum omnimodarū, non florum, & vnguentorum, & aromatum suaueolentiā, non manna, & mella, non membra carnis amplexibus acceptibilia. Non hæc amo, dum amo Deum meum.* Et nihilominus oportere, vbi de substantia diuina, eiusque perfectionibus volumus cogitare, vti emendicatis huiusmodi conceptibus rerum creatarum per quasdam negationes vtcumque possumus repurgatis, declarat ipse cùm addit. *Non hæc amo, cùm amo Deum meum: & tamen amo quandam lucem, & quemdam odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei. Vbi fulget animæ meæ, quod non capit locus, & vbi sonat, quod non rapit ventus, & vbi olet, quod non spargit flatus, & vbi sapit, quod non minuit edacitas, & vbi hæret, quod non diuellit satietas. Hoc est quod amo, cùm Deum meum amo.* Quæ cùm ita sint, ad facilem reddendam applicationem sensuum circa huiusmodi spiritualia, notanda est doctrina Auctoris libri de Spiritu, & Anima inter opera S. Augustini, vbi ait: *Notandum tamen quòd ijdem ipsi sensus, qui in exteriori homine describūtur, simili modo secundum modum suum in interiori esse manifestantur: quia spirituales res non corporalibus sensibus, sed spiritualibus rimandæ sunt.* Et statim explicat per exempla scripturarum, quis sit visus spiritualis circa res immateriales, & incorporeas. Vt cum ait Deus in Deuteronomio. *Videte quòd ego sum Deus, & non sit alius præter me.*

S. Augus. l. 10. confess. c. 6.

Auctor. lib. de spiritu. & anima c. 49.

Deut. 32. 39.

Quis

Quis sit auditus spiritualis, de quo in Apocalypsi: *qui habet aures audiēdi audiat, quid spiritus dicat Ecclesijs:* & sic de tactu, gustu, & odoratu. Quod etiam confirmat S. Bernardus, siue quisquis est pius auctor libri de natura, & dignitate amoris diuini: *Sicut, inquit, corpus habet suos quinque sensus, quibus animæ coniungitur vita mediante; sic & anima suos quinque sensus habet, quibus Deo coniungitur mediante charitate.* *Apoc. 2. 7.* *S. Bern. lib. de natura & dignit. amoris diuini c. 6.*

6 Vt ergo ad singulos veniamus, visus internus, sicut duplex est, & circa materiam duplicem versari potest, ita dupliciter in meditatione poterit applicari: primùm si res, de qua meditamur corporea sit, & visibilis, imaginari eam possumus quasi ante nos propositam videremus; sicut de S. Francisco supra retulimus, qui Christum dominum infantem supra fœnum in præsepio iacentem inter duo animalia sic imaginabatur, ac si reipsa illum ibi frigore trementem, & illachrymantem intueretur. Simile est, quod de S. Paula refert S. Hieronymus in epistola ad Eustochium: *Bethleem, inquit, ingressa, & in specum Saluatoris ingrediens, postquam vidit sacrum virginis diuersorium, & stabulum, in quo agnouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui, me audiente iurabat cernere se oculis fidei infantem pannis inuolutum, vagientem in præsepe dominum, Magos adorantes, stellam fulgentem desuper, Matrem Virginem, & Nutricium sedulum, pastores nocte venientes, vt viderent Verbum, quod factum erat.* Si autem res, quam contemplamur incorporea prorsus fuerit, & spiritualis, applicatio interioris visus poterit saltem fieri per actum virtutis fidei, quæ est noster multo certior visus spiritualis nunquam decipiens, sicut sæpe decipit visus corporalis. De S. Ludouico Gallorum Rege legimus, aliquando Parisijs sacrum audienti nuntiatum fuisse in alio propè Sacello esse sacerdotem celebrātem, in cuius manibus Christus Dominus sub specie parui pueri omnibus aspicientibus appareret: respondisse verò pijssimum Regem, se tunc, & quotidie oculis fidei in hostia cōsecrata Christum Dominum præsentem intueri, hoc sibi satis esse, qui minus credunt eant, & illa etiam visione confirmentur. Ita aliqui referunt hanc historiam; quamnis Ioannes Ionuilla, qui tempore S. Ludouici viuebat in Gallia, scribat in illius Vita: non ipsum Sanctum, sed aulicum ipsius eā visionem recusasse, eo quòd maneret contentus sua fide, quā S. Ludouicus admiratus est, & commendauit. Secundus sensus est auditus, cuius applicatio in meditatione facilè fieri potest, imaginando audire certa quædam verba proferentem; atque inde

Quomodo singuli sensus interni applicentur.

S. Hier. ep. 27. ad Eustoch.

Thom. Boz. l. 14. de sign. Eccl. c. 7. Flos sanctorū Ribad. in festo Sacr. menti. Ioan. Ionuilla auctor Gal. us in vita S. Lud.

cum fructu salutaria documenta percipere. Quæ verba interdum expressa in ipsa historia euangelica proponuntur: vt sermo Domini in monte, *vbi cum sedisset accesserunt ad eum discipuli eius, & aperiens os suũ docebat eos dicẽs: Beati pauperes spiritu*: aliquando meditãti excogitãda, & imaginanda, quæ nã illa verba fuerint, aut esse potuerint, relinquũtur: vt cùm ait Euãgelista, ascendisse Christum Dominum in vnam nauim, quæ erat Simonis, quem rogauit à terra reducere pusillum, & sedens docebat de nauicula turbas: vt omnes facie ad faciem ante se cerneret, ait S. Chrysostomus; erant enim auidissimi circa illũ omni ex parte conuenientes, & nimis appropinquantes. Neque tamen nobis exponitur, quæ, & qualis fuerit hæc concio Saluatoris, sed nostræ relinquitur considerationi. Sensui auditus corporei, & materialis respondet alius interior sensus auditus spiritualis, cuius applicatio bene fit per internum actum illius virtutis, quæ à bene audiendo obedientia nominatur: quã Deus toties à populo Israel requirebat, cũ dicebat: *Audi populus meus, & loquar Israel, & testificabor tibi; Deus, Deus tuus ego sum. Et si populus meus audiuisset me, Israel si in vijs meis ambulasset. Et audi filia, & vide, & inclina aurem tuam.* Tertius sensus est odoratus, cuius qualis esse debat applicatio ex psalmo quadragesimo quarto haberi potest, qui est quasi Epithalamium Ecclesiæ Spõsi Christi Redemptoris, de quo ibi dicitur: *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis.* Nec aliud sunt hæc odorifera vestimenta, nisi diuini Verbi humanitas sacratissima, omnium virtutum genere perfectissimè delibuta: neque aliud sunt eburneæ domus, nisi eius caro mundissima, corpus, & anima: vbi complacuit omnem plenitudinem Diuinitatis corporaliter inhabitare. Quòd si ante tot sæcula, quàm palatium hoc diuinitati Verbi Dei ædificaretur, & indueret Dei filius per mysterium incarnationis vestem nostræ mortalitatis, *habitu inuentus vt homo,* fragantiam horum vestimentorum regius Propheta sic præsensit; quomodo non etiã, dum tale mysterium iam adimpletum, & ante nos propositum ipsi contemplamur, participare de hac suaueolentia deberemus? Neque solùm dum sacratissimam illam humanitatem nobis in meditatione proponimus, sed etiam cuiuscumque alterius sancti personam: propterea enim ipse sponsus Ecclesiæ in sacris Canticis suæ sponsæ similiter vestimenta ex odoris multiplici suauitate commendat: dum ait: *Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris:*

Matth. 5. 1.
Luca. 5. 3.
Psal. 49. 7.
Psal. 80. 12.
Psal. 44. 11.
Psal. 44. 8.
Ad Coloss. 2. 9
Ad Phil. 2. 7.
Cant. 4. 11. 12. 14.

ris : & odor unguentorum tuorum super omnia aromata : Cypri cum nardo, nardus, & crocus, fistula, & cinnamomum cum vniuersis lignis libani, myrrha, & aloe cum omnibus primis vnguentis. Et de Angelorum Regina, tanquam post Christum primaria persona, de qua in eodem Ecclesiæ Epithalamio dicitur : *astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato*, specialiter à Salomone verba illa in eius persona sunt dicta : *Sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi : quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris : & quasi storax, & galbanus, & vngula, & gutta, & quasi libanus non incisus euaporaui habitationem meam, & quasi balsamum non mixtum odor meus*. Quòd si meditatio non fuerit de re corporea, sed planè spirituali, applicatio sensus fieri poterit odoratus spiritualis, qui est virtus spei. Nam quemadmodum odoribus à longè suauiter allicimur ad prosequendum quod delectat, & propè fruendum; sic bonorum æternorum expectatione, quidam in nobis excitatur supernaturalium rerum amor, qui dicitur supernaturalis concupiscentia, & ipsa est fiducia, & spes æternæ beatitudinis. In quam sententiam verba illa Canticorum S. Bernardus interpretratur *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum : curremus*, inquit, *sed in odorem vnguentorum tuorum, non in nostrorum fiducia meritorum : nec in magnitudine virium nostrarum currere nos confidimus, sed in multitudine miserationum tuarum. Nam etsi quando cucurrimus voluntariè fecimus, non tamen fuit currentis, neque volentis, sed miserentis Dei. Reuertatur miseratio, & curremus : Tu quidem in virtute tua tamquam gigas, & potens curris, nos, nisi vnguenta tua spirauerint, non curremus : Tu, quem Pater vnxit oleo lætitiæ præ consortibus tuis, curris in ipsa vnctione, nos in tuo odore curremus*. Addit & illud S. Bernardus, maxima obseruatione dignum : *licet sit suauis Dominus vniuersis, quantò tamen quis ei familiarius pro vitæ meritis, & puritate appropiat, tantò eum arbitror*, inquit, *recentiorum aromatum, & vnctionis suauioris sentire fragrantiam*. Quare S. Dionysius Areopagita refert de S. Ioanne Euangelista, solitum illum dicere : *Odor tuus ò Domine excitauit in nobis concupiscentias æternas*. Quartus sensus in meditatione applicandus est gustus, qui cùm circa materiam quodammodo abiectam occupetur, merito alicui videri posset in exercitio tam eleuato meditandi, & orandi locum non habere. Sed sciendum est, etiam in æterna fœlicitate sanctorum, vbi nihil prorsus erit materialis cibi, aut potionis, tamen gustum cum

Psal. 44. 10.
Eccl. 24. 20.
Cant. 1. 3.
S. Ber. ser. 21. in Cantic.
S. Dion. de Eccles. hier. c. 4.

alijs sensibus habiturum in corpore glorioso vnde honestissimè

B. Laur. Iust. l. de disc p. & conuers. mon. cap 23.

r ecreetur. *Ibi enim*, inquit, B. Laurentius Iustinianus, *caro spiritualis effecta per omnes sensus suos multimodis exuberabit delicijs, indicibilis dulcedo omnium delectabilium, melliflua quædam, & iucunda satietas oris saginabit palatum*. Sicut contra de damnatis in inferno, ait diuina scriptura: *fel draconũ vinum eorum, venenum aspidum insanabile*. Quare sicut pertinet ad excessum, & vehementiã cuiusdã tristitiæ, siue per imaginationẽ, siue per sympathiam sensuum internorum, gustare aliquid amarissimum; ita ad excessum gaudij, & vehementiã consolationis, aliquid interius gustare suauissimum, & dulcissimum: quod in ore, lingua, & faucibus beatorum etiam aliqua dispensatione miraculi Deus poterit operari. Et cùm contemplatio sit quædam æternæ beatitudinis in hac vita participatio, vel æmulatio, quid mirum si pro sensu etiam gustus interiori inde aliqua suauitas deriuetur. Experiebatur hoc S. Franciscus, in se ipso, qui, sicut in eius vita scriptum à S. Bonauẽtura legimus, tanta mentis, & spiritus deuotione orãs Psalmos Dauidicos pronũciabat, vt vbi nomen Domini occurrisset, ob sensibilis suauitatis dulcedinem labia sua lingere videretur. Idque credere debemus ex ipsis Psalmis didicisse, Dauide dicente: *quàm dulcia faucibus meis eloquia tua? super mel ori meo, & dulciora super mel, & fauum*. Quod si materia, quam contemplandam suscepimus, aut alius noster defectus huiusmodi sensibilem gustum experiri nobis non permitteret, est alius eleuatior gustus spiritualis respondens gustui corporali, nempe affectus deuotionis, & gaudij, de quo satis multa dicta sunt suo loco superius. Quintus deniq; sensus tactus duplici ratione similiter applicandus est: primùm imaginando, vbi materia meditanda id admittat, reuerenter attingere, ac deosculari vestimenta, vestigia, cæteraque personis talibus coniuncta; vnde maior quædam à nobis deuotio, aut aliud emolumentum spirituale percipiatur. Deinde si materia contemplationis fuerit spiritualis, contactus erit amoris, & desiderij manu firmæ fidei, aut alterius doni S. Spiritus, ad intellectum, cuius est apprehendere, & tenere pertinentis. Denique, vt hanc materiam concludamus, quædam circa illam in vniuersum obseruanda sunt documenta. Primùm, ne in omnibus hæc applicatio sensuum nimis anxiè procuretur: in aliquibus enim, præsertim sub sensum non cadentibus, vix succedet. Secundò, ne in quibus habet locum huiusmodi applicatio omnes sensus æqualiter exercere contendamus: nam in quibusdam

Deut. 32. 33.

S. Bon. In vita S. Franc. c. 10.

Ps. 118. 103.

Psal. 18. 11.

Lib. 6. c. 2. et 3

exempli

exempligratia, in sono, & verbis non valebit, nisi internus auditus, in alijs tantummodo imaginarius visus, aut spiritualis odoratus, & sic de alijs. Tertiò cauendum ne sensus ille, quicumque sit, cui congrua offertur pro tali exercitio materia, nimia violentia applicetur, tùm ne capiti vis inferatur, tùm etiam ne ex vehementia imaginationis, sicut nouimus interdum aliquibus contigisse, geri exterius ea videantur, quæ solùm per imaginationem interius apprehenduntur. Postremò ne qui hoc modò meditandi minus iuuari se senserit, animum propterea despondeat, aut rem despiciat; nam vt varia sunt hominum ingenia, quando id pro ipso non succedat, alijs multis, de quibus antea diximus, orandi, & contemplandi formis, ac rationibus, adhibito præsertim sapientioris in hac arte consilio, fructuosius poterit exerceri.

*

DE CAELESTI CONVERSATIONE, PER INTERNAM ORATIONEM, ET EXERCITIA SPIRITVS.

Liber Octauus.

DE COLLOQVIIS, ET SOLILOQVIIS.

CAPVT PRIMVM.

De colloquio in genere formando.

Cur agendum de colloquijs post adductā ad summum meditationē, & contemplationem.

1 CVM postrema, & præcipua orationis pars sit colloquium, multa de illo tum in genere, tùm in specie sunt explicanda, posteaquàm satis pro nostro instituto iam est dictum de meditationis exordio, progressu, gradibus contemplationis, plenitudine ipsius per cooperationem etiam internorum animæ sentientis facultatum; vt cor, & caro nostra exultent in Deum viuum. Et quia sicut Saluator dixit in Euangelio: *Ex abundantia cordis os loquitur; & bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum:* videndum hìc superest consequenter quomodo colloquia inter orandum benè formentur, & dignè ad meditationis complementum coram Deo proferantur. In genere igitur de colloquijs occurrunt quatuor præsenti capite declaranda: primùm quid propriè in hac materia nomine colloquij intelligere debeamus: secundò quæ sint eius formæ siuè compositiones præcipuæ: tertiò quem locum, aut partem in meditatione sibi maximè vindicent: quartò quibus potissimum personis, aut rebus huiusmodi colloquia dirigantur, tum in specie alia sequentibus capitibus erunt explicanda.

Psal.83.3. Matth.12.34. Lucæ.6.45.

Primùm

2 Primùm ergo, quid intelligere nomine colloquij debeamus, ipsa quodammodo vocis ethimologia declarat. Nihil enim aliud est colloquium, quàm cum aliquo loqui, quod fieri toto tempore meditationis non solet; neque sanè expedit, ne ex colloquio fiat multiloquium, contra præceptum Christi Domini dicentis: *Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici, putant enim, quòd in multiloquio suo exaudiantur*. Quibus tamen verbis Christus Dominus non reprehendit orationem diuturnam, atque frequentem, quam alibi tantopere commendauit, cùm diceret: *Oportet semper orare, & numquam deficere*; & ipse legitur in oratione pernoctasse. Neque etiam vetat absolutè, ne loquamur in oratione, cùm statim ibidem præscribat Dominicam per certas petitiones, & accommodatas voces orationem. Sed prohibere voluit inconsideratam, & futilem verborum profusionem sine vera pietate, deuoto cordis affectu, & digna reuerentia diuinæ maiestatis. Dupliciter autem fieri solet, vt cum Deo, & sanctis in cælo regnantibus orando colloquamur: aut oratione vocali, vocibus nimirum præparatis, & pio aliquo libello, vel memoria recitatis, sicut fit per Dominicam orationem, & Angelicam salutationem, quarum voces sufficit pius affectus, & attentio comitetur: aut Deum, & sanctos alloquimur in oratione mentali, de qua nunc agimus, non de oratione vocali. In hac ergo, quia voces tum primùm excogitatæ affectu deuotionis eas suggerente, atque dictante promuntur, nisi præmissa, & aliquantulum continuata meditatione ab excitatis variarum virtutum feruentioribus affectibus, & desiderijs subsequantur, quibus abundarunt, qui sacra Cantica, Hymnos, & Orationes Ecclesiæ composuerunt, nihil dignum diuina maiestate, vel aula cælesti proloquemur. Idque allatum superius Christi testimonium nobis confirmat dicentis: *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, ex abundantia enim cordis os loquitur*. Et quamuis semper dum inter meditandum mens nostra secum aliquid cogitat, totum illud, quod cogitat, necesse est, habeat in seipsa conceptum, per quandam expressæ sibi speciei similitudinem, quæ verbum mentis appellatur: quia tamen hoc verbum, quod sibi formare interius cogitando consueuit ad alium non semper dirigit, quasi velit alteri suam exprimere cogitationem, ideo non semper dum cogitat, etiam si Deus totum intelligat cogitatum, loqui cum Deo, multò minus cum alio dici potest. Tunc igitur propriè cum Deo miscet mens nostra colloquium, cùm illi suos conce-

Quid sit colloquium de quo agimus.

Matth. 6. 7.

Luca. 18. 1.
Luca. 6. 12.

Matth. 12. 34

ptus dirigens, ita eos format, ac exprimit, vt velit ab ipso, tanquam sibi dictos, & dicatos intelligi: pro quibus maior sine dubio, quàm pro alijs quantumuis honestis, & sanctis cogitationibus requiritur animi attentio, deuotio, & reuerentia: & quantò hæc maiora inuenientur, tantò erunt nostra cum ipso colloquia efficaciora; atque etiam prouenire debebunt ex auxilio speciali gratiæ amplioris. In quam sententiam illud accipi potest à Salomone dictum in Prouerbijs: *Hominis est animam præparare, & Domini gubernare linguam:* præparatur enim anima in præcedenti meditatione, gubernatur autem lingua in eius per colloquium, & negotiationem cum Deo conclusione. Non quasi tum ad inchoandam, tum ad perficiendam, sicut oportet orationem, & aliud quodcumque opus pium, adiutorium gratiæ Dei non requiratur; *qui enim*, ait Apostolus, *incœpit in nobis opus bonum, ipse perficiet*; sed quia, vt explicat S. Augustinus contra duas Epistolas Pelagianorum scribens, maior gratia Dei requiritur ad hoc secũdum. Itaque hominis est præparare cor, idest præcedentibus sanctis in meditatione cogitationibus ad agendum cum Deo se disponere: *sed tamen vt hoc faciat homo*, ait S. Augustinus, *adiuuat Deus: quia sicut est apud eundem Salomonem, præparatur voluntas à Domino*: at Domini est gubernare linguam, vel sicut legit ipse S. Augustinus, Domini est responsio linguæ, quia per huiusmodi sanctas cogitationes, prænia meditatione hinc inde versatas, scire agere ac negociari cum Deo, ita illum alloquendo, vt audiat, respondeat, & exaudiat, opus est virtutis, & gratiæ amplioris. *Ecce*, dicebat S. Iob amicis suis, *omnia hæc vidit oculus meus, & audiuit auris mea, & intellexi singula: sed tamen ad omnipotentem loquar, & disputare cum Deo cupio.* Horũ itaque duorum primum magis pertinet ad meditationem, ad colloquiũ verò spectat hoc secundum: excitamur enim quodammodo in meditatione, vocamur, diuinis inspirationibus, erudimur: in colloquio verò magis diuinæ gratiæ respondemus, cooperamur, & negotium cum Deo peragendo, concludimus; vt tandem quod optauimus ipso liberalius largiente impetremus. Quæ cum ita sint, facilè est agnoscere nomen orationis colloquio proprijssimè, conuenire, & esse veluti eius finem intrinsecum, formam, ac perfectionem. Conuenit nomen orationis colloquio proprijssimè: dupliciter enim à sanctis Patribus oratio mentalis acipitur, & definitur: primùm lata significatione pro quolibet interno motu piæ voluntatis, & intellectus in Deum, & res diuinas: qua ratione oratio à S.Da-

Prou.16 1.
Ad Phil.1.6.
S. Aug. lib. 2. contra duas epist. Pela. c. 8.
Prou 8.35. secundum. 70.
Iob.13.1.3.

S. Damasceno definitur, *ascensus spiritus in Deum*, & à S. Augustino: *Oratio est ascensio animæ de terrestribus ad cælestia, inquisitio supernorum, & inuisibilium desideriorum*. Secundò sumitur oratio strictius, & magis propriè pro talium desideriorum ad Deum per verba mentis directa explicatione: atque ita oratio colloquiũ, & sermocinatio cum Deo esse definitur à sanctis Basilio, Gregorio Nisseno, Ioanne Damasceno, & à sancto Io. Chrysostomo, qui etiam id colligit ex illis psalmi verbis: *Iucundum sit ei eloquium meum*, vel vt ipse legit, *colloquium meum*. Ex quo vlterius intelligimus, colloquium ad finem orationis intrinsecum pertinere; non enim hic agimus de fine extrinseco aliquid à Deo extra orationem impetrandi; sed de fine intrinseco, qui aliud non est, quàm cum Deo agendi, conuersandi, & colloquendi. Vnde etiam redditur manifestum, quod dicebamus, in colloquio consistere formam, conclusionem, & postremam orationis perfectionem. Sicut qui debet negotium cum Rege transigere, secum ipse varia circa illud antea meditatur, tum alloqui Regem aggreditur, & explicare illi cum omni circumspectione sensa sua; & ita negotium concludit, ac perficit. Atque id fortasse voluit nobis Ecclesiastes significare, cùm dixit: *Melior est finis orationis, quàm principium:* nam quod aliqui secundum aliam editionem, non orationis, sed negotij finem, idest conclusionem esse principio meliorem interpretantur, sit ita sanè: at quod nam maioris momenti negotium tractandum suscepimus, aut cum quo maiori Principe conficiendum, quàm quod per orationem est transigendum cum Deo?

S. Dam. lib. 1. fid. c. 14. S. August. ser. 130. de temp.

S. Bas. orat. in S. Mart. Iulit. Nissen. or. 1. de or. dom. Dam. l. 1. fid. c. 14. Chrys. l. 1. de or. & hom. 30. in Gen.

Eccl. 7. 9.

Quæ sint formæ, & species primariæ colloquiorum.

3 Iam verò cùm in genere constet quid sit colloquium, & quomodo ad reliquas orationis partes comparetur, vt quæ sint eius variæ compositiones, & formæ videamus, quod proposuimus secundo loco explicare: illud primùm de hac re dici potest in vniuersum, tot esse, quot sunt varij cordis affectus ad colloquendum in meditatione nos excitantes. Nam, vt scribit de hac materia Cassianus, *aliter supplicat quisquis cùm alacer est, aliter cùm tristitiæ pondere prægrauatur, aliter cùm spiritualibus successibus viget, aliter cùm impugnationum mole deprimitur, aliter cum veniam peccatorum, aliter cùm acquisitionem gratiæ, seu cuiuslibet virtutis exposcit*. Possumus tamen ad quatuor species omnes colloquiorum formas reuocare: quas vt exponamus, meminisse oportet, quod non semel antea dictum est, orationem esse quoddam mysticum, & spirituale

Cass. collat. 9. cap. 7.

Lib. 1. c. 9. S. 9.

cordis

cordis nostri sacrificium. Erant autem antiqua sacrificia quadruplicis differentiæ: Primum dicebatur holocaustum, & erat sacrificium honorarium, in quo tota victima in Dei cultum, venerationem, & supremi eius dominij recognitionem cremabatur. Secundum erat laudis, & gratiarum actionis, quod pro acceptis à Deo benefitijs offerebatur. Tertium erat propitiatorium, in quo offerebatur hostia pro peccato, ad Deum placādum propter culpas iratum, & ad flagella iustitiæ ipsius auertenda. Quartum impetratorium, in quo hostia offerebatur, dicta pacifica, pro nouo aliquo beneficio à Deo impetrando. Simili ergo ratione spirituale hoc nostrum sacrificium per quatuor species, vel formas colloquiorum perficietur, & consummabitur. Primum erit holocausto respondens colloquium honorarium: id quàm acceptum sit Deo ipsemet in Psalmo prophetica voce testatur, vbi reiectis materialibus sacrificijs, illis verbis: *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* de nostro spirituali honorario subiungit: *Immola Deo sacrificium laudis,* & paulo infra: *sacrificium laudis honorificabit me.* Nec est idem Deum laudare, & sacrificio laudis illum honorificare; potest enim Deus solis labijs, sine corde laudari, sicut ab illis fiebat, de quibus ipse conquerebatur dicens: *populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me.* At verò laudis honorificum sacrificium non offertur nisi in ara cordis, apposito igne charitatis, in flamma, & luce, hoc est accensa consideratione diuinarum perfectionum, & beneficiorum nobis collatorum: ita vt post encomia diuinæ maiestatis, bonitatis, ac liberalitatis, offerat homo se totum tamquam in holocaustum diuino beneplacito, & obsequio, his, exempli gratia, vel similibus vocibus Deum alloquendo. *Suscipe Domine vniuersam meam libertatem, accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem. Quidquid habeo, vel possideo, mihi largitus es, id tibi totum restituo, & tuæ prorsus trado voluntati gubernandum. Amorem tuum solum, cum tua gratia mihi dones, & diues sum satis, nec aliud quidquam vltra posco.* Talem enim colloquij formam habemus in libello spiritualium exercitiorum circa contemplationem ad amorem spiritualem in nobis excitandum. Secunda species colloquiorum respondet hostiæ pacificæ, quæ pro acceptis beneficijs Deo offerebatur in laudem, & gratiarum actionem. Quare proprium suum locum habet in contemplatione diuinorum beneficiorum, non solum nobis collatorum, sed etiam proximis nostris, maximè

Psal. 49. 16.

Psal 49. 23.
Isai. 29. 13.
Matt. 15. 8.

B. Ignat. in l. exerc. hebd. 4.

ximè verò sanctis, atque in primis Sancto sanctorum totius ecclesiæ, tum militantis in terris, cum in cælis triumphantis capiti dignissimo, & sublimissimo. Atque hoc est, quod alibi dicebamus, cùm de affectu gratitudinis ageremus, ad affectum grati animi pertinere beneficiorum multitudinem, & magnitudinem recogitare, bene ponderare, & dignè æstimare, quod fieri debet in meditatione; deinde per colloquium ipsa beneficia commendare, laudare, & extollere. Et quoniam nullibi melius, quàm in patria cælesti immensa Dei beneficia comprehenduntur, ideo nunquam ibi sancti à diuinis laudibus conticescunt. Vt propterea diceret Dauid: *Beati, qui habitant in domo tua Domine in sæcula sæculorum laudabunt te*; & S. Ioannes id se audiuisse, & vidisse in sua Apocalypsi testatur: *Vidi*, inquit, *& audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & seniorum, & erat numerus eorum millia millium dicentium voce magna: Dignus est agnus, qui occisus est accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem*. Pleni sunt de hac materia Dauidici Psalmi, & aliquando integri nihil aliud continent, præter colloquia gratiarum, sicut etiam S. Augustini meditationes, & soliloquia, libri quoque confessionum, *qui*, sicut inquit ipse sanctus Augustinus, *& de bonis & de malis meis Deum laudant iustum, & bonum, atque in eum excitant humanum intellectum, & affectum*. Nam vt quædam ex ipso exempla ponamus, laudat Deum bonum de naturæ bonis sibi adhuc in pueritia collatis, cum ait: *Ista omnia Dei mei dona sunt, non mihi ego dedi hæc, & bona sunt, & hæc omnia ego: bonus ergo est, qui fecit me, & ipse est bonum meum, & illi exulto bonis omnibus, quibus etiam puer eram gratias tibi dulcedo mea, honor meus, fiducia mea, Deus meus, gratias tibi de donis tuis, sed tu mihi ea serua*. Deinde paulo post de malis in adolescentia commissis, & à Deo per baptismum, & pœnitentiam sibi remissis, ea sic detestatus gratias agit; *O putredo, ò monstrum vitæ, & mortis profunditas, potuit ne libere, quod non licebat? Quid retribuam Domino, quod recolit hæc memoria mea, & anima mea non metuit inde. Diligam te Domine, & gratias agam, & confitebor nomini tuo, quoniam tanta dimisisti mihi mala, & nefaria opera mea, gratiæ tuæ deputo, & misericordiæ tuæ, quod peccata mea tamquam glaciem soluisti, gratiæ tuæ deputo, & quæcumque non feci mala*. Tertiam speciem colloquiorum sacrificio propitiatorio comparauimus, de quo in Psalmo quinquagesimo dicitur: *Quoniam si voluisses sacrificum*

Lib.6.c.4.§ 4.
Psal.83.5.
Apoc.5.12.
S. Aug. lib.1. retract.c.6.
S. Aug. lib.1. confess.c.20.
S. Aug. lib.1. confess.c.7.
Psal.50.18.

crificum, dediſſem vtique: holocauſtis non delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies. Immo totus hic Pſalmus forma eſt colloquij propitiatorij perfectiſſima, ſicut ferè omnes alij, qui propterea pſalmi pœnitentiales appellantur. Quarta denique ſpecies colloquiorum impetratorio ſacrificio bene reſpondet, illique conuenientiſſimè aſſimilatur, cùm aſcendentibus ex ara noſtri cordis in cælum variorum bonorum, & gratiarum, quibus indigemus, deſiderijs, petitiones noſtræ innoteſcunt apud Deum. Eſt autem hæc forma colloquendi cum Deo ad aliquid ab ipſo impetrandum adeo propria orationis, vt ex hac, tanquam ex differentia conſtitutiua, orationem definierint ſancti Patres. Vt cùm S. Baſilius dixit: *Orationem eſſe boni cuiuſdam petitionem, quæ ad Deum à pijs effunditur:* & à S. Ioanne Damaſceno: *Oratio eſt decentium à Deo poſtulatio.* Propterea dixit Apoſtolus; *In omni oratione, & obſecratione, cum gratiarum actione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum.* Sunt autem non ſolum in hac, ſed etiam in tribus alijs colloquiorum formis ac ſpeciebus tria quædam obſeruanda. Primum vt conſtent verbis valde conſideratis, & reuertenter prolatis: non enim ſunt ſicut alia verba mentis in meditationis curſu qualicumque cogitatione concepta; ſed Deo, vel Sanctis, quos alloquimur diriguntur. Hoc nos admonere Eccleſiaſtes videtur voluiſſe, cum dixit: *Ne temere aliquid loquaris: neque cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram Deo: Deus enim in cælo, & tu ſuper terram, idcirco ſint pauci ſermones tui.* Quapropter in longum meditari, ſicut antea dictum eſt, vt per horam vnam, vel alteram bene licet, colloquia verò toto hoc tempore cùm Deo ſine intermiſſionē fieri vix poterunt, & communiter non expediet: ne ex colloquio fiat multiloquium, à Chriſto Domino in oratione improbatum, vbi dixit, *orantes autem, nolite multum loqui.* Ex quo etiam intelligimus, cur auctores quidam, pij cùm ſint, & docti; tamen nimij videntur eſſe in orationum longitudine reprehendenda, & commendanda breuitate. Vt videre eſt apud Gulielmum Pariſienſem in libro de Rhetorica diuina: loquuntur enim de oratione per continuata colloquia, vnde varia illi accommodāt præcepta rethorica: nam de meditatione, & contemplatione profectò aliter ſentire debuiſſent. Secundo obſeruandum eſt, huiuſmodi verba non tam debere eſſe mentis, & intellectus; quàm cordis, deuotionis, & affectus. Nam propterea cordi aliquando in ſacra ſcriptura tribuuntur: *Tibi dixi*

Ad Phil. 4. 6.

S. Baſ. in orat. in mart. Iulit.

S. Dam. lib. 3. fid. c. 24.

Ad Phil. 4. 6.

Eccleſ. 5. 1.

Matth. 6. 7.

Guliel. pariſ. l. de Rhetor. diuina. c. 44.

Pſal. 26. 8.

Pſal. 137. 1.

dixit cor meum, aiebat Dauid: *& confitebor Domino in toto corde meo. Quia*, inquit S. Gregorius, *excitatus cum reuerentia motus cordis, magnus est ad aures incircumscripti spiritus clamor vocis*. Et S. Bernardus, *animæ lingua*, inquit, *deuotionis est feruor, elinguis est anima, atque infans, quæ hanc non habet, & non potest ipsi vllatenus sermocinatio esse cum Deo*. Tertiò denique obseruandum est, deuotioni, & reuerentiæ internæ, externam quoque esse adiungendam: ideo si quis reliquam longiorem meditationem stando, vel sedendo propter debilitatem transegisset, in colloquio cum Deo genua flectere deberet, apertoque capite, si id antea non fecisset, ad maiorem se reuerentiam componere. Sed interrogabit hìc aliquis, an expediat inter meditandum, huiusmodi colloquia, non solùm internis verbis, sed etiam vocibus externis pronunciare. Respondeo, si quis cum alijs, vel præsentibus alijs meditaretur, vitare debere vocales has expressiones; ne ab alijs cum molestia notetur, & fortè aliqui etiam sinistrè interpretentur. Sed si solitarius meditetur, non esse cur affectus in voces erumpentes cohibeat: quia, sicut dicit in epistola ad Probam S. Augustinus præscribens illi orandi modum, *hic est quidam deuotionis effectus eò dignior, quò feruentior præcessit affectus. Vnde Dauid ait: lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea. Deinde, vt illis rerum signis nos ipsos admoneamus, quantumque in hoc desiderio profecerimus, nobis ipsis innotescamus, & ad hoc agendum nos ipsos acrius excitemus*. Hæc S. Augustinus: atque ita ipse ab initio suæ conuersionis se fecisse testatur in suis confessionibus, vt cùm aliquando solitarius de anteactæ vitæ suæ peccatis, & miserijs multa meditatus fuisset, vt totum coram Deo cor suum cũ vocibus suis effunderet: *multa*, inquit, *in hanc sententiam dixi: Et tu Domine vsquequò? vsquequò Domine irasceris in finem? ne memor fueris iniquitatum nostrarum antiquarum, quamdiu, quãdiu, cras? & cras? quare non modo, quare non hac hora, finis turpitudinis meæ?* Et de S. Francisco refert in eius vita S. Bonauentura; *propterea solitum secedere à communibus habitationibus, & in nemore adiuncto Monasterio se recipere: vbi, sicut obseruatum*, inquit, *est à fratribus, inter meditandum gemitibus, & alta voce quasi coram se positam Dominicam Passionem deplorabat, pro peccatoribus diuinam clementiam interpellabat, modò tanquam cum Redemptore, modò tanquam cum Iudice, modò tanquam filius cum Patre, modò cum amico, & Domino suo colloquebatur.*

S.Greg. lib. 2. mor. c. 4.

S. Ber. ser. 45. in Cant.

S. Aug. epist. 121. cap. 9. ad Probam.

S. Aug. lib. 8. confess. c. 12.

S. Bon. in vita S. Franc. c. 10.

Sed

Quot esse debebunt in oratione colloquia, & quando.

4 Sed iam ad tertiũ, quod explicare proposuimus, progrediamur, nempè cùm non tota longioris temporis meditatio debeat esse colloquium, quando, & quoties sit inserẽdum. Sunt autem præter suum tempus ordinarium, alia tria extraordinaria tempora colloquiorum. Tempus proprium, & ordinarium, sicut constare potest ex dictis, aliud non est, quàm circa finem orationis; ostensum enim iam est illius esse complementum, & perfectionem, & habere se ad meditationem, sicut formam ad materiam, & ad suas præmissas conclusionem. Adeo vt conclusum cum Deo negocium orationis dici non possit, nisi ventum fuerit ad colloquium: quod propterea docemur in documentis spiritualium exercitiorum oratione Dominica cõmuniter terminare; vt quæ pro nostra ruditate corã Deo eloqui nescimus, oratione illa omnium absolutissima, & perfectissima compleamus. In ea siquidẽ oratione expressum breuiter continetur quidquid quatuor supradictis formis colloquiorum spiritu perfectæ orationis possumus agitare, siue ad laudandũ Deũ, qui est in cælis, siue ad gratias illi pro acceptis beneficijs exhibendas, & nomen eius inde sanctificandũ, siue ad noua, & quotidiana munera impetranda, siue demum ad remissionem debitorum, & culparum veniam obtinendam. Præter hoc tempus omnibus meditationibus ordinarium, & commune, sunt alia tria colloquiorum tempora extraordinaria: primùm vbi aliquis inter meditandum valde abundaret affectibus: loqui enim ex illa cordis abundantia, quæ à pio affectu suggeruntur, valde est opportunum, sicut sermonem cohibere pro eo tempore, quodammodo violentum: *Plenus sum sermonibus*, dicebat Iob; *& coarctat me spiritus vteri mei, & venter meus, quasi mustum sine spiraculo, quod lagunculas nouas disrumpit, loquar, & respirabo paululum*. At erit aliquis, qui hic dicat: quomodo possunt cum tranquillitate meditationis, & quiete contemplationis ista consistere? Scire tamen oportet actum perfectæ contemplationis non excludere, immo potiùs excitare in corde affectus feruidiores, quos Iob musto bullienti in nouis laguncul is comparauit: excludit tamen vagos, & inconstantes discursus, cùm sit, quemadmodum à Richardo S. Victoris contemplatio definitur, perspicax, & liber animi contuitus, in res perspiciendas vsquequaque diffusus, & soleat, sicut ipse loquitur, sub vno quasi radio visionis innumera contueri; quæ cùm non possint vno conceptu perfectè exprimi, & quasi ex toto à nobis exhauriri, cogimur de eodem iterata verba multiplicare. Exemplum aliquod profero

B. Ignat. in l. exerc. sæpe.

Iob. 32. 18.

Richard. lib. 1. de contem. c. 3

ex

ex S. Augustino contemplante diuinas perfectiones, & ex admirationis affectu cum ipso Deo ita colloquẽte: *Quid es ergo Deus meus? quid nisi Dominus Deus? Quis enim Dominus præter Dominũ? Aut quis Deus, præter Deum nostrũ? Summe, optime, potẽtissime, omnipotẽtissime, misericordissime, et iustissime, secretissime, & præsentissime, pulcherrime, & fortissime, stabilis, & incomprehensibilis, immutabilis, mutans omnia, nunquam nouus, nunquam vetus, innouans omnia.* Et sic pergit toto ille capite in primo libro suarum confessionum, quod tandem ita concludit: *Et quid dicimus Deus meus, vita mea? dulcedo mea sancta, & quid dicit aliquis, cùm de te dicit? & væ tacentibus de te, quia loquaces muti sunt.* Respexit autem S. Augustinus idipsum aliquando dictum ab Isaia: *væ mihi, quia tacui,* & reddit statim Propheta rationem, cur tacere minimè debuisset: *quia* inquit, *Regem Dominum exercituum vidi oculis meis,* illum videlicet sedentem super solium excelsum, & eleuatum, circa quem *Seraphin clamabant alter ad alterum. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, & plena erat omnis terra gloria eius:* multò ergo minus silere, & non colloqui, vtcumque poteram, ego tantám gloriam contemplatus homuncio debuissem. Sed neque propterea nos arbitrari debemus, pro excessu tãtùm extraordinario contemplationis extraordinaria formanda esse colloquia, hæc enim paucorum sunt, & altius habent magisterium. Vnde ibidem Isaias quamuis ad contemplationem diuinæ maiestatis tacere de eius gloria pertimuerit, tacuit tamen, & silentium suum excusauit: *quia vir pollutus labijs ego sum,* donec volauit ad ipsum vnus de Seraphin, & calculo, quem forcipe tulerat de altari, tetigit os eius. Sed est aliud quoque tempus colloquij extraordinarij pro ijs, qui nõ sunt altæ contemplationis, nempe cùm aduertunt inter meditandum se esse aridos, & desolatos: qua de re multa subijciemus, vbi de quodam speciali colloquio, vel soliloquio cum anima propria inferius disseremus. Est denique tempus quodcumque ad hoc opportunum, in quò sentit aliquis excitari se ab instinctu sancti Spiritus interius ad loquendum: *nos enim quid oremus, sicut oportet nescimus,* dicebat Apostolus, *sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus:* idest postulare nos facit, vt SS. Gregorius, & Augustinus interpretantur; sicut etiam in re simili dicebat in Euangelio Christus Dominus: *Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Quando igitur siue oportunius, siue melius eloqui dabitur in meditatione,

S. Aug. lib. 1. confess. c. 4.

Isa. 6. 5.

Ad Rom. 8. 26

S. Greg. lib. 2. mor. c. 22.
S. Aug. ep. 121 cap. 15.

tatione, quàm vbi à diuino spiritu mota fuerit in orante lingua deuotionis? Vnde aliquos nouimus, qui singula ferè meditationis puncta suo colloquio, propria, & speciali deuotione excitati concludunt: alij puncta ipsa tanquam Rhetoricæ orationis partes in exordium, narrationem, confirmationem, & epilogum, iuxta propriæ deuotionis affectum coram Deo proferendum disponunt, sicut in libro de Rhetorica diuina videre possumus apud Gulielmum Parisiensem.

P. Lud. de Ponte in suis medit.

Gugl. paris. l. de rhet. diu. c. 2. & sequen.

Ordo colloquiorum.

5 Quartum, & postremum, quod superest exponendum, est ordo colloquiorum, idest ad quos dirigere colloquia, & quonã ordine debeamus, cum quo videlicet primùm, cum quo deinceps haberi debeant, vbi essent ineunda cum pluribus. Primùm igitur haberi possunt cum Deo, & cum tribus diuinis personis, maximè autem cum secunda Incarnati pro nobis diuini Verbi, vt fusè postea explicabitur: secundò possunt haberi colloquia cum Deipara Virgine supra omnes puras creaturas gratia, & gloria sublimissima: tertiò cum Angelicis spiritibus: quartò cum alijs sanctis, atque beatis: quintò cum anima propria: sextò etiam cum rebus inanimatis; quæ omnia sex capitibus sequentibus erunt fusè examinanda, & exemplis declaranda. Solùm hic superest breuiter admonendum, hunc quidem ordinem esse dignitatis, & intentionis: contrarium autem magis esse executionis. Quare si diuersa simul colloquia ad plures ordinata personas fuerint ineunda, ab eo colloquio incipiemus, quod erit cũ persona ordinis inferioris, quamuis intẽtio feratur ad altiorem. Ita enim fieri ab eis videmus, qui adeunt aulas Principum ad gratias aliquas obtinendas, & sua cum illis negotia pertractanda: non enim statim cum Principe veniunt ad colloquium, quamuis ad id eorum feratur intentio, vbi primùm aulam ingrediuntur: sed agunt antea cum aulicis ordinis inferioris, tum personas nobiliores, & magis intimos cubicularios alloquuntur, ac demum accedunt ad ipsum Regem, eique exponunt suas petitiones, & indigentias. Proprium huius rei documentum, & in praxi accommodatum exemplum, si quis desiderat, habet apud S. Bernardum in secundo Sermone de Aduentu: vbi, posteaquam docuit accessum nobis ad Filij Dei maiestatem per intercessionẽ eius Genitricis esse quærendũ: vt ad ipsum per eã mereamur ascendere, qui per ipsam ad nos descendit, & per eam venire in gratiam ipsius, qui per eam ad nostras miserias venit, addit pijssimam colloquij formam talibus verbis: *Per te accessum habeamus ad Filium ò benedicta inuentrix gratiæ, Genitrix*

S. Ber. ser. 2. de Aduentu ad finem.

nitrix vitæ, mater salutis: vt per tè nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud illum integritas tua culpam nostræ corruptionis, & humilitas Deo grata nostræ veniam impetret vanitati: copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, & fœcunditas gloriosa fœcunditatem nobis conferat meritorum. Domina nostra, mediatrix nostra, Aduocata nostra, tuo filio nos reconcilia, tuo filio nos commenda, tuo nos filio repræsenta. Addit & alia in eamdem sententiam, quæ apud ipsum legi possunt: hic tantum in genere nos egimus de colloquijs, ad specialia nunc veniemus.

CAPVT SECVNDVM.

De colloquio cum Deo & tribus diuinis personis.

1 NON ideo Deum orantes alloquimur, vt ei tunc primum cogitationes cordis nostri aperiamus; bene enim ipse nouit, etiam antequam loquamur, aut loqui cogitauerimus, quid simus locuturi, & cogitaturi. *Intellexisti*, dicebat Dauid, *cogitationes meas à longe, semitam meam, & funiculum meum inuestigasti, & omnes vias meas præuidisti, quia non est sermo in lingua mea*, nempe quem non præuideris, & à longe ab ipsa specula æternitatis non intellexeris. Sed exponendo illi nostra desideria, voluntates, necessitates, inde notitia propriæ deficientiæ, & diuinæ sufficientiæ, nostrarum imperfectionum, & diuinarum perfectionum cognitio fit in nobis expressior. Vnde accenditur animus desiderio feruentiori, & spe firmiori, ea quæ cupimus, & à Deo petimus obtinendi. Atque huiusmodi bonis animi dispositionibus, non tam quia sunt à nobis expositæ, quàm quia in nobis sunt positæ, monetur Deus ad ea, quæ rogamus liberaliter concedenda. Nunquid enim dubitabat Christus Dominus vellet ne sanus fieri homo ille, qui triginta, & octo annos habens in infirmitate sua, iacebat ad probaticam piscinam, vt interrogari ab eo debuerit: *Vis sanus fieri?* Ignorabat an visum recipere desideraret cæcus ille, qui secus viam magna tum fide, tum voce clamabat: *fili Dauid miserere mei*, vt oportuerit

Cur Deó per colloquia cor manifestemus qui nouit omnia.

Psal. 138. 3.

Ioann. 5. 5.

Marc.10.46. Luca 18.41. Ioann.20 15. S.Greg.ho.25. in Euang.

ab eo postulare: *quid tibi vis faciam?* Nesciebat fortè cur ploraret, & quid quæreret circa eius sepulchrum Maria Magdalena, quando eam interrogabat: *Mulier quid ploras? quem quæris?* minime profectò. *Sed interrogatur à Christo doloris causa,* inquit S. Gregorius; *vt augeatur desiderium, quatenus cùm nominaret, quem quæreret, in amore eius ardentius æstuaret.* Quæ cùm ita sint, tot esse poterunt formæ diuersæ nostrorum cum Deo colloquiorum, & modi varij, ac differentes; quot sunt nostræ spirituales imperfectiones, defectus, necessitates, & his oppositæ, diuinæ Maiestatis, & trium diuinarum personarum excellentiæ, attributa, perfectiones: quas, vt ad certum numerum reducamus, quamuis sine numero esse videantur, distinguamus in Deo communia, & essentialia, ab alijs, quæ dicuntur propria, & personalia. Commune, & essentiale est, quòd sit Deus: proprium, & personale, quòd alia persona sit Pater, alia Filius, alia Spiritus sanctus: & tam Deo in communi, quàm singulis diuinis personis dirigi possunt quatuor illæ species mystici sacrificij, nempe honorarij, gratiarum actionis, impetrationis, & propitiationis. Vnde quatuor multiplicata per quatuor sexdecim reddunt habendorum cum Deo colloquiorum diuersitates: in quarum singulis suæ etiam possunt esse, vt breuiter indicabimus, varietates, & multiplicitates.

Colloquia cum Deitate in communi quomodo fiāt.

2 Primùm ergo colloquia cum Deo formari possunt honoraria iuxta ea, quæ diuinæ naturæ sunt essentialia, & tribus diuinis personis communia attributa, & perfectiones: quæ tot sunt, vt præbeant Sanctis materiam infinitam laudādi Deum per totam æternitatem. In cuius rei significationem voluit Rex Salomon, dum templum à se magnis sumptibus ædificatum Deo solenniter dedicaret, per dies plures plurima sacrificia offerrentur, boum vigintiduo millia, arietum centumuiginti millia: *Sed & Libanus*, ait Isaias, *non sufficiet ad succendendum, & animalia eius non sufficient ad holocaustum: omnes gentes quasi non sint coram eo, & quasi nihilum, & inane reputatæ sunt ei.* Conferet itaque ad huiusmodi colloquia maioris tum submissionis, tum deuotionis affectu formanda, nostrarū imperfectionū cum diuinis perfectionibus collatio, & contrapositio; nostræ infirmitatis cum illa omnipotentia, nostræ inscitiæ cum illa omniscientia, nostræ malitiæ cum illa bonitate, & eminentissima sanctitate. Qua ratione S. Bernardus defectus trium nostrarum potentiarum, nempe intellectus, voluntatis, ac memoriæ, in quibus imago, & similitudo deberet relucere sanctissimæ Trinitatis,

Lib.2. Paral. 7.5. Isa.40.16. S.Ber. ser.11. in Cant.

nitatis, trium diuinarum personarum excellentijs sic opponit: *O Veritas, Charitas, Aeternitas, ò beata, & beatificans Trinitas, ad te mea misera trinitas miserabiliter suspirat, quoniam à te infœliciter exulat: discedens à te quantis se intricauit erroribus, doloribus, timoribus? Heu me qualem pro te commutauimus trinitatem? Cor meum conturbatum est, & inde dolor: dereliquit me virtus mea, & inde pauor: & lumen oculorum meorũ non est mecũ, & inde error. En quàm dissimilem trinitatẽ ò anima mea Trinitas exulans offendisti. Verũtamen quare tristis es anima mea, & quare cõturbas me? spera in Deo quoniã adhuc confitebor illi. Cùm error videlicet à ratione, à voluntate dolor, atque à memoria timor omnis recesserit, & successerit illa, quam speramus mira serenitas, plena suauitas, æterna securitas. Primum illud faciet veritas Deus, secundum charitas Deus, tertium summa potestas Deus, vt sit Deus omnia in omnibus, ratione recipiente lucem inextinguibilẽ, voluntate pacem imperturbabilem consequente, memoria fonti indeficienti æternaliter inhærente.* Iam verò pro colloquio gratiarum actionis illud est obseruandum, quod etiamsi quædam genera beneficiorum specialiter tribuantur æterno Patri, vt creationis, quædam Dei filio, vt redemdtionis, quædam Spiritui sancto, vt sanctificationis; quia tamen sicut S Augustinus ait, separabilia non sunt opera Trinitatis, nihil ab vna diuinarum personarum accipimus, quantùm ad physicam efficientiam, quod ab altera non habeamus; & ita de nullo beneficio vni earum gratias agemus, quin etiam alteri suo modo, vel omnibus tribus in communi referre iure optimo possimus, ac debeamus. Et est hæc actio gratiarum, ait S. Io. Chrysostomus; *Sacrificium maximum, oblatio suauissima multam nobis præbens fiduciæ occasionem, nullo vnquam die prætermittenda.* Ioannes quoque Cassianus exponens illa S. Pauli verba ad Timotheum: *Obsecro ergo primùm omnium fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus,* inter ista quatuor piæ orationis officia, quartum hoc gratiarum actionis omnium vult esse præstantissimum: & primum quidem obsecrationis, ad incipientes peculiarius pertinere, *qui adhuc,* inquit, *vitiorum suorum aculeis, & memoria remordentur:* secundum orationis eorum esse, *qui in profectu iam spirituali, appetituque virtutum quadam mentis sublimitate consistunt:* tertium postulationis ad eos spectare, *qui perfectionem votorum suorum operibus adimplentes intercedere pro alijs quoque consideratione fragilitatis eorum, & charitatis studio pro-*

S. Aug. in Enchir. c. 38. & l. de prædest. sanct. c. 8.

S. Chrys. hom. 72. ad populũ Antioch.

Cass. col. 9. c. 14.

1. ad Tim. 2. 1

uocantur: quartum verò actionis gratiarum ad illos, *qui pœnali spina euulsa de cordibus, securi munificentias Domini, & miserationes, quas vel in præterito tribuit, vel proparat in futuro, mente purissima retractantes ad illam ignitam, & quæ ore hominum exprimi, nec comprehendi potest orationem feruentissimo corde raptantur.* Quod etiam totum respexisse, & confirmare videtur voluisse S. Bernardus in sermone de his quatuor modis orandi, dicens ad primùm requiri affectum verecundum, ad secundum purum, ad tertium, fiducialem, & confidentem; ad quartum deuotione plenissimum, & spiritualibus delitijs affluentem. Ex hoc autem genere colloquiorum quàm conuenienter ad tertiam, & quartam speciem colloquij propitiatorij, & impetratorij veniatur, docuit nos Isaias; vbi post longam diuinorum beneficiorum illi populo collatorum enumerationem, verbis ad grati animi significationem accommodatissimis pro Deo placando, & auxilio eius impetrando, ita colloquendo digreditur: *Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnibus, quæ reddidit nobis Dominus, & super multitudinem bonorum Domui Israel, quæ largitus est eis secundum indulgentiam suam, & secundum multitudinem miserationum suarum. Tu enim Pater noster, & Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos: tu Domine Pater noster, & Redemptor noster, à sæculo nomen tuum. Conuertere propter seruos tuos, tribus hæreditatis tuæ. Facti sumus sicut à principio, cùm non dominareris nostri, neque inuocaretur nomen tuum super nos.* Et hæc quidem colloquendo Dominum Deum in communi.

S. Bern. ser. de quatuor mod. orandi.

Isai. 63. 7. 16. 19.

Quomodo formetur colloquia cum prima persona sanctissimæ Trinitatis.

3 Ad primam verò personam intenta consideratione veniẽdo, propria nunquam deerunt, vnde quadripartita colloquia secundum ea, quæ specialiter tali personæ tribuuntur aptè formentur, siue honoraria, siue actionis gratiarum, siue propitiatoria, siue impetratoria. Honoraria quatenus ipse æternus Pater primus est ex tribus personis sanctissimæ Trinitatis, & ipsi soli per proprietatem, & notionaliter conuenit esse Patrem: cui proinde Christum Dominum sua omnia sæpius in Euangelio legimus detulisse, vbi ait: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius. Et sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter patrem. Et non potest filius facere quidquam, nisi quod viderit patrem facientem.* Ipse est solum principium sine principio, ipse ingenitus, innascibilis, & origo totius Diuinitatis, sicut loquitur sextum Concilium Toletanum; & S. Dionysius Areopagita in libro de diuinis

Matth. 11. 27. Ioann. 3. 35. Ioann. 6. 58. Ioann. 5. 19.

Concil. Tolet. 6. c. 2. S. Dio. de diu. nom. c. 2.

diuinis nominibus: *A diuinis*, inquit, *scripturis accepimus Patrem quidem esse, vt ita dicam, fontanam Deitatem; Iesum autem, & Spiritum sanctum fœcundæ diuinitatis, si ita fas est loqui, gemmas, seu germina à Deo prodeuntia, & quasi flores, ac lumina: quæ verò hæc sint ratione dici, vel cogitari nequaquam potest.* Pro altero verò gratiarum mystico sacrificio eidem primæ diuinæ personæ speciali ratione offerendo, materiam propemodum infinitam suppeditabit incomparabile beneficium ab æterno Patre nobis collatum, mittendi Filium suum in hunc mundum. Quod vt ab ipso æterno Patre, non ab alio recognosceremus, ipsemet Dei Filius plusquam quadraginta vicibus in solo S. Ioannis Euangelio per omnia ferè illius Euangelij capita protestatus est, à Patre se fuisse ad nos missum, à Patre nobis datum, ab ipso exiuisse, ab eo in mundum venisse: nec melius inexplicabilem, & inæstimabilem Patris erga nos dilectionem censuit posse declarari, quàm dicendo: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret; vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Expendamus tantisper quod dicitur: sic, idest tanta dilectionis magnitudine, tanto amoris excessu, quantùm licet colligere ex eo primùm, quia dedit filium, non purum hominem, non Angelum, non Archangelum: *qui*, inquit Apostolus, *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Secundò suum dedit, non alienũ, & ita suum, vt non solum sit de sua substantia, sed suametipsa, licet distincta persona, eadem tamen, & indiuisa substantia: homo namque si daret filium suum, non vtique daret adeo suum, quia alium daret à sua substantia, quamuis de sua substantia à se generatum. Tertiò, Vnigenitum, si vnum è pluribus, quos genuisset filium dedisset, magnum quid sine dubio fecisset, quid ergo erit vnicum, & non adoptatum, sed genitum obtulisse? Quartò, dedit, non enim pretio, vel mercede aliqua vendidit, aut pro alia re commutauit, sed dedit, idest gratiosissimè donauit. Quintò quibus, aut pro quibus dedit? *pro terra, & cinere factis mortalibus*, ait S. Io. Chrysostomus, *innumeris peccatis obnoxijs, & malè de se meritis, & ingratis.* Sextò ad quid? fortè vt nobis gloriosissimè imperaret, apud nos fœlicissimè dominaretur, à nobis coleretur, & vt talem decebat talis Patris Filium, in summo apud omnes honore semper haberetur? Et hoc immensi fuisset beneficij. At ò Diuina fides adeo superans hominum fidẽ; vt in Cruce pro nobis exaltaretur. *Nam sicut Moyses exaltauit*

Ioann. 3. 16.

Ad Rom. 8. 31

S. Chrys. hom. 26. in Ioann.

Massut. de cælesti conuersat. Kk 3 *serpen-*

serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis. Notat autem S. Io. Chrysostomus, non dixisse Christum Dominum se exaltari in Cruce oportere, ne propter tantam altissimi Filij Dei demissionem Nicodemus, qui hæc audiebat adhuc debilis in fide, humanis affectibus perturbaretur; sed maluit sub velo figuræ serpentis Mosaici tegere veritatem, dicens: *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis*. Septimò, vt omnis, qui credit in ipsum: magnum quid, & planè admirabile facturus erat pro nobis Dei Filius, & propè incredibilia passurus in Cruce exaltandus, lex æquitatis exigere videbatur, vt nos serui, & mancipia ipsius aliquid plus, vel nihil minus pro illo faceremus. At quàm modica, & facilis conditio est nobis imposita: vt omnis, qui credit in ipsum, qui nimirum viuæ fidei spirituales oculos in Christum à Cruce pendentem eleuauerit, non pereat. Et hoc est octauum considerationе dignum: tali sumptu prouidetur, ne pereat seruus morte dignissimus, & permittitur, vt in Cruce pereat Auctor vitæ. Nonò, sed habeat vitam æternam: tot laboribus, sudoribus, doloribus, tanto effuso sanguine magnum aliquod emolumentum ipsi Dei Filio inde prouenturum quis non expectasset? sed vtilitas tota nostra est, vt qui propter peccata omnino perijssemus, non pereamus, sed æternam vitam habeamus. Hæc est charitas in nos Dei Patris, quæ tanquam inexplicabilis illa particula, sic, indicatur, cum dicitur: *Sic Deus dilexit mundum*. Qua de re quisquis per hæc nouem capita meditatur, habet pro mystico sacrificio actionis gratiarum materiã satis amplam, & copiosam. Pro sacrificio verò, siue colloquio propitiatorio, & impetratorio facit imprimis exemplum Christi Domini, qui in sua communiter oratione colloquia æterno suo Patri dirigebat, & vt nos idem faceremus edocuit: dicens, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis: & quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam*. Vnde omnes ferè orationes, quæ ad nocturnas diurnasque Canonicas preces, & in quotidiano Missæ sacrificio veteri instituto ab Ecclesia proferuntur, obseruare licet, Deo Patri per Iesum Christum Dominum nostrum esse directas: quin & ipsum verum sacrosanctum Missæ sacrificiũ, quod non minus vni, quàm alteri diuinæ personæ competit, Deo Patri potissimum per illa prima Canonis verba dirigitur: *Te igitur Clementissime Pater per Iesum Christum Filium tuũ Dominum nostrum supplices rogamus, ac petimus vti accepta habeas, & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia.*

S. Chrys. hom. 26. in Ioann.

Ioann. 16. 23.
Ioann. 14. 13.

Circa

4 Circa secundam verò Sanctissimæ Trinitatis Diuinam personam explicare tertio loco debemus, quam multa quoque propria considerari possent, ex quibus materia specialis colloquiorum eruatur. Quædam enim iuxta naturam diuinam tali personæ conueniunt, quædam alia iuxta naturam humanam. Conuenit illi primùm propter communicatam sibi à Patre naturam diuinam, esse Altissimi Filium, esse Dei Vnigenitum, Verbum æterni Patris, viuam illius bonitatis imaginem, & simul cum eodem Patre principium Spiritus sancti: secundum verò naturam humanam, esse nostrum mediatorem, Redemptorem, apud Patrem intercessorem, & alia his similia quamplurima, & iuxta hæc omnia poterunt formari, & ad eum dirigi nostra quadripartita colloquia, honoraria, actionis gratiarum, propitiatoria, & impetratoria. Et quidem in honorario æmulari cæli ciues maximè deberemus; in cælis enim quamuis sacrificium laudis Deo sine cessatione semper offeratur; vnde in Psalmo dicitur: *Altaria tua Domine virtutum, Rex meus, & Deus meus, beati, qui habitant in domo Domini in sæcula sæculorum laudabunt te:* tamen per ea, quæ vidit in sua Apocalypsi S. Ioannes, facilè intelligimus laudes, cultus, & orationes, Vnigenito Dei Verbo, & Agno pro nobis in sacrificium oblato, à sanctis supernæ illius Ciuitatis specialiter, & potissimum exhiberi. Nam ante ipsum deponunt singuli coronas suas: illi ab omnibus dicitur: *Benedictio, & bonor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum*: illi cantatur Canticum nouum à centū quadraginta quatuor millibus, quod ab alijs cantari non potest, & sequuntur Agnum, quocumque ierit: illius est præcipua gloria totius sanctæ ciuitatis, quæ propterea vxor Agni appellatur, & in fundamentis duodecim omni lapide pretioso exornatis duodecim nomina Apostolorum Agni descripta leguntur. Ibi non aliud templum, alius Sol, vel Luna esse dicitur: *Dominus enim Deus templum illius est, & agnus: & Ciuitas non eget Sole, neque Luna, vt luceant in ea, nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius est Agnus*: idest quà Verbum sanctificans, illuminans, lætificans beatas illas mentes, & spiritus; quà homo etiā corpora sanctorum per suos sensus beatificans, & glorificans. Vnde ardet eidem ibi similiter actionis gratiarū iuge, & perenne sacrificium: nam hoc est, quod S. Ioannes se vidisse commemorat, sanctos cecidisse coram Agno venerabundos, habentes phialas aureas plenas odoramentorum, & dicentes: *Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius, quoniam*

Quomodo formentur colloquia cum secunda persona sāctissimæ Trinitatis.

Psal. 83. 4.

Apoc. 4. 10.
Apoc. 5. 13.
Apoc. 14. 3.

Apoc. 21. 22.

Apoc. 5. 8.

occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro Regnum, & sacerdotes, & regnabimus. Quamuis autem beneficia, pro quibus infinitas gratias referre Dei Filio tanquam nostræ salutis reparatori debemus, plura, & manifestiora sint in Beatis; re tamen ipsa quoad pretium redemptionis, gratiæ vniuersæ, omnisque benedictionis, pro nobis omnibus iam est persolutum. Quare minori licet facultate, non minori tamen voluntate, reddere illi gratias immortales per singula momenta temporis, si posset fieri, singuli teneremur. Multò ergo minus vbicumque inter meditãdum occasio circa hanc materiam nobis se obtulerit, ea prætermittenda est, sed libentissimè arripienda, & verbis grati animi significantissimis, memoria tot beneficiorum Saluatori nostro beneficentissimo exprimenda. Imitemur in hoc Sanctissimam Deiparam, cuius anima quantò magis diuinis charismatibus replebatur, tantò humilius, & deuotius Dominum magnificabat, & exultabat spiritus eius in Deo salutari suo. De qua proinde refert ad hoc propositum S. Bonauentura, quòd sine intermissione Dominum Deum benedicebat, vt ab ipsa primùm inducta fuerit laudabilis illa consuetudo, quæ vsque ad hanc diem inter personas plerũque religiosas obseruatur, vt se inuicem salutantes, Deo pronuncient gratias, & hoc S. Hieronymi testimonio confirmat: cui nos addere possumus S. Augustinum, qui in quadam epistola, *Quid*, inquit, *melius & animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quàm Deo gratias? hoc nec dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest.* Si verò ab actione gratiarum ad mysticum propitiatorium, & impetratorium sacrificium eidem Redemptori nostro benignissimo dirigendũ, meditatio, aut contemplatio nos deduxerit, aduertere oportebit, quod ait in sua prima epistola S. Ioannes: *Aduocatũ habemus apud Patrem Iesum Christum Iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Ponderat autem in commentario huius loci S. Thomas tria hæc verba: Iesum, idest Saluatorem, ad quem pro salute nostra intercedere pertinet ex officio: Christum, idest sanctum plenitudine gratiæ, ad quem pertinet ex compassionis zelo, quia pius: Iustum, sine culpa propriæ offensæ, ad quem pertinet ex vitæ meritò, quod non repellatur, vt indignus. *Securum ergo habes ad Deum accessum*, ait Sanctus Bernardus ibidem à S. Thoma relatus, *vbi ante Patrem filium, ante filium habes matrem: mater ostendi filio pectus, & verbe-*

S. Bon. in lib. med. vita Christi c. 3.

S. Aug. ep. 77.

1. Ioann. 2. 2.

S. Thom. in 1. Ioann. 2.

Arnol. Carno. potius sũt verba in l. de laudibus virg. to. 6. bibl. pp. qui fuit S. Ber. familiaris.

ra,

ra, filius ostendit Patri latus, & vulnera: nec vlla esse repulsa potest, vbi occurrunt tot charitatis signa. Sed de colloquio, & recursu ad Beatissimam Virginem agemus toto capite sequenti: nunc id quod pertinet ad tertiam personam sanctissimæ Trinitatis absoluamus.

5 Tertia itaque Augustissimæ Trinitatis diuina persona per quamdam proprietatem, Spiritus, & sanctus, & Patris, ac filij commune donum appellatur. In eo verò, quod spiritus nominatur, Pater, & filius esse spiritus non negatur; non enim nisi substantia summè spiritualis est Deus. Vnde quod in Psalmo quinquagesimo dicitur: *& spiritu principali confirma me*, de æterno Patre S. Bernardus interpretatur: quod additur: *spiritum rectum innoua in visceribus meis*, de Filio Dei: *& Spiritum sanctum tuum ne auferas à me*, propriè accommodat Spiritui sancto. *Sed Spiritus sanctus*, inquit S. Augustinus, *ineffabilis est quædam Patris, filijque communio, & ideo fortasse sic appellatur, quia Patri, & filio potest eadem appellatio conuenire, nam hoc ipse propriè dicitur, quod illi communiter: quia & Pater spiritus, & filius spiritus, & Pater sanctus, & filius sanctus. Vt ergo ex nomine, quod vtrique conuenit, vtriusque communio significatur, vocatur donum amborum Spiritus sanctus*. Est & alia ratio à Theologis assignata, cur Spiritus sanctus hoc nomine appelletur, quia eius diuina processio non est sicut Verbi per intellectum, sed per voluntatem, & amorem, cuius est amantem impellere in amatum; hic ergo ineffabilis, & purissimus impulsus nomine spiritus conuenientissimè designatur. In cuius rei simbolum, de ipso super Apostolos in die Pẽtecostes descendente dicitur in actis Apostolicis: *factus est repente de cælo sonus tanquam aduenientis spiritus vehementis*. Additur, sanctus, non quasi Pater, & filius minus aliquid habeant sanctitatis, cùm propterea ter sanctus Dominus Deus à Seraphin apud Isaiam appelletur; sed quia sanctitas sicut ab Areopagita describitur, est ab omni labe intemerata puritas: & quemadmodum contrahitur impuritas corporalis per contactum corporeæ fœditatis, ita per inclinationem affectus ad aliquid impurum contrahitur animæ impuritas spiritualis, iuxta illud Oseæ: *facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt*. Quid ergo purius, quid ab omni labe remotius, atque adeo sanctius poterit aut dici, aut excogitari, aut intelligi, hoc amoris diuini purgatissimo igne, intra fornacem immensæ Deitatis à voluntate purissima, sincerissima, simplicissima Patris, & filij, quæ vna, & eadem est,

sicut

Quomodo formẽtur colloquia cum Tertia Persona sanctis. Trinitatis.

Psal. 50. 14.

S. Bern. ser. 3. de Pent.

S. Aug. l. 5. de Trin. c. 11.

S. Thom. 1. p. q. 35. art. 1.

Act. 2. 2.

Isa. 6. 3.

S. Dion. c. 12. de diu. nom.

Osea. 9. 10.

ſicut eadem eſt bonitas, eadem virtus, atque natura, ad eundem amorem ſimul ſpirandum, qui propterea Spiritus ſanctus conuenientiſſimè appellatur. Amborum verò donum ideo dicitur, quia ipſe tanquam amor à patre ſimul filioque procedit: eſt autem amor eius, qui amat, in eum, quem amat donum primarium, & propria ratio omnis gratuitæ donationis. Quare quidquid ad purificandum affectum, ad illuminandum intellectum, ad animum omni virtutum genere ditandum, & exornandum deſiderari poteſt, ſiue per ſeptem dona S. Spiritus appellata, ſiue per duodecim fructus ipſius, ſiue per alias gratiarum multiplices diuiſiones, *quas operatur vnus, atque idem ſpiritus diuidens ſingulis prout vult*, occaſio eſſe poterit, & materia fœcũdiſſima taliũ colloquiorum. Exemplum hac de re aliquod ex meditationibus, quæ S. Auguſtino tribuuntur, afferamus, vbi tale habetur cum perſona Spiritus ſancti colloquium. *Iam diuini amor numinis Patris omnipotentis, proliſque beatiſſimæ ſancta communicatio, omnipotens paraclete ſpiritus, mœrentium conſolator clementiſſime, iam cordis mei penetralibus potenti illabere virtute, & tenebroſa quæque laris neglecti latibula corruſci luminis fulgore pius habitabor lætifica, tuique roris abundantia longo ariditatis marceſcentia ſqualore viſitando fœcunda. Saucia interioris hominis arcana tui amoris iaculo, & torpentis medullas iecoris flammis ſalutaribus penetrando ſuccende, ſanctique feruoris igne illuſtrando, intima mentis, & corporis penetrando, depaſce. Pota me torrente voluptatis tuæ, vt nihil iam mundanæ deguſtare libeat venenatæ dulcedinis. Beatus, qui te merebitur hoſpitari, quoniam per te Pater, & filius apud eum facient manſionem. Veni iam veni benigniſſime dolentis animæ conſolator, protegens in opportunitatibus, in tribulationibus adiutor. Veni mundator ſcelerum, curator vulnerum. Veni fortitudo fragilium, releuatio labentium. Veni humilium doctor, viduarum dulcis iudex, ſidus nauigantium, portus naufragantium, ſingulare decus omnium viuentium, ſalus vnica morientium.* Similia in pluribus hynnis Eccleſiaſticis de S. Spiritu leguntur, quæ ſemper licebit vnicuique in huiuſmodi colloquijs inducere, vel relictis verbis, iuxta conſimiles affectus imitari.

1. Cor. 12. 11.

S. Aug. medit. cap. 9.

CAPVT TERTIVM.

De colloquio cum sanctissima Dei Genitrice.

1 COLLOQVIA cum Deipara sanctissima etiam quatuor modis in vniuersum fieri poterunt, primum per modum sacrificij honorarij, secundò gratiarum actionis, tertiò propitiationis, quartò nouarum gratiarum impetrationis. Est autem discrimen obseruandum inter huiusmodi spiritualia, & mystica precum sacrificia, ac verum, & propriè dictum sacrificium, quod in lege Euangelica non est aliud, nisi corporis, & sanguinis Domini hostia salutaris. *Nam, vt* ait S. Leo, *nunc sacrificiorum carnalium varietate cessante, omnes differentias hostiarum, vna corporis, & sanguinis Christi implet oblatio*. Hoc itaque propriè dictum sacrificium, quia ad cultum latriæ pertinet, vni Deo tantum offertur: *Quis enim Antistitum,* ait S. Augustinus, *in locis sanctorum corporum assistens altari aliquando dixit: offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui Martyres coronauit, apud memoriam eorum, quos coronauit. Vt ex ipsorum locorum admonitione maior affectus exurgat ad accendendam charitatem, & in illos, quos imitari possumus, & in illum, quo adiuuante possumus*. Sed loquendo de hoc nostro mystico quadripartiti colloquij sacrificio, id non soli Deo, diuinisque personis, verũ etiam sanctis Angelis, & Beatis cum Christo regnantibus bene potest dirigi, & offerri; maximè autẽ Deiparæ Virgini Beatissimæ, tamquam omnium inter puras creaturas sanctiori, & sublimiori, Deoque post Christum Dominum dignitate, gloria, & maiestate propinquiori, vt discurrendo per singulas quatuor nostrorum colloquiorum prædictas species apparebit.

Quadruplex colloquiũ cũ B. Virgine.

S. Leo, ser. 8. de passione.

S. Aug. l. 20. contra Faustũ cap. 21.

2 Nam vt ab honorario incipiamus, tria sunt, vnde persona maximè redditur honorabilis, generis eximia nobilitas, officij suprema aliqua dignitas, & propriarum virtutum excellentia singularis. Et primùm quidem nobilitatem Virginis Beatissimæ, erit qui existimet à longa maiorũ serie deducendã, videli-

Primum colloquium per modum sacrificij honorarij.

videlicet tot Patriarcharum, tot Regum, Prophetarum, summorum Sacerdotum, atque Pontificum; vnde per multa annorum sæcula tanti splendoris traxit originem, vt illustriorem prosapiam in nulla humani generis familia liceat inuenire. Quare verba illa Ecclesiastici solet ei Ecclesia accommodare: *Et radicaui in populo honorificato, & in parte Dei mei hereditas illius, & in plenitudine sanctorum detentio mea*. Sed est aliquid in hoc genere longè maius, siquidem nobilitas ex consanguinitate, & affinitate contrahitur, hæc autem Dauidicæ stirpis regia Virgo ita sanguine coniuncta est illi, qui habet in vestimento, & in fœmore suo scriptū: *Rex regum, & Dominus damnantium*, idest Christo ex intemeratis eius visceribus progenito, vt esse coniunctior consanguinitate non potuerit. Vnde summam, quantùm puræ creaturæ fas est cum persona Verbi diuini contraxit affinitatem, atque adeo consequenter propter naturæ in diuinis personis idētitatem, cum persona quoque Patris, & Spiritus sancti, totaque Deitate. Hinc est, quòd stemmatum eius iniri numerus vix potest: & nunc dicitur cedrus in Libano exaltata, nunc cypressus in monte Syon, nunc plantatio rosæ in Ierico, oliua speciosa in campis, lignum vitæ, Dauidica turris cum propugnaculis exædificata, diuinæ sapientiæ domicilium, aurora, Stella, Luna, Sol, cælorum scala, & Regis alti Ianua, & porta lucis fulgida. Ex quibus omnibus, & singulis, vnde integræ litaniæ conficiuntur, singula formari colloquia honorifica optimè possunt. Secundùm, ex quo persona redditur honorabilis est officij dignitas, & eminentia, quæ tanta est in Beatissima Virgine, quatenus vera Dei Genitrix, & Mater Altissimi est constituta, vt maior effici nec ab ipso omnipotente potuerit. Est hæc doctrina grauissimorum theologorum, & inprimis S. Thomæ, qui disputas vtrum possit Deus ea, quæ fecit, facere meliora. Respondet tria esse, quæ Deus non potuit facere, vel vt magis propriè loquamur, quæ non potuerunt fieri in sua ratione meliora; nempe Christi humanitas, ex eo, quod est vnita hypostaticæ Deo, & beatitudo sanctorum, inquantum est fruitio Dei, & Virgo Deipara: *quæ hoc ipso, quòd est Mater Dei, habet*, inquit S. Thomas, *quamdam dignitatem infinitam ex bono infinito, quod est Deus. Et ex hac parte non potest aliquid fieri melius, sicut non potest esse aliquid melius Deo*. S. quoque Bonauentura sic in eamdem sententiam scripsit; *Ipsa est, qua maiorem Deus facere non posset; maiorem mundum facere posset Deus, maius cælum facere posset Deus,* maio-

Eccl. 24. 16.

Apoc. 19. 16.

S. Thom. 2. 2. q. 103. art. 4.

Eccl. 24. 17.

S. Thom. 1. p. q. 25. artic. 6. ad 2.

S. Bon. in spec. B. V. c. 8.

maiorem Matrem, quàm Matrem Dei, non posset facere Deus. Inducit ad idem confirmandum S. Antoninus Alberti Magni testimonium plus aliquid hac de re asserentis: non posse nimirum intelligi maiorem gratiam à pura creatura participari, quàm esse Dei Genitricem. Quod non de solo titulo Maternitatis, aut officio tantùm generationis corporalis est intelligendum, sicut illa intellexit, quæ dicebat in Euangelio: *Beatus venter, qui te portauit*, cui propterea respondit Christus Dominus: *Quinimmo beati, qui audiüt Verbum Dei, & custodiunt illud*. Sed quia iuxta diuinam prouidentiam, prius debuit Dei Genitrix Virgo concepisse Deum mente, quàm ventre; & ditari tanta copia gratiarum, quantā expediebat tribuere tali Matri talem Filium, & à talio Filio talem Matrem decebat accipere. *Nempe*, inquit S. Anselmus, *decens erat, vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi Virgo illa niteret, cui Deus Pater vnicum Filium suum, quem de corde suo æqualem sibi genitum, tanquam seipsum diligebat, ita dare disponebat, vt naturaliter esset vnus idemque communis Dei Patris, & Virginis Filius, & quam ipse Filius substantialiter facere sibi Matrem eligebat, & de qua Spiritus sanctus volebat, & operatus est, vt conciperetur, & nasceretur ille, de quò procedebat*. Quòd si quemadmodum arguit ex dicto Salomonis S. Bernardus: gloria Patris est Filius sapiens, qualis nam increata æterni Patris sapientia splendor erit, & gloria tantæ Matris? Et si, vt ex S. Paulo argumentatur S. Bernardinus Senensis: *Christus Dominus tantò melior est Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim aliquando Angelorum dixit: Filius meus es tu, Ego hodie genui te? cur non etiam de hac Virgine excelsissima dici potest: tantò melior Angelis effecta, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit, cui enim creaturarum dixit aliquando Deus: Mater mea es tu, tu me hodie genuisti?* Hinc est quod magna Mater per antonomasiam appellatur: id verò cùm dicimus, simul significamus ipsam esse supremam omnium creaturarum Dominam, Reginam, Imperatricem, cuius eminentiam, vt exprimerent Sancti Ecclesiæ Patres, & ipsa Ecclesia, vocat illam cum quibusdam adiunctis Dominam Angelorum, Dominam Ciuium supernorum, Reginā Cæli, Reginā omnium Sanctorum, Matrem Creatoris, Matrem Diuinæ gratiæ, Matrem admirabilē, & per quàm benedictam dominarum Dominam purissimam, vocat S. Ephrem, Dominam Cælestium, Terrestrium, & Infernorum appellat S. Bonauentura, totius Mundi Monarchā, S. Antoninus,

Regi-

S. Anton 4. p. tit. 15. cap. 20. §. 9.

Luc. 11. 27.

S. Ansel. lib. de concep. Virg. cap. 18.

S. Bern. ser. 4 super missus est.

S. Bern. Senēs. to. 3. conc. 61. art. 2. c. 4.

Ad Heb. 1. 4.

S. Eph. orat. de B. V.

S. Bon. in spec. cap. 3.

S. Ant. 4. p. tit. 15. c. 22. § 9.

Naz. in trag. de Christo Pat.

Reginam, Dominam, & generis humani bonum, ait Nazianzenus. Hi omnes, & similes supremæ dignitatis gradus hoc vno Deiparæ, siue Matris Dei nomine includuntur; quod nomen cum illi detrahere impius Nestorius ore blasphemo, & sacrilego ausus fuisset, negans eam debere appellari θεοτόκον, idest Deiparã, sed malignè detorta pronunciatione, θεότοκον idest Dei filiam, esse dicendam, nempe adoptatã, vel ad summum χριστοτόκον idest Christiparam, Christum interim purum hominem existimans, non verum Deum, primùm ab vniuerso Concilio Ephesino damnatus, & anathematizatus, deinde à Deo seuerissimè punitus fuit: lingua enim eius à vermibus in ore scatentibus exesa, & corpore toto computrescente fœdè mortuus est. Et ab eo tempore, dicunt aliqui Historici, fuisse adiunctum in Ecclesia Catholica Angelicæ salutationi: *Sancta Maria Mater Dei*, quod antea expressum in illa oratione non habebatur. Tertium vnde excitari ad honoraria cum hac Sacratissima Virgine colloquia maximè possumus, est gradus eminentissimæ sanctitatis, & omnium virtutum, donorum, & meritorum singularissima excellentia. Quæ siue ab initio suæ immaculatæ Conceptionis, siue in progressu Angelicæ potiùs, quàm humanæ vitæ ipsius, siue demum in eius fœlicissimo fine, & egressu considerentur; adeo superant humanam intelligentiam, vt meritò cum SS. Bonauentura, & Bernardino Senensi de ea liceat spiritualiter interpretari, quod legitur in Ecclesiastico: *Radix sapientiæ cui reuelata est? ipse*, nempè solus Deus, *creauit illam in Spiritu sancto, & vidit, & dinumerauit, & mensus est*. Nos hæc breuiter possumus affirmare: primùm in sua conceptione omni culpa, seu macula peccati caruisse, statim eius fomitem affluentia gratiarum extinctum fuisse, & plus gratiæ sanctificantis illo momento accepisse, quàm vllus siue hominum, siue Angelorũ, non solum in prima sui sanctificatione, verum etiam in vltimo gratiæ termino, & consummatione. Sic enim illud in Psalmo dictum mysticè solet intelligi: *Fundamenta eius in montibus sanctis*; idest exordia sanctitatis Beatissimæ Virginis in montibus sanctis, ibi nimirum iacta fuerunt, vbi aliorum Sanctorum supremus gratiæ gradus terminatur. Et huius eminentiæ duplex ratio in eodem Psalmo subiungitur, cùm dicitur: *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob: & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus:* quia videlicet plus à Deo Virgo beatissima inter puras creaturas diligebatur, quàm vllus vnquam hominum, aut Angelorum: & hoc propterea, quia

ἡ θεοτόκος, Deipara. ἡ θεότοκος, Dei Filia. ἡ χριστοτόκος, Christipara.

Niceph. Cedr. Euagr. apud Bar. ann. 436 & Idem Bar. ann. 431. S. Prosp. cõtra Collat. ad finem.

Eccl. 1 6.9. S. Bern. Senen. tom 2. ser. 51, art. 3. c. 1.

Psal. 86. 1.

quia de ea concipi, homo fieri, & nasci æterno consilio destinauerat. *Quid ergo gradius*, meritò exclamat B. Petrus Damianus, *Virgine Maria, quæ magnitudinem diuinitatis intra sui ventris conclusit arcanum? Attende Seraphin, & illius superioris naturæ superuola dignitatem, & videbis quidquid maius est minus Virgine, solumque opificem opus istud supergredi.* Quod si tãta fuit in prima eius sanctificatione gratiæ plenitudo, quis dicet, aut intelliget, quanta fuerit in progressu? Ille ipse missus ad eam Legatus magni Consilij Gabriel Archangelus cùm illam gratiæ plenam salutasset, ab ea interrogatus: *quomodo fiet istud?* ad imperscrutabilem sancti Spiritus scientiam, & prouidentiam transtulit quæstionem, dicens: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi:* circa quæ verba S. Bernardinus Senensis ita scribit. *Quod Deus generet Deum, nulla requirebatur in Deo dispositio, cùm ei ex natura conueniret, vt per viam naturæ, intellectus produceret verbum per omnia sibi æquale. Sed quòd fœmina conciperet, & pareret Deum, est, & fuit nimis grande miraculum, oportuit enim, vt sic dicam fœminam eleuari ad quandam æqualitatem diuinam per quandam infinitatem perfectionum, & gratiarum, quam æqualitatem creatura nunquam experta est. Vnde, vt credo, ad illam abyssum imperscrutabilem omnium charismatum Spiritus sancti, quæ in Beatam Virginèm descenderunt, in hora diuinæ Conceptionis, intellectus humanus, vel Angelicus nunquam potuerunt attingere: & cùm Virgo diceret; quomodo fiet istud? Angelus responderet, tantùm mysterium se ignorare, dicens: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: quasi diceret: quod à me quæris ignoro, sed æternæ sapientiæ doctor, qui sibi solùm hoc altissimum mysterium reseruauit, te per illuminatissimam scientiam edocebit.* Addit vnum idem vir Sanctus, & Dei genitricis deuotissimus, quod alicui nimis hyperbolicum videri posset: plus Dei Matrem meruisse actu illo fidei, & submissæ obedientiæ, quo Angelo annuncianti Filij Conceptionem assentita est dicens: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, quàm meruerint omnes Sancti, & omnes Angeli omnibus, & singulis cogitationibus, affectionibus, actionibus, & operationibus meritorijs simul.. Atque ad id accommodat dictum à Salomone in Prouerbijs: *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas.* Quod si intelligatur, quatenus illo actu, qui fuit vltima, & immediata eius ad illud mysterium dispositio, meruit saltem de congruo diuinæ

Petrus Dam. serm. de nat. B.V.

S. Ber. Senens. to. 1. conc. 61. art. 1. c. 12.

S. Ber. tom. 2. conc. ser. 51. art. 3. c. 1.

Prou. 31. 29.

Mater-

Maternitatis altissimam dignitatem, cui comparatæ omnes aliæ simul cunctarum creaturarum dignitates, videntur esse inferiores, non habet dictum magnam difficultatem. Certè si considerentur aliorum quoque Sanctorum Patrum grauissima testimonia de admirabili, inæstimabili, incomparabili, propè infinita, & quodammodo immensa, vt ipsi loquuntur, gratia Sanctissimæ Deiparæ; fateri oportebit esse admodum verisimile, quod graues Theologi docuerunt: Beatam Virginem saltem circa vitæ suæ finem plures gratiæ diuinæ gradus esse consecutam, quàm in omnibus sanctis & Angelis simul inueniantur. Qua de re B. Laurentius Iustinianus sic ait: *Meritò quidquid honoris, quidquid fœlicitatis habetur in singulis, totum abundat in Virgine.* Hinc Sanctorum tāta admiratio de Beatissima Virgine Maria, S. Io. Chrysostomum inter alios audiamus: *Magnum re vera miraculum, fratres dilectissimi, fuit semper Beata Virgo Maria. Quid namque illa maius, aut illustrius vllo vnquam tempore inuentum est, seu aliquando inueniri poterit? hæc sola cælum, & terram amplitudine superauit. Quid nam illa Sanctius? Non prophetæ, non Apostoli, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphin, non Cherubin, non denique aliud quippiam inter res visibiles, aut inuisibiles maius, aut excellentius inueniri potest.* Et in sua Lithurgia vocat illam: *incōparabiliter gloriosam, quàm Seraphin.* S. Ephrem, *nulla comparatione omnibus supernis exercitibus gloriosiorem, præstantissimum orbis terræ miraculum, omnium Sanctorū coronam ob fulgurem inaccessam.* Neque desunt huius inexplicabilis excessus gratiæ, & gloriæ conuenientissimæ rationes: si quidem prima Beatissimæ huius Virginis gratia, Cherubin, & Seraphin, vt iam diximus, superauit; ex qua numquam ipsa remissè operabatur, nulla ad malum, extincto prorsus fomite inclinatione, nulla in bonum ex tanta plenitudine gratiarum, difficultate impediente conatum maximum ardentissimæ illius voluntatis, & intensissimæ charitatis, quâ supremos Angelicos spiritus longè superabat, auxilijs, & fauoribus gratiæ excitantis, & adiuuantis specialissimis, quibus ex toto cooperabatur: ita vt iuxta doctrinam Theologorum de augumento gratiæ, & charitatis, facilè potuerit per singulos actus meritorios totam gratiam præcedentem, virtutes infusas, & dona sancti Spiritus multiplicatis in anima sua gradibus statim sibi reduplicare. Neque pauci fuerunt huiusmodi actus meritorij; non enim, sicut in Angelis via ad beatitudinem promerendā fuit illi breuissima, sed longissima,

Suarez. to. 2. in 3. p. d. 18. sec. 4.

B. Laur. Iust. ser. de assump. B. Virg.

S. Io. Chrysost. hom. quæ est in breuiario in festo. Natiuit. B. V.

S. Io. Chrys. in lithurgia.

S. Ephrem in orat. de laud. B. Virg.

sima, nempe annorum, quibus ipsa vixit plusquam sexaginta, siue, vt alij valde probabiliter opinantur vltra septuaginta: incipiendo augere cumulum meritorum ab ipso instanti suæ immaculatæ Conceptionis, vsu rationis ab eo momento diuinitus accelerato, nec vnquam impedito ab actibus meritorijs vitæ nunc actiuæ, nunc contemplatiuæ, etiam per somnum, propter scientiam infusam à phantasmatibus independentem. Quod si quis computet quantum, non dicam per tot annorum decades, neque per integrum annum, aut mensem, aut totum vnum diem, sed per vnicam horam, excrescant merita duplicata secundùm actus meritorios, qui poterunt illa hora multiplicari; facile intelliget pro tanto excessu meritorum, non fuisse excessum verborum dicere, vt sancti Patres aliquando dixerunt, abyssum gratiarum, cumulum meritorum, copiam donorum in hoc cælesti thesauro reconditorum, incomparabilem, inexplicabilem, penè immensam, propè infinitam, ne Angelis quidem perfectè intelligibilem, soli Deo, ipsiq. Virgini comprehensibilem. Quapropter tribuitur illi quoad gloriam tantæ gratiæ respondentem, in cælesti beatitudine chorum constituere ab omnibus alijs per se distinctum, sanctis hominibus, & Angelis longè sublimiorem; de quo Ecclesia canit: *Exaltata est sancta Dei Genitrix super choros Angelorum ad cælestia regna: & ad æthereum thalamum, in quo Rex Regum stellato sedet solio*; atque ideò post Christi Domini sacratissimam humanitatem Deo est propinquior: iuxta id quod in psalmo dicitur: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate*. Et cultus ei tribuitur, inferior quidem, latria, quæ conuenit soli Deo; sed superior aliorum Sanctorum dulia, qui cultus proprio nomine dicitur hyperdulia. Ex his itaque tribus capitibus inter meditandum à quolibet desumi materia poterit pro colloquijs honorarijs copiosissima, & indeficiens.

Baron. tom. 1, ann. 48.

Psal. 44. 10.

3 Sed non minus copiosa materia pro secundo genere colloquiorum, actionis videlicet gratiarū ex alijs tribus capitibus suppeditabitur: ex eo primùm quod Virgo Deipara sit nostra benefactrix gratiosissima, deinde vniuersalissima, tertiò suprema post Deum. Est primùm benefactrix gratiosissima, quia benefica est in homines omnino gratis, & ex mera beneuolentia redundante ex illo purissimo, & ardentissimo amore, quo Deum prosequitur, & propter ipsum non potest non valde diligere omnes eius creaturas, maxime rationales; pro quibus videt quanta, & qualia eius filius Redemptor noster Deus ipse

Secunda species colloquiorum actionis gratiarum.

fecerit, & quàm atrocia in assumpta ex ipsa propter nos redimendos humana carne pertulerit. Quod si ex amoris erga filium suum magnitudine, quanta sit eius ad bene nobis faciendum propensio æstimari debet, quis nam illam plenitudinem, illam redundantiam, & copiam aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano, dignè valeat explicare? *Ego sapientia effudi flumina*, dicebat Sapientia Dei genita de Patre ab æterno, & in tempore de virgine matre, *ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio, ego quasi fluuij diorix, & quasi aquæductus exiui de paradiso. Sed nimis erat altus, atque sublimis pro nobis ille aquæductus, vt inde ad nos continuata deriuarentur fluenta gratiarum*, ait S. Bernardus in sermone de aquæductu. *Quare intuere*, inquit, *o homo consilium Dei, agnosce consilium sapientiæ, consilium pietatis: redempturus humanum genus pretium vniuersum contulit in Maria. Quanto ergo deuotionis affectu à nobis voluit honorari, qui totius plenitudinem boni posuit in Maria? vt proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea nouerimus redundare, quæ ascendit delitijs affluens. Hortus plane delitiarum, quē non modo afflauerit veniens, sed etiam perflauerit superueniens Auster ille diuinus, vt vndique fluant, & effluant aromata eius; charismata scilicet gratiarum. Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, vbi dies? tolle Mariam hanc maris stellam, maris vtique magni, & spatiosi: quid nisi caligo inuoluens, & vmbra mortis, & densissimæ tenebræ relinquuntur?* Habemus igitur ex S. Bernardo ita proprium esse Beatissimæ huius Virginis gratias, & beneficia conferre mortalibus, sicut stellis proprium est in nocte lucere, soli tenebras illuminare, & diem mundo reducere, flumini ex alto monte decidenti subiectos hortos irrigare, & per demissiora prata copiosè stagnare. Vnde subditur de eodem cælesti aquæductu apud Ecclesiasticū: *Dixi, rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum, & ecce factus est mihi trames abundans, & fluuius meus appropinquauit ad mare.* Neque verò in paucos est adeo profusa nostra hæc liberalissima benefactrix, sed quantùm ex se vniuersaliter in omnes: nam sicut Eua propterea mater omnium viuentiū est appellata, quòd ipsa post Adam esse debuit totius humanæ generationis vniuersale principium: ita hæc post Christum est causa diuinitus constituta omnis spiritualis iustorum, & electorum regenerationis: vnde etiam mater diuinæ gratiæ ab Ecclesia nominatur, & mater pulchræ dilectionis, & agnitionis, & sanctæ spei: atque adeo iure

Cant. 4. 15. — Eccl 24. 40. — S. Bern. ser. de nat. B. V. siue de aquæductu. — Eccl. 24. 42.

potiori

potiori Mater est appellanda viuentium, cùm Eua magis dici possit mater morientium: Eua primi Adami mater non fuit; at Virgo beata Mater extitit verissima secundi. *Vehementer quidem*, ait S. Bernardus, *nobis vir vnus, & mulier vna nocuere, sed gratias Deo, per vnum nihilominus virum, & mulierem vnam omnia restaurantur, nec sine magno fœnore gratiarum. Neque enim sicut delictum, ita & donum, sed excedit damni æstimationem beneficij magnitudo: sic nimirum prudentissimus & clemētissimus artifex, quod quassatū fuerat non confregit, sed vtilius omnino refecit, vt nimirū nouū nobis formaret Adam ex veteri, & Euam transfunderet in Mariam.* Atque ita subdit inferius S. Bernardus; *hæc omnibus omnia facta est, sapientibus, & insipientibus copiosissima charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, filij persona carnis humanæ substantiam, vt non sit qui se abscondat à calore eius.* Sed videamus iam qua ratione sit hæc vniuersalissima benefactrix etiam summa, & suprema post Deum in hoc officio bene cunctis faciendi, & de omnibus benemerendi. Id autem repetita colli similitudine in Canticis canticorum sæpe significatur, cùm dicitur: *Collum tuum sicut monilia: collum tuum sicut turris eburnea: & sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium.* Nam quemadmodum collum est aliquid medium inter caput, & reliquum corpus; ita Virgo Deipara media est inter caput Ecclesiæ, & reliqua eiusdem ecclesiæ mystica membra. Et quod est supremum caput ecclesiæ tum in terris militantis, tum in cælis triumphantis, nisi Christus Dominus? sicut ait Apostolus ad Ephesios: *Ipsum dedit caput super omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Quæ autem post Christum pars sublimior huius corporis? quæ illi coniunctior? quæ monilibus gratiarum ornatior? gemmis omnium virtutum ditior? pyropis charitatis, adamantibus castitatis, vnionibus pietatis locupletior, & illustrior hac Virgine sacrosancta? quæ propterea collo conuenientissimè comparatur: in ipsa enim, sicut in sponsæ collo omnia decora pretiosiora ecclesiæ congesta reperiuntur, ipsa loco, & dignitate capiti propinquior, ipsa reliquis membris, quæ capiti sua interuentione connectit, eminentior, per ipsam à Christo ad nos vitalis influxus omnium gratiarum, auxilio-

S. Bern. in ser. signū magnū.

Cant. 1. 10.
Cant. 7. 4.
Cant. 4. 4.

Ad Eph. 1. 22

rum,& donorum transmittitur. Ideo in sacris Canticis collum hoc non solùm dicitur esse sicut monilia, idest gemmarum multitudine, aurearumque catenarum,& replicatarum torquium gloria vndequaque coopertum, & sicut turris eburnea, propter inuiolabilẽ candorem plusquam Angelicæ puritatis, & inexpugnabilem firmitatem sublimissimæ innocentiæ, & sanctitatis: verum etiam propter nos sicut turris Dauid, quæ ædificata est cum propugnaculis, vnde mille clypei, & omnis armatura fortium, idest omnia spiritualia præsidia fortissimi quique milites christianæ religionis sibi acceperunt, ad mundum, carnem, & dæmonem superandum. Nec vllum vnquam sanctitate insignem, si sacras historias consulamus, extitisse reperiemus, qui huius sanctissimæ Virginis non inueniatur insigniter fuisse deuotus. Vnde meritò verba illa psalmi, tanquam illi dicta ab Ecclesia tribuuntur: *Vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis,* & nunc cæli fenestra, nunc ianua, nunc porta, nunc scala appellatur, nunc seipsam Ecclesia veluti lunam sub illius pedibus iustitiæ Solè circumuestitæ, agnoscit constitutam. *Nam si Ecclesia*, inquit S. Bernardus; *lunæ intelligenda videtur vocabulo, quod videlicet non ex se splendeat, sed ab eo, qui dicit: sine me nihil potestis facere, habes mediatricem euidenter expressam mulier, inquit S. Ioannes, amicta sole, & luna sub pedibus eius. Amplectamur Mariæ vestigia fratres mei, & deuotissima supplicatione beatis illius pedibus prouoluamur, teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis: potens est enim, nempe vellus est medium inter rorem, & aream, mulier inter solem, & lunam: Maria inter Christum, & Ecclesiam constituta.*

Psal. 44. 43.

S. Bern. in ser. signum magnum.

Apoc. 12. 1.

Tertia species colloquiorum propitiatoria.

4 Ad tertiam speciem colloquiorum, quam propitiatoriam nominauimus, ordinatam videlicet ad peccatorum nostrorum veniam postulandam, & per eandem sanctissimam Deiparam à Deo facile impetrandam excitare maximè nos poterit triplex huiusmodi consideratio. Prima quod ipsa sit vera Mater misericordiæ: deinde specialiter aduocata clementissima peccatorum: tertiò denique patrona benignissima omnium miserorum. Est ipsa Mater misericordiæ, atque hoc nomine, sicut etiam inter omnes mitis ab Ecclesia inuocatur: quia tametsi Filius eius Saluator noster misericordissimus sit, tum quà homo (nam propterea nostram induit humanitatem, *& voluit per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret*) tum quà Deus, cuius proprium est misereri semper, & parcere, & miserationes eius super omnia opera eius: tamen quia iudex est viuorum,

Ad Heb. 2. 17

& mor-

& mortuorum ab æterno Patre constitutus, sicut ipse dicebat: *Pater omne Iudicium dedit Filio: & potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est*, ideo non debet vllo modo iustitiæ obliuisci. At misericordiæ Mater curam sibi, & officium pro sua parte non assumpsit nisi misericordiæ. *Et quis nouit*, dicebat Reginæ Hester Mardochæus, *vtrum idcirco ad Regnum veneris, vt in tali tempore parareris?* quando videlicet de Iudæorum omnium internecione agebatur. Et ita planè fuisse non multo post exitus comprobauit; cùm enim tantam gratiam apud Assuerum Regem Esther inuenisset, vt Rex ei diceret aliquando: *quid vis, vt detur tibi? & pro qua re postulas? etiam si dimidiam partem Regni mei petieris impetrabis:* hanc dimidiam Regni partem, non aliam sibi delegit postulandam, nisi misericordiam, scilicet erga populum suum, qui per centum & viginti septem Prouincias totius dominij Assueri ad necem edicto vniuersali fuerat destinatus. Quid ergo mirum si Dei Mater perquàm mitissima, Domina Mundi, Regina vniuersi, ex duobus illis, de quibus à Dauide in Psalmo dicitur: *Duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia*, solas sibi partes, & iura delegerit misericordiæ. Sed audiamus hoc totum, quod ego nescio melius exponere, à mellifluo Ecclesiæ Doctore Bernardo explicatum. *Fidelis planè, & potens mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus, sed diuinam in eo reuerentur homines maiestatem. Absorpta videtur in Deitatem humanitas, non quod mutata sit substantia, sed affectio deificata. Non sola illi cantatur misericordia, cantatur, & iudicium: quia etsi didicit ex his, quæ passus est compassionem, vt misericors fieret, habet tamen iudiciariam potestatem. Denique Deus noster ignis consumens est, opus est ergo mediatore ad hunc mediatorē, nec alter nobis vtilior, quàm Maria:* & ad eam conuersus ita loquitur: *Sileat misericordiam tuam Virgo Beata, si quis est, qui inuocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse. Nos quidem seruuli tui cæteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hac potius nobis ipsis: laudamus virginitatem, humilitatem miramur, sed misericordia miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur charius, recordamur sæpius, crebrius inuocamus.* Hinc sequitur, quod secundo loco dicebamus, vt ipsa sit Aduocata clementissima peccatorum: nam si vbi maior miseria, ibi magis inuenit sibi locum misericordia; quomodo non compatietur, non audiet, non exaudiet misericordiæ Mater piè à peccatoribus inuocata? cùm nulla maior sit miseria, quàm peccatum.

Ioann. 5. 22. 27.

Esther. 4. 14.

Psal. 61. 11.

Sic mysti. exponit S. Thom. præf. in epist. canonicas.

S. Bern. ser. Signum magnū.

tum. Aliam quoque huius rei conuenientissimam rationem tradidit S. Irenæus disputans quam ob causam Verbum carnem assumens nasci ex muliere voluerit, cûm sicut sine Patre fuit in terris, ita etiam sine Matre esse potuerit; præsertim quia ita quoque sine parentibus formatus est Dei manibus primus Adam: & respondet id magna Dei prouidentia esse factum, vt peccatoribus quamuis multorum, & magnorum criminum reis, & venia prorsus indignis, tamen parcere Matris suæ intercessione quodammodo cogeretur. Nec posset Dæmon defectum exprobrare iustitiæ, vbi pro peccatoribus interponeret se Mater misericordiæ. *Exaudiet vtique Matrem Filius*, ait S. Bernardus; *& exaudiet Filium Pater Filioli hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. Quid enim? potest ne Filius repellere, aut sustinere repulsam? non audire, aut non audiri filius potest? neutrum planè*. Præter has duas iam dictas rationes vnam ex parte nostræ miseriæ, alteram ex parte diuinæ misericordiæ, habemus adhuc tertiam ex parte ipsius Deiparæ, cur tantopere faueat peccatoribus. Dei namque decretum de incarnatione Verbi, in quò includebatur, vt Deus ex muliere nasceretur, iuxta communiorem doctrinam Patrum, occasionem habuit ex peccato. *Agnoscas*, inquit S. Athanasius, *nostram culpam illi dedisse occasionem, vt descenderet, nostramque præuaricationem Verbi Dei elicuisse humanitatem, vt ad nos contenderet, & inter homines appareret Dominus. Si enim*, inquit S. Leo, *homo ad imaginem, & similitudinem Dei factus in suæ honore naturæ mansisset, nec diabolica fraude deceptus à lege sibi posita per concupiscentiam deuiasset, Creator mundi, creatura non fieret, neque sempiternus temporalitatem subiret, aut æqualis Deo Patri Filius Deus formam serui, & similitudinem carnis peccati assumeret. Pone*, ait Origenes, *non fuisse peccatum, mansisset hoc, quod in principio erat Deus Verbum. Nam si non haberet caro saluari*, inquit S. Irenæus, *nequaquam Verbum caro factum esset*. Si ergo peccato non existente, Deus æternus, & ab æterno genitus ex Patre, in tempore natus ex Matre non fuisset, & Verbum caro factum nequaquam esset; neque profectò sublimissima diuinæ Maternitatis dignitas huic sanctissimæ Virgini obtigisset; sunt enim hæc inter se connexa. Ideo in Epistola ad Galatas scripsit Apostolus: *At quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant redimeret*. Quantæ autem sit efficacitatis

S. Irenæus l. 3. contra hæreses cap. 33.

S. Bern. ser. signũ magnũ.

S. Athan. l. de incarn. Verbi.

S. Leo ser. 3. de pentec.

Orig. hom. 24. in num.

S. Irenæ. lib. 5. contra hær. c. 14.

Ad Gal. 4. 4.

hæc

hæc ratio ad peccatorum veniam Dei Genitricis intercessione flagitandam, apparet in libro de Rethorica diuina apud Guilielmum Parisiensem, qui ex huiusmodi argumento tale ad Beatam Virginem format colloquium. *Adibo te, immo etiam conueniam, gloriosissima Dei Genitrix, quam Matrem misericordiæ, & Reginam Pietatis vocat, & clamitat omnis Ecclesia Sanctorum. An poteris negare peccatoribus interpellationis tuæ gratiam apud Benedictum, & semper, & vbique benedicendum Deum, ac Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum? Totum siquidem, quod habes gratiæ, totum, quod habes gloriæ, & hoc ipsum, quod es Mater Dei, si fas est dicere, peccatoribus debes, omnia enim propter peccatores tibi collata sunt. Cui igitur dubium esse potest per hoc, quin preces tuas, quantæcumque necessariæ esse possunt, peccatoribus illas debeas?* & alia multa addit idem Auctor in hanc sententiã. Tertia demum consideratio, quæ nos valde excitare ad huiusmodi propitiatoria colloquia debebit, est: Beatissimam Virginem non modo peccatorum Aduocatam esse clementissimam, sed vniuersaliter patronam benignissimam omnium miserorum. Est enim triplex huius mundi miseria: prima, de qua proximè superius dicebamus, & est omnium maxima, nempe culparum, & peccatorum: secunda est pœnarum, & calamitatum: tertia, media quodammodo inter pœnam, & culpam; cuiusmodi est inordinatus fomes, æstus malarum concupiscentiarum, molestæ in omni genere tentationes. Pro his omnibus miserijs auertendis inuocatio, & patrocinium Dei Genitricis præsentissimum esse remedium, satis docent tot vbique terrarum illi extructa, & dicata celeberrima templa, votiuis absque numero tabellis circumuestita, donarijs vndique ornata, & insignita, tot institutæ omnibus ferè temporibus celebritates, sacrique conuentus, pro varia susceptorum, vel suscipiendorum beneficiorum occasione, in Vrbibus, & Oppidis, insulis, & portubus, intra, & extra Ciuitates. *Quis ergo*, inquit suauissimus, & deuotissimus Bernardus, *misericordiæ tuæ ò Benedicta longitudinem, & latitudinem, sublimitatem, & profundum queat inuestigare? nam longitudo eius vsque ad diem nouissimum omnibus inuocantibus eam subuenit vniuersis. Latitudo eius replet orbem terrarum: vt tua quoque misericordia plena sit omnis terra: sic & sublimitas eius Ciuitatis supernæ inuenit restaurationẽ; & profundum eius sedentibus in tenebris, & vmbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cælum repletum, infernus euacua-*

Gul. Paris. lib. de Reth. diuina cap. 18.

S. Ber. ser. 4. de Assumpt.

tus est, instaurata ruina cælestis Ierusalem, expectantibus miseris vita perdita data: hæc ille. Sequamur itaque nos in hac valle lachrymarum, in hoc turbulento mari miseriarum huius pijssimi Doctoris in inuocatione talis, ac tantæ patronæ, saluberrimum ibi adiunctum consilium. *O quisquis te intelligis in huius sæculi profluuio magis inter procellas, & tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare, ne auertas oculos à fulgore huius sideris, si non vis obrui procellis. Si insurgant venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, voca Mariam, si iactaris superbiæ vndis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis respice stellam, voca Mariam. Si iracundia, aut auaritia, aut carnis illecebra nauiculam concusserit mentis, respice ad Mariam: si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, iudicij honore perterritus, baratro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso, cogita Mariam: in periculis, in angustijs, in rebus dubijs Mariam cogita, Mariam inuoca: non recedat ab ore, non recedat à corde.* Hæc satis de colloquio propitiatorio.

Quartum genus colloquiorum impetratorium.

5 Quartum, ac postremum colloquij genus, quod impetratorium appellauimus, ex dictis constare posset, vnde conuenientius deducatur, cùm Deum habere placatum, nobisq. propitium sit maxima pars eorum, quæ postulare frequenter oporteat, vt per Deiparam impetremus. Vnum tamen superesset aliquanto magis explicandum, quod excitare nos vehementer poterit, ac debebit ad huiusmodi colloquia frequētissima, affectuosissima, spei, & fiduciæ plenissima Virgini Matri misericordiæ, & gratiarum in meditatione dirigenda. Quia videlicet per ipsam facilè poterimus obtinere gratiam omniū gratiarum, beneficiū summum, ac supremum, finalem in Dei gratia, & amicitia perseuerantiam, bonā mortem, & vt semel dicam, diuinam prædestinationem. Est quidem catholica veritas in Tridentina Synodo vltimò definita: neminē sine speciali Dei reuelatione posse certò, & infallibiliter cognoscere, se esse de numero prædestinatorum: *Generationem istā*, inquit S. Bernardus loquēs de prædestinatis, *quis enarrabit? quis potest dicere, ego de electis sum, ego de prædestinatis ad vitam, ego de numero filiorum, quis hæc, inquā, dicere potest? clamante scriptura: nescit homo vtrū amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurū seruantur incerta* Addit tamen aliquas posse nos habere hac de re coniecturas, & signa multæ fiduciæ, ac magnæ consolationis. Quod etiam alij Patres, & Doctores Ecclesiæ tradiderunt: inter huiusmodi autem signa præcipua, & conie-

Triden. sess. 6. c. 12. & 13. & can. 15. & 16.

S. Bern. ser. 1. septuag.

Eccl. 9. 1.

coniecturas, vbi cætera non refragentur valde probabiles, ponunt veram cordis deuotionem erga Beatissimam Virginem. Nec immeritò cùm id nobis insinuent aliquoties diuinæ scripturæ, doceat communis Ecclesiæ sensus, & congrua ratio persuadeat. Quid enim aliud sibi volunt illa Sapientiæ verba, quæ ipsi Virgini Beatissimæ in festo eius tum Conceptionis, tum Natiuitatis tanquam à se dicta tribuuntur? *Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino:* Salutem vtique non tam corporis, quam animæ; & inueniet vitam, non tam mortalem, quàm sempiternam. Quibus similia sunt illa verba, quæ ab Ecclesiastico in persona huius Reginæ dicta pro Festo immaculatæ Conceptionis ipsius in Ecclesia recitantur: *Qui creauit me requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi in Iacob inhabita, & in Israel hæreditare, & in electis meis mitte radices.* Est autem ex sancto Paulo manifestum, per Iacob electos, sicut per Esau reprobos significari, loquens enim in epistola ad Romanos de profundissimo prædestinationis nostræ mysterio, profert illud à Deo dictam per Malachiam: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Sed hoc ipsum clarius explicatur à Sapiente cùm subditur: *Et in Israel hæreditare, & in electis meis mitte radices.* Atque ad idem faciũt verba sequentia: *radicaui in populo honorificato, & in parte Dei mei hæreditas illius: & in me gratia omnis viæ, & veritatis, in me omnis spes vitæ, & virtutis.* Hinc illæ quotidie à pijs fidelibus in Ecclesia decantatæ huic sacratissimæ Virgini præcationes. *Vita, dulcedo, & spes nostra salue: & Iesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende: tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.* Hinc etiam illæ affectuosissimæ ad eandem supplicationes, quibus sic eam alloquitur S. Augustinus: *O Beata Maria, tu es spes vnica peccatorum, per te speramus delictorum veniam, in te Beatissima nostrorum est expectatio præmiorum.* S. Anselmus: *Sicut ò beatissima omnis à te auersus, & à te despectus, necesse est, vt intereat: ita ad te omnis conuersus, & à te respectus impossibile est, vt pereat.* S. Ephrem: *O Domina Princeps atque Regina præstantissima, o per quàm benedicta puella honoratissima, vniuersi orbis terræ miraculum, Dominarum Domina purissima, atque castissima; sub tuum præsidium confugimus sancta* Dei Genitrix, *sub alis pietatis, atque misericordiæ tuæ, protege, & custodi nos. Non nobis est alia, quàm in te fi-*

Prou. 8. 34.
Eccl. 24. 12.
Ad Rom. 9. 13
Malach. 1. 2.
Ecclesi. 24. 16. 25.
S. Aug. ser. 18. de sant.
S. Ansel. apud S. Bon. l. 1. pharetra. c. 5.
S. Ephrem. in serm. de laud. virg. tom. 3.

S.Bern.ser.de Nat.B.V. *te fiducia ò Virgo sincerissima*, S.Bernardus: *Filioli hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & vocis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas eius, qui nos totum habere voluit per Mariam*. Ex quibus verbis deducimus etiam huius rei optimam rationem; siquidem placuit Deo, & voluntas, ac decretum eius fuit, vt totum, quod ad salutem nostram requirebatur per hanc Virginem haberemus, hoc est, ipsum mundi Saluatorem, fontem omnis gratiæ, exemplar totius sanctitatis, typum electorum vniuersalem: nam sicut ait Apostolus, Ad Rom.8.29 *quos Deus præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus*. Quemadmodum itaque Christus Dominus, vt nostræ fieret auctor salutis, & primogenitus electorum frater, hanc illibatam Virginem sibi delegit in Matrem; quam ex hoc mundo discedens in persona S. Ioannis omnibus iustis, & electis in Parentem, quasi pro testamento reliquit, Ioann.19.26. dicens illi: *Mulier ecce filius tuus:* & Ioanni: *ecce Mater tua*; ita filialis quædam reuerentia, & specialis erga Deiparam cordis deuotio, nota censetur esse propria electorum. Et sicut primus Adam non fuit parens hominum solus, sed etiam habere debuit humanæ generationis adiutricem: ita secundus Adam Christus Dominus, qui ab Isaia Isa.9.7. *Pater futuri sæculi*, est appellatus, quam ipse habuit veram Matrem naturalem, aliorum adoptiuorum Matrem vult esse spiritualem.

Vt non sit habiturus Christum Dominum scriptum in libro vitæ tamquam primogenitum Fratrem, qui speciali deuotione Beatam hanc Virginem in hac vita descriptam suo cordi non gerit in Matrem. Ex his itaq; omnibus rerum capitibus ad meditationem adductis, facilè cuicumque tum frequentia, tum ardentia cum sanctissima Dei Genitrice colloquia suppeditabuntur.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

De colloquio cum Angelicis Spiritibus.

1 CVm Angelicis quoque Spiritibus, qui per suos ordines, & Hierarchias Angelorum Reginæ magis immediatè subduntur, possumus similiter nostra illa quadripartita inire colloquia: videlicet honoraria, actionis gratiarum, propitiatoria, & imperatoria. Sunt enim ipsi pro sua dignitate, & gradu, honore dignissimi, sunt maximi nostri benefactores, Deum nobis placatum reddunt, atque propitium, plurima etiam tum per se tribuunt, tum à præpotente Deo nobis impetrant dona. Ne tamen in hac re nimij esse videamur, & vt satietas, quæ deuotioni posset esse contraria, deuitetur, tres alios modos alloquendi hos cælestes Spiritus proponemus; ad quos quàm multi alij reuocentur, breuiter simul indicabimus. Nam & Angeli ipsi per tres diuisi sunt cælestes Hierarchias, & vnaqueque Hierachia per tres ordines, & intra vnumquemque ordinem singuli proprias habent operationes, & officia. Ita vt dicat Angelicus Doctor secundum verissimam Areopagitæ doctrinam, non posse à nobis distingui ordines, & officia Angelorum, nisi in communi, quia eos non agnoscimus in particulari: sed si, inquit, perfectè cognosceremus eorum officia, & distinctiones, perfectè quoque sciremus, quod quilibet Angelus habet suum proprium officium, & suum proprium ordinem in rebus, & multò magis, quàm stella, etiam si nos lateat, à stella differt in claritate. Quare agendo de hac re, vt possumus in vniuersum, cum Angelicis Spiritibus locuturi attendere debemus: primùm quantæ apud Deum sint auctoritatis: secundò quantæ in se ipsis sapientiæ, & bonitatis: tertiò quantæ erga nos beneuolentiæ, & charitatis. Ex primo intelligimus debere nos cum illis agere tamquam cum Dynastis grauissimis, Dominis potentissimis, Principibus maximis, & sublimissimis: ex secundo cognoscemus agendum cum illis tanquam cum Magistris, Doctoribus, consiliarijs sapientissimis: ex tertio agendum tanquam cum nostris protectoribus fidelissimis, custodibus vigilantissimis, nutritijs amantissimis.

Colloquia cum Angelis quadruplicia, vel mutata ratione triplicia.

S. Thom. 1. p. q. 103. art. 3. S. Dion. de cælesti hier. c. 6.

1. Cor. 15. 41.

2 Inprimis itaque agere cum illis debemus tanquam cum

magnis

Primus modus alloquendi Angelos, vt magnos Principes. magnis Dominis, magnisque Principibus; tales enim re vera sunt, & pro talibus à diuina scriptura nobis describuntur. Nam apud Danielem, Angelus protector regni Persarum appellatur Princeps, & Rex Persarum; & protector Regnij Græcorum, Daniel.10.13.21. Princeps Græcorum: & in eodem capite Michael Archangelus vnus de magnis Principibus esse perhibetur. Qui tamen honoris tituli vix quidquam addunt creaturis adeo natura sua nobilibus dignitatis. Quid enim pro Spiritibus tam sublimibus magnum æstimari potest, quod huic nostro infimo terræ elemento vnius prouinciæ, vel regni obtineant inuisibilem præfecturam, siue curam aliquam, aut protectionem quarumdam mundi regionum, Deuter. 32.8. sec. 70. inter. S. Basil. lib. 3. contra eun. S. Dion. c. 9. de cælest. hier. sicut dicitur in Cantico Moysis: *Quando diuidebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum iuxta numerum Angelorũ Dei*: quæ quidẽ est expositio S. Basilij post Dionysium Areopagitã, iuxta interpretes Septuaginta. Aut etiam si præficiantur aliqui Angelorum integro alicui mundi huius elemento, multò quàm sit terra grandiori, vt est sphæra ignis, legimus enim in Apocalypsi quemdam Apoc. 14.18. Apoc. 16.5. Angelum habere potestatem ignis, & alium esse Angelum aquarum: tamen terra vniuersa etiam cum aqua, aëre, & ingne simul accepta, veluti quædam villa est obscurissima, & angustissima, cæli empyrei amplitudini comparata, vbi est aula eorum perpetua, & Ciuitas regia Monarchæ totius vniuersi. Quamuis autem hæc ita se habeant, non tamen propter solos respectus ad hæc inferiora, & corporea mundi elementa, huiusmodi honorifica nomina Spiritibus Angelicis tribuuntur: Isa. 6.2. Ezech. 10.1.2.3. legimus enim in Isaia nominatos Seraphin, in Ezechiele Cherubin, in epistola Ad Coloss. 1.16. S. Pauli ad Colossenses Thronos, & Dominationes, ad Ephesios, Ad Ephes. 1.21 Principatus Potestates, atque Virtutes, ad Thessalonicenses, Archangelos, Ad Thessal. 4.15. ad Hebræos, & alibi sæpius, Angelos appellatos. Eas verò appellationes Apostoli Pauli auditor, atque discipulus Ad Hebr. 1.4.5.6. Areopagita in libro, quem de cælesti Hierarchia ex Apostolica, vt ipse testatur, doctrina conscripsit, ita interpretatur; S. Dion. de cælesti hier. c. 6.7.8.9. vt censeat in prima Hierarchia Seraphin dictos ab ardore dilectionis, Cherubin ob scientiæ plenitudinem, Thronos, quia in illis Deus Confirmat. S. Greg. hom. 34. in Euang. placidiori quodam modo specialiter conquiescit. Deinde in secunda Hierarchia esse ob excellentiam Dominij Dominationes, supra inferiores Angelos Principatus, ad infernales spiritus coercẽdos Potestates. Tũ in tertia Hierarchia ad patrãda miracula esse Virtutes, Archangelos ad maiora, Angelos ad minora hominibus ex Dei præscripto nuntianda. Quemadmodũ, inquit

Guliel-

Gulielmus Parisiensis, in magno, & benè constituto Regno, primum locum obtinent apud Regem eius amantissimi, amicitia scilicet, vel etiam consanguinitate illi coniunctissimi: secundo loco sunt Consiliarij sapientissimi: tertio Iudices, & Assessores æquissimi: quibus respondent in prima Hierarchia cælesti, Seraphin, Cherubin, atque Throni. Post hos alius sequitur triplex ordo insignium personarum: primùm Regni Proceres, vel Barones: deinde Præfecti, siue Præsides Prouinciarum. tertiò Duces exercitus, siue capita Legionum: his assimilantur in secunda cælesti Hierarchia Dominationes, Principatus, & Potestates. Præter hos adsunt publici Magistratus, Legati, & Nuncij magnorum negociorum, equites denique discurrentes, & ordinaria mandata summi Principis deferentes: in cælis autem Virtutes, Archangeli, atque Angeli tertiam Hierarchiam constituentes. Neque verò alia inferioris ordinis officia, vel ministeria in suprema illa Curia inueniri debuerunt; vt Pincernarũ, cubiculariorum, custodum thesaurorum, vel rerum ignobiliorum: vbi nulla cibi, vel potus indigentia, nulla mortalis corporis afficit cura, nullæ appropinquant insidiæ, longè odia, procul inuidiæ, vbi nulla inopia; sed tanta pro omnibus ac singulis indeficientium bonorum copia, vt locum ibi inuenire nulla ex parte possit illiberalitas, vel auaritia. Iam ergo conferamus illas cælestes Virtutes, illas spirituales Dominationes, sacros illos Principatus, cum huius nostri mundi inferioris quantumnis magnis Principibus, Regibus, Imperatoribus, & Monarchis. Horum Dominatio, vel Maiestas non tam in natura, & rerum perfectione, quàm in hominum opinione, & inani quadam mentis apprehensione consistit. Neque enim alterius ipsi sunt naturæ quàm subditi, & quotquot habent subiecta sibi viliora mancipia: sæpè etiam qualitatibus tum animi, tum corporis nihilo quàm illi melioribus, ægritudinibus magis obnoxij, vehementioribus perturbationibus subiecti, indomitis, & effrænatis cupiditatibus magis exagitati, pluribus indigentes, plures timentes. Nec habent tandem sub se nisi similes sibi mortales, quibus etiam ipsi obsequi in multis, & si seruiri sibi velint, seruire quodammodo adiguntur. At verò Angelici Spiritus ab omni corporis concretione seiuncti, à quacumque conditione miseræ nostræ mortalitatis exempti, natura non electione, prima sui creatione, non verò noua opinione, vel sola reputatione sunt Principes, sunt Potestates, sunt Dominationes. Quod si tanti sit occasio, & opportunitas agendi cum

Guliel. Paris. lib. de vniu. p. 2. c. 112.

aliquo Principe, siue Rege mortali, fauorem, aut gratiam aliquam ab eis postulandi; & tanta patientia etiam repulsam passi circa eorum ianuas perseuerant: quanti fieri ab æquis rerum æstimatoribus opportebit, non facultas modo, sed summa facilitas, foribus nunquam occlusis, agendi cum huiusmodi Spiritibus sublimissimis? qui quamuis non omnes nostri cordis cogitationes semper agnoscant, nec omnia verba nostræ mentis excipiant, id enim Dei solius est proprium, & Christi Domini, etiam quà homo, necnon Deiparæ fortassis tanquam Dominæ vniuersalis, & eminentissimæ omnium Reginæ; tamen ea, quæ ad ipsos Angelos specialiter dirigimus pia desideria, cordis quoque, nedum oris verba, & interna cogitata statim intelligunt. Et vt sunt moratissimi, & charitatis in nos propter Deũ ardentissimæ, nequaquam spernunt, quãtumuis prolixa sint nostra colloquia, & propter nostram inscitiam, aut insipientiam magis quàm propter culpam malè constructa: sicut malè articulatè balbutientium puerorum voces maioribus fratribus non solent esse iniucundæ. Immo Angelici Spiritus pro sua, quam diximus, ardentissima charitate erga nos in Deum relata, nostras ipsi qualescumque orationes suis intermixtas, quasi præciosioribus, & magis suaue olentibus odoribus insignitas ad cõspectum Diuinæ Maiestatis deferunt. Vnde sic legimus in Apocalypsi: *Et alius Angelus venit, & stetit ante altare habens thurribulum aureum: & data sunt illi incensa multa, vt daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante Thronum Dei: & ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Testatus est quoque Tobiæ Raphael Angelus dicens: *Quando orabas cum lacbrymis, ego obtuli orationem tuam Domino. O anima mea,* (inquit S. Bonauentura in suis animæ soliloquijs) *si videre posses quanto gaudio, quantoque tripudio, Angeli assistunt orantibus, intersunt meditantibus; quanto studio nos in bono conseruant, quanto desiderio nos, & nostram salutem expectant.* Immo verò illud ipsum augustissimum corporis, & sanguinis Domini sacrificium, quo nihil pretiosius, nihil Deo gratius potest offerri, quia tamen ex parte nostræ indignitatis, vt res delicatissima in vili, & illoto vase oblata minus placere potuisset, orat quotidie Ecclesia, vt Angelo interueniente feratur ad cælũ tanquã in vase auri solido ornato omni lapide pretioso, illis verbis à Sacerdote post consecrationẽ quotidie prolatis: *Supplices te rogamus Omnipotens Deus: Iube hæc perferri per manus S. Angeli*

Apoc. 8. 3.

Tob 12. 12.

S. Bon. in soliloq. animæ c. 1 Simile quid habet S. Bern. ep. 78. ad Sugerium.

Eccl. 50. 10.

geli tui in ſublime altare tuum, in conſpectu diuinæ Maieſtatis tuæ. Atque ita planè contigiſſe cuidam ſui temporis Sacerdoti refert B.Climacus: quòd vbi prædicta verba poſt conſecrationem pronunciaſſet, magna cæleſtium ſpirituum adſtiterit multitudo, inter quos vnus ſpecie illuſtrior, & maieſtate ſublimior viſus eſt ſacram hoſtiam accipere, & ſurſum diuino conſpectui præſentare, tum oblatám, omnibus ſumma reuerentia congratulantibus, iterũ ſuper altare ad ſacrificij conſummationem depoſuiſſe. Hac igitur primùm ratione cum cæleſtibus Spiritibus eſt nobis agendum, tanquam videlicet cum aulicis nobiliſſimis, & apud ſupremum Imperatorem Deum dignitate, auctoritate, gratia, fauore potentiſſimis. *In ſpec. ext?l. d.9.c.188.*

3 Secundò loquemur, & agemus cũ illis tanquam cũ magiſtris doctiſſimis, præceptoribus ſapientiſſimis cõſiliarijs prudentiſſimis. Ad id autẽ facilè excitabimur, ſi benè cõſiderauerimus, primùm quàm pauca nos in illorũ comparatione ſciamus: deinde quàm hæc ipſa, quæ nos ſcire arbitramur, parũ profundè, & quàm tenuiter percipiamus: tertiò quanta cũ ingenij tarditate, quàm diuturno labore, quãtis moleſtijs modicũ illud imperfectæ noſtræ ſcientiæ conſequamur: cùm tamen illi ſumma facilitate, mira celeritate, incredibili perſpicacitate ſcientiam ferè omniũ rerũ exiſtentium, præſertim naturalium adipiſcantur. *Et vt omnes ſunt*, Apoſtolo teſte, *adminiſtratorij Spiritus in miniſteriũ miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*, dubitandum non eſt piè à nobis inuocatos internis ſuis illuſtrationibus, & inſpirationibus, hac in parte ad ignorantiam noſtram depellendam maximè profuturos. Primùm itaque attendamus adeo pauca eſſe, quæ à nobis ſciuntur, vt ſapiens quidam veriſſimè dixerit maximam partem eorum, quæ ſcimus non æquare minimam eorum, quæ neſcimus. Eòque maior eſt inſcitia noſtra, quod ex ijs, quæ ignoramus multa neſcimus nos ignorare, multa etiam ignorata optimè ſcire nobis falsò perſuademus. Angelicus verò intellectus omnes obtinet ſcientias naturales, omnes artes, & diſciplinas: nouit autem non tantum in genere, vel in ſpecie, rerum naturas, proprietates, virtutes, ſed etiam ſecundum omnia indiuidua, & ſingularia, ſi eis velit attendere: neque ſolum ſenſibilia, & corporea, ſed etiam inſenſibilia, & ſpiritualia; exceptis futuris liberè contingentibus, & occultis noſtri cordis cogitationibus, & affectionibus, quæ ad ipſos libera voluntate non diriguntur. Quamuis etiam ex ijs, quæ premuntur in corde, non pauca per ſignorum varias coniecturas ſubtiliſſima

Secundùs modus alloquendi Angelos, tanquàm noſtros magiſtros & doctores.

Ad Heb.1.14.

lissima probabilitate assequantur. Nam si de homine perspicaci dixit Salomon: *Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus*; quantò verius id poterit affirmari de Angelo? Quòd etiam tribuit Dæmonibus in libro de diuinatione Dæmonum S. Augustinus: *Hominum*, inquit, *dispositiones non solum voce prolatas, verum etiam cogitatione conceptas, cùm signa quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota interdum facilitate perdiscunt*: quamquam hoc à se dictum propter nostram de scientia Dæmonum ignorantiam putauerit in libro retractionũ aliquo modo temperandum. Omitto quàm multa sancti Angeli per speciales reuelationes, per infusam supernaturalium rerum scientiam, per lumen gloriæ in speculo diuinitatis sine vlla ambiguitate cognoscant, & perfectissimè intelligãt. Vnde S. Gregorius; *In hoc*, inquit, *natura. Angelica à naturæ nostræ cognitione distinguitur, quod nos & loco circumscribimur, & cæcitatis ignoratione coarctamur: Angelorum verò spiritus loco quidem circumscripti sunt, sed tamen eorum scientiæ longè super nos incomparabiliter dilatantur. Interius quippe exteriusque sciendo dilatati sunt, quia ipsum fontem scientiæ contemplantur. Quid enim de his, quæ scienda sunt nesciunt, qui scientem omnia sciunt*. Secundò considerare debemus, hæc ipsa paucula, quæ nos scimus, quàm imperfectè, & quasi tantùm in cortice, vel superficie cognoscamus: vt nec vnius formicæ naturam, & proprietates perfectè nouerimus; sicut propositis de illa pluribus insolubilibus quæstionibus, S. Basilius manifestè conuincit, & ideo dixit Ecclesiastes: *Cunctæ res difficiles, non potest eas homo explicare sermone*. Præterea nullius rei spiritualis propriam speciem in hac vita nos obtinemus, sed rerum quarumdã tantũmodo corporalium, non omnium, neque multarum; sed earũ solum, quas experientia sensuum acquirimus, nec tam de ipsa substantia, quamuis materiali, & corporea, quàm de quibusdam illius magis sensibilibus accidentibus. Quapropter cogimur per alienam, & impropriam speciem spiritualia quæcumque peruestigare, etiamsi ipsa quantum ex se magis intelligibilia sint, quàm corporalia. Vt propterea sapienter dixerit Aristoteles loquens de difficultate, quam experimur in rebus spiritualibus, atque immaterialibus contemplandis: *Fortassis causa eius non rebus ipsis, sed nobis inest: quemadmodum enim vespertilionum oculi ad lumen diei se habent, ita & intellectus animæ nostræ ad ea, quæ manifestissima omnium sunt*, hæc illæ. Vnde fit, vt nos in

hac

Prou. 27. 19.

S. Aug. lib. de diu. dæmon. c. 3. & ep. 155.

S. Aug. lib. 2. retract. c. 30.

S. Greg. lib. 2. mor. c. 2.

S. Basil. ep. 168 ad eunom.

Eccles. 1. 8.

Arist. 2. Meta. tex. 1.

hac vita intuitiuā ſcientiam habere non ſoleamus, niſi de rebus corporalibus ſecundū accidentia viſibilia, quamdiu ante oculos obſeruātur: de ſpiritualibus autē, vel procul abſentibus, vel etiā præſentiſſimis, nonniſi quandam imperfectā notitiam abſtractiuā; de ſupernaturalibus verò tantùm ſubobſcurā fidem. De his tamen communiter Angeli ſcientiam habent intuitiuam, & de pleriſque etiam comprehenſiuam, eamque per propriam ſpeciem, aut medio nobiliori, per ſuam videlicet ipſius met Angeli ſubſtantiam, quæ tanquam lumen clariſſimum intellectui Angelico ſibi inhærenti perfectè applicatum, ſe ipſa ſine alia ſpecie primùm innoteſcit, deinde tanquam in nitidiſſimo ſpeculo diuinas Creatoris reflectit, ac repræſentat perfectiones, iuxta id quod legimus in libro ſapientiæ: *A magitudine ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit Creator horū videri:* ſicut ſi ſpeculū eſſet animatū, & ſemetipſum poſſet intueri, ante omnia ſe videret, ſimulq; ſuum in ſe ſibi repreſentaret opificem; cum videlicet per quē eſt, & cuius manibus ſuſtētatur. Idem quoque anima noſtra exhibere proprio intellectui per ſe deberet; cùm in ea imago, & ſimilitudo reluceat ſui conditoris, non quidem adeo perfectè, ſicut in Angelica ſubſtantia homine ſuperiori, multò tamen perfectius, quàm in alia quacumque corporea mundi creatura homine inferiori, in qua Dei perfectiones non tanquam in imagine, ſed vt in veſtigio diſcernuntur. Sed tamen quamdiu mortali corpori noſter animus alligatur, ſicut ab eo, quantum ad compoſitum, pendet in eſſe, ita etiam in operari per conuerſionem ad materialia phantaſmata, vt inter iſta veluti nubila, & imagines caliginoſas, ſicut appellat S. Auguſtinus; aliquos excipiat, & non aliter radios veritatis. Tertiò non eſt minus conſideratione dignum, quanta nos difficultate, ac labore modicum ſcientiæ acquiramus; quanta verò Angeli facilitate, & fœlicitate in tanta plenitudine ſtatim omnes ſuas ſcientias obtinuerint. Difficultatem in noſtris ſcientijs acquirendis quotidiana docet experientia, qua de re S. Auguſtinus tanquam in ſe expertus, ita loquitur in ſuis confeſſionibus: *Deus Deus meus quas ibi miſerias expertus ſum, & ludificationes? Ad ſcholas datus ſum, vt diſcerem litteras, in quibus quid vtilitatis eſſet ignorabam miſer, & tamen ſi ſegnis in diſcendo eſſem, vapulabam: laudabatur enim hoc à maioribus, & multi ante nos vitam iſtam agentes præſtruxerunt ærunoſas vias, per quas tranſire cogebamur multiplicato labore, & dolore filijs Adam*; & in libris de ciuitate Dei, horrendam, ait eſſe ignorantiæ noſtræ profun-

Sap. 13. 5.

S. Aug. l. 5. de gen. ad lit. c. 12.

S. Thom. 1. p. q. 93. artic. 2. & 6.

S. Aug. lib. 8. de trin. c. 2.

S. Aug. lib. 1. confeſſ. c. 9.

S. Aug. lib. 22. de ciuit. Dei cap. 22.

ditatem, ex qua omnis error exiſtit, qui omnes filios Adam tenebroſo quodam ſinu ſuſcipit; vt homo ab illo liberari ſine labore, dolore, timore non poſſit. *Quid enim*, inquit, *ſibi volunt multimodæ formidines, quæ cohibendis paruulorum vanitatibus adhibentur? Quid pedagogi, quid Magiſtri, quid ferulæ, quid lora, quid virgæ, quid diſciplina illa, qua ſcriptura ſancta dicit*

Eccl.30.12. *dilecti filij latera eſſe tundenda, ne creſcat indomitus, domarique iam durus, aut vix poſſit, aut fortaſſe non poſſit? Quid agitur his pœnis omnibus, niſi vt debelletur imperitia, & praua cupiditas refrænetur? Quid eſt, quod cum labore meminimus: cum labore diſcimus, ſine labore neſcimus?* Huc vſque S. Auguſtinus. Et cùm tota ferè mortalium vita in acquirendis tot ſumptibus humanis ſcientijs conteratur ab ijs, qui aptum ad eas ingenium ſortiti ſunt, & animi promptitudinem (ſunt enim non pauci adeo tardi, atque hebetes, vt neque pro primis elementis, aut rudimentis diſciplinarum addiſcendis idonei inueniantur) tamen breue hoc tempus videtur comparatum moræ tardiſque progreſſibus quantumuis proficientium. Vnde quidam ex Ethnicis ſapientibus doctiſſimum librum ſuum longa rerum experientia, & obſeruatione conſcriptum his verbis exorditur,

Hipoc.aphor.1 *Vita breuis, ars longa, tempus præceps, experimentum fallax*. Et alius tunc ſe vitam relinquere dicebat in extrema ſenectute, cùm diſcere, & vitam homine dignam agere incepiſſet. Angelicæ verò mentes, quarum vita ſemper extitit immortalis, in primo ſuæ creationis inſtanti plenitudinem ſcientiæ per infuſas ſibi diuinitus ſpecies ſubito acceperunt: ſicut de vno illorum in

Ezech.28.12. 15. perſona Principis Tyri legimus apud Ezechielem: *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia in die qua conditus es*; & infra: *perfectus in vijs tuis à die conditionis tuæ*. Adeo vt con-

S. Thom. 1.p. q.56.art.2.ad 4. firmans hanc veritatem S. Thomas adiungat: quòd ſi Deus plures naturas in hoc mundo creare inſtituiſſet, plures ſpecies in-

S. Aug. l.2.de gen. ad lit. c. 8. telligibiles angelicis mentibus, ſecundum S. Auguſtini doctrinam, in prima eorum creatione impreſſiſſet: *ſicut*, inquit, *ſi ædificator maiorem domum facere voluiſſet, maius fundamentũ ſubſtruxiſſet*. Neque indigent Angeli pro vſu, & exercitatione ſcientiæ tam abſolutæ, ac perfectæ, ſicut nos indigemus, replicata cõpoſitione conceptuum, ratiocinationum ambage, longoue diſcurſu; ſed ſimplici primæ operationis intuitu, quemadmodũ nos prima principia, ſic ipſi plurima, quæ inde ſequuntur, videndo qua ratione inferantur, non tamen expectata ratiocinatione, vel diſcurſu, vnico, celeri motu mẽtis perfectiſſimè aſſequuntur.

Quod

Quod si meritò magni fieret à quocumque, posse de rebus cælestibus, & diuinis, conferre cum aliquo antiquorum Prophetarum Isaia, Ieremia, vel sapientissimo Salomone, ad quem audiendum, & cõsulendum Regina Austri venit à finibus terræ: quanti æstimari à nobis oporteret, erudiri posse à natura adeo superiori? à qua non est necesse strepitu verborum in aëre sonantium instruamur, quanquam & id præstare Angelici spiritus naturali sua virtute possunt, & non raro, Deo sic disponente, pro iustorum bono præstiterunt. Sed præterea facile est illis præsertim nostris Custodibus, vtpote frequẽter de cælo ad terrã pro nobis descendentibus, proximè immo etiam intimè assistentibus, & curæ nostræ intentissimis, species sensitiuas intra organa potentiarum ordinare, & ita disponere; vt quæ in bonum nostrum erunt suggerenda, quasi optimo typo edita, intra animam legamus. Possunt etiam, Deo per miraculum ita dispensante, agere directè in nostram voluntatem, & intellectum, & non tantum per naturalia phantasmata indirectè, quod præstant à se naturaliter, cùm illis quoad motum localem ad nutum natura corporea obsequatur. Vnde possunt etiã sedare in nobis motus inordinatos partis sensitiuæ, sicut cõtra potest, & solet Dæmon permittente Deo, accendere sanguinẽ in nobis, cõmouere humores, excitare spiritus, inflammare concupiscẽtiam, & appetitum sensualem, vnde peruertatur etiam appetitus rationalis, nisi diuina gratia nos adiuuerit, & boni Angeli consilium, & auxilium.

Tertius modus alloquendi Angelos tanquam nostros custodes.

5 Tertiò itaque alloqui sanctos Angelos, & agere cum illis poterimus tanquam cum nostris protectoribus fidelissimis, custodibus vigilantissimis, nutritijs amantissimis, immo, & baiulis obsequentissimis, vt loquitur S. Bernardus exponens illa Psalmi nonagesimi verba: *Angelis suis mandauit de te, in manibus portabunt te, Sane,* inquit, S. Bernardus; *mira dignatio, & vere magna dilectio charitatis. Quis enim, quibus, de quo, quid mandauit studiosè consideremus fratres.* Tum singula hæc quatuor expendit, primùm, quis tale mandatum Angelis dederit; Quis enim mandauit, nisi ille cuius sunt Angeli, cuius mandatis obtemperant, cuius obediunt voluntati: *Potentes virtute, qui faciunt verbum eius, ad audiendam vocẽ sermonum eius? Summa ergo Dei Maiestas mandauit. Confiteantur Domino misericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum: confiteantur, & dicant gentes, quia magnificauit Dominus facere cum eis.* Sed est secundo loco non minus consideratione dignum, quibus mandauit; Angelis enim suis mandauit de te, illis vtique sublimibus

Psal. 90. 12.
S. Bern. ser. 12 in Psal. qui habitat.
Psal. 102. 20.
Psal. 106. 15.
Psal. 123. 3.

tam beatis, tam proximis sibi cohærentibus, tam familiariter adhærentibus, & verè domesticis Dei, Angelis suis mandauit. *Quanta tibi debet hoc verbum inferre reuerentiam, afferre deuotionem, conferre fiduciam: reuerentiam pro præsentia, deuotionem pro beneuolentia, fiduciam pro custodia. Cautè ambula, vt videlicet cui adsunt Angeli, sicut eis mandatum est, in omnibus vijs tuis. In quouis diuersorio, in quouis angulo Angelo tuo reuerentiam habe. Tu ne audeas illo præsente, quod vidente me non auderes. Interim quid sub tantis custodibus timeamus? nec superari, nec seduci, minus autem seducere possunt, qui custodiunt nos in omnibus vijs nostris. Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt, quid trepidamus? tantùm sequamur eos adhæreamus eis, & in protectione* Dei *cæli commoremur*. Erit autem pro tertio considerandum, de quo Deus Angelis suis mandauit; vtique mandauit de te: D*omine quid est homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quoniam reputas eum? quasi vero non sit homo putredo, & filius hominis cinis? apponis tamen erga eum cor tuum, geris pro eo sollicitudinem, curam eius habes. Neque ei solùm mittis vnigenitum tuum, immittis spiritum tuum, promittis vultum tuum. Sed interim, ne quid in cælestibus vacet ab opera sollicitudinis nostræ, beatos illos spiritus propter nos mittis in ministerium; custodiæ nostræ deputas, nostros iubes fieri pedagogos*. Hæc à nobis contractius, quæ ferè in S. Bernardo, sed alio ordine, & fusius inueniuntur Certè si Rex aliquis vni suo pauperrimo seruulo, & mancipio vilissimo destinaret in custodem, & pedagogum aulicum suæ curiæ nobilissimum, dignatio hæc esset valde mirabilis: nec tamen esset, nisi hominem alterius hominis curæ, ac disciplinæ committere. At homo cuicumque Angelo collatus, quà parte anima constat, certum est natura sua esse inferiorem; quà verò constat ex corpore, cum Angelicis spiritibus ne conferendus quidem; sed magis cum belluis, stolidisque pecoribus: à quorum etiam plurimis in corporalibus quibusdam perfectionibus superatur. *Horum enim pulli*, ait sanctus Augustinus; *quamuis sint paruuli, neque accedentibus corporis incrementis etiam mente proficiant, quoniam rationalem animam non habent, tamen etiam minutissimi, & currunt, & matres agnoscunt, nec sugendis vberibus cura, & ope admouentur aliena, sed ea ipsi in maternis corporibus loco abdito posita mirabili facilitate nouerunt. Contra homini nato, nec ad incessum pedes idonei, nec manus saltem ad scalpendum habiles, & nisi opere nutrientis* admo-

Psal.8.5.
Iob.25.6.

S. Aug.l.1.de pecc. mor. & remiss.c.38.

admotis labris papillæ vberis ingerantur, nec vbi sint sentiunt, & iuxta se iacentibus mammis, magis possunt esurientes flere, quàm sugere. Atque huic tam egeno rerum omnium, tam debili, tam infirmo animanti rationali quidem, sed non dum vlla ratione vtenti, primùm in hanc lucem edito, plusquã paterna Deus prouidentia, vnum ex suis domesticis, & intimis aulæ cælestis Spiritibus potentissimis, qui beata semper eius faciei visione perfruuntur, in custodiam delegauit. Vnde meritò Christus Dominus ex hoc maximè capite intelligi voluit, non esse contemnendos homines, quantumuis per ætatem pusillos, & pleni vsus rationis adhuc expertes; quandoquidem sub tali sunt cura, & magisterio: *Videte*, inquit, *ne contemnatis vnum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est*. Quartò considerandum nobis occurrit in eadem materia cum S. Bernardo, quid mandauit Deus Angelis suis de nobis: vt videlicet custodiant nos in omnibus vijs nostris. Viæ nostræ sunt diuina mandata, vnde in Psalmo dicitur: *Viam mandatorum tuorum cucurri*: via est tota lex, de qua iterum in eodem Psalmo dicitur: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*; viæ quoque sunt operationes, de quibus habetur in Prouerbijs: *Dominus possedit me in initio viarum suarum antequam quidquam faceret*: ideo cũ cogitaret Deus propter mala hominum facta immittere diluuiũ, ait Moyses: *Omnis quippe caro corruperat viam suam*: via denique est tota vitæ præsentis nostra peregrinatio. In his omnibus vijs, ne labamur, indigemus non solum Angeli comitatu, & manuductione, sed etiam interdum veluti gestatione: & ideo promittitur: *In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Quod si parum tibi videtur*, ait S. Bernardus, *ne sit lapis offensionis in via, considera quæ sequuntur: Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem. Quam necessarius pædagogus, immo & baiulus, præsertim paruulo inter hæc gradienti: In manibus ergo portabunt te, in tuis quidem vijs custodient te, & deducent antequam possis paruulus ambulare. Cæterum nec te patientur tentari supra quàm sustinere potes, sed in manus tollent, vt pertranseas offendiculum. Quam facilè transit, qui illis portatur manibus, spirituales enim sunt manus istæ, & auxilia vtique spiritualia, quæ singulis electorum, pro cuiusque discriminis modo, & obiecto difficultatis, tanquam lapideæ molis quantitate, ab his qui tibi deputati sunt Angelis spiritualiter, & multipliciter exhibentur.*

Matth. 18.10

Psal. 118 32.

Psal. 118.1.

Prou. 8.22.

Genes. 6.12.

Massut. de cælesti conuersat.

Quoties ergo grauissima cernitur vrgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, inuoca custodem tuum, ductorem tuum, adiutorem tuum: in opportunitatibus, in tribulatione, inclama eum, & dic: Domine salua nos perimus. Non dormit, neque dormitat, & si ad tempus quandoque dissimulet, ne forte periculosius ab illius te manibus ipse præcipites, si te eis ignoraueris sustentatum. Ex his omnibus, quàm sit hæc materia colloquiorum cum Angelicis Spiritibus, & præsertim cum nostro custode, ampla, & copiosa satis pro præsenti instituto intelligetur.

CAPVT QVINTVM.

De colloquio cum alijs Sanctis, & Beatis.

Colloquiorũ cum Sanctis quanta varietas.

1 ETIAM colloquia cum reliquis Sanctis in cælis clara Dei visione, & beatitudine perfruentibus variari commodè poterunt modis omnibus superius explicatis: nempe quadruplici illa mystici sacrificij ratione, primùm honorarij, sunt enim supra mortalem conditionem honore, cultuque dignissimi; deinde gratiarum actionis, cùm sint maximi nostri benefactores; præterea sacrificij propitiatorij, cùm placare nobis Deum suis intercessionibus non cessent; & demum impetratorij, propter multa, quæ nobis assiduè impetrant à Deo beneficia. Variari quoque possent illa triplici ratione, quam pro colloquio cum Angelicis Spiritibus proximè superius explicauimus: primùm attendendo quantæ apud Deum sint auctoritatis, siquidem omnes Reges sunt, non certorum dierum, aut annorum numero definito, sed omnium sæculorum, audituri pro extremo iudicio in ipso introitu gloriæ, ab illo, qui propterea Rex Regum est appellatus, & Dominus Dominantium: *Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi*. Secundò, considerando quantæ in se sint sapientiæ, & bonitatis: cùm enim semper Dei essentiam aperta visione contemplentur, tantam ex illo veritatum omnium fonte limpidissimo hauriunt sapientiam, quantam nec Salomon, nec vllus mortalium habuit, nec habere de lege ordinaria poterit in hac vita: ex quò fit, vt quia non possunt Deum non summo, & perfectissimo amore diligere, non possint etiam non summam, & perfectam iustitiam possi-

possidere. *Charitas enim incboata,* inquit, S. Augustinus, *incboata iustitia est, charitas prouecta prouecta iustitia est, charitas magna, magna iustitia est, charitas perfecta, perfecta iustitia est.* Tertiò possunt à nobis sancti considerari, & piè inuocari tanquã nostri protectores, custodes, & adiutores, nam etiamsi Angelis custodibus id maximè competat ex diuino præcepto: *Angelis enim suis mandauit de te, vt custodiant te*; Sanctis tamen conuenit ex charitate, quæ sæpè non minus, aut etiam magis solet mouere, quàm præceptum. Sed vt adhuc in hac parte nos amplius excitemus, alios tres modos instituendi colloquia cum sanctis, atque beatis hoc loco proponere, & aliquanto fusius explicare cogitaui. Primus erit vnum ex omnibus singulariter alloquendi, vt S. Petrum, vel Paulum: secundus modus erit, plures, vel etiam omnes alloqui ex aliquo Sanctorum ordine, siue choro, vt omnes Apostolos, vel omnes Martyres, omnes Confessores, aut Virgines: tertiò simul planè vniuersos, totamque Dei Ecclesiam in cælesti patria triumphantem.

S. Aug. lib. de natura & gratia c. vlt.

Psal. 90. 11.

2 In primis itaque alloqui vnum aliquem certum ex Beatis in nostra oratione poterimus, siue inde permoti, quia ille noster est patronus, & aduocatus, siue quia tunc dies est memoriæ, aut festiuæ celebritatis illius, siue quia insignis extitit in eo dono, gratia, vel virtute, quam per eius intercessionem à Deo impetrare desideramus. Sunt sancti specialiter nostri patroni, & aduocati, non sicut administratorij Spiritus ex certa commissione diuina; sed ex nostra electione, Dei inspiratione, & eorum germana charitate, & beneuolentissima dignatione, vt loquitur S. Io. Chrysostomus, agens de S. Pauli patrocinio, & inuocatione: quem nobis in cælo contemplandum proponit luce vndique circumfusum, & maximo splendore micantem propè ipsum regalem thronum diuinæ Maiestatis, vbi Seraphin volant, vbi Cherubin Deum glorificant. Qui si dum hìc esset in corpore mortali, inter tot ærumnas, persecutiones, atque pericula, tanta ardebat charitate benè omnibus faciendi: vt cupiens dissolui, & esse cum Christo, tanquam pro se, multo magis melius, vt ipse scribit ad Philippenses, cui viuere Christus erat, & mori lucrum; tamen quia permanere adhuc in carne propter alios iuuandos necessarium videbatur, coarctari se dicebat, & quid è duobus eligeret, ignorare: & alibi ad Romanos scribens: *Optabã,* inquit, *ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis,* & iterum scribens ad Corinthios: *Ego,* ait, *libentissimè impendã, & super impendar ipse pro animabus vestris, licet plus vos dili-*

Colloquium singulare cum certis sanctis quomodo instituendum primum sumpta occasione quia noster aduocatus.

S. Io. Chrysost. hom. 32. in ep. ad Rom.

Ad Philip. 1. 23.

Ad Rom. 9. 3.

2. Cor. 12. 15.

gens, minus diligat. Quid igitur nũc ab illo alijsq; beatis nõ erit in hoc genere à nobis expectandum, vbi charitatis est consummata perfectio, & difficultas ne minima quidem patrocinandi? hæc enim duo solent patrocinia potissimum impedire, vel quia patronus causæ ex defectu bonæ voluntatis non acquiescit, vel quia negotium iudicat nimis pro se operosum, & laboriosum. Secundò ad simile colloquium instituendum occasio sumi poterit ex occurrenti pro eo tempore Sancti illius solemni memoria, vel festiua aliqua celebritate: quando credere debemus futurum, vt pijs deprecatoribus suis munificentiorem se præbeat, & Deus ad Sancti illius intercessionem in causa nostra facilior eo tempore inuenietur. Si enim inter miseros mortales, præclaris admodum orti natalibus, etiamsi re ipsa ad ingentes miserias nascebantur, tamen illius natalitij diei memoriam annis vertentibus recurrentem, solemni munificentia celebrare cõsueuerunt, & similiter diem coronationis suæ Reges, Imperatores, summique Pontifices: nec ferè alio tempore solent exhibere se hilariores, liberaliores, atque ad varias gratias concedendas promptiores: quomodo non erunt à nobis speranda multo maiora, & meliora in die fœlicissimo verè natalitio Sanctorum, quando non ad labores, discrimina, & semper imminentem mortem; sed ad vitam sempiternam, ad immarcescibilem gloriæ coronam, ad semper cum Christo regnandum, non terræ, sed cælo nascũtur? Et quia summum propriæ fœlicitaris gradum pro se iam ipsi attigerunt, & veris bonis vndiq; affluentes non habent secundum beatitudinem, quam vocant essentialem, in quo crescant, sed solùm iuxta beatitudinem dictam accidentalem, qua de spiritualibus aliorum bonis charitate plenissimi recreantur, præsertim vbi à primo gratiarum omnium fonte per ipsos tanquam nostros aduocatos, & intercessores ad nos deriuantur; ideo maxima tunc est opportunitas agendi cum Sãctis. Tertiò sumi etiam occasio pro huiusmodi colloquio poterit, quia Sanctus ille, cui à nobis sermo dirigitur, insignis extiterit in ea virtute, vel gratia, quam à Deo per ipsum obtinere desideramus. Hac ratione S. Bernardus de virtute humilitatis loquens cum Beatissima Virgine, & expendens quæ ipsa dicebat: *Respexit humilitatem ancillæ suæ*, & iterum alibi: *Dum esset Rex in accubitu suo nardus mea*, idest virtus humilitatis, *dedit odorẽ suum*; inter alia sic habet: *Vnde tibi humilitas, & tanta humilitas ò Beata? digna planè quam respiceret Dominus, cuius decorem concupisceret Rex, cuius odore suauissimo ab æterno illo*

Secundo quia festus dies ipsius.

Tertiò quia insignis in ea gratia, & virtute, quam optamus.

S. Bern. ser. 4. de Assump. B. Virg.

Luca 1. 48.

Cant. 1. 12.

Paterni

Paterni sinus attraheretur accubitu. Quanta, & quàm pretiosa humilitatis virtus cum tanta puritate, cum innocentia tanta, cum conscientia prorsus absque delicto, immo cum tanta gratiæ plenitudine? Et sicut videmus in humanis scientijs, & facultatibus eos, qui in arte aliqua maximè excellunt, aliorum qui similiter cupiunt in ea proficere, solere esse maximos promotores: ita credere debemus Sanctos pro ea gratia, & virtute inuocatos, in qua fuerunt eminentiores promptius, & peculiarius debere adiuuare. Præsertim quia multis eorum virtutibus, quas Sancti in hac mortali vita magno studio, & in gradu excellenti obtinuerunt, in cælesti patria materia exercitationis subtrahitur. *Quod enim*, inqnit S. Augustinus, *nunc agit iustitia in subueniendo miseris, quod prudentia in præcauendis insidijs, quod fortitudo in perferendis molestijs, quod temperantia in coercendis delectationibus prauis, non ibi erit, vbi nihil omnino mali erit:* & tamen aderit promptus affectus, & inclinatio illa mentis ordinatissimæ ad huiusmodi exercitamenta virtutum: nobis igitur, quibus materia non deest in hac vita, cooperari, erit illis valde iucundum, & apud Deum perhonorificum. Spiritum Eliæ impertiri sibi petierat Eliseus, cui respondit Elias: *si videris me, quando tollar à tè, erit tibi, quod petisti*, & ita factum est, dum in cælum igneo curru, & igneis equis Elias eleuaretur, aspiciente, & clamante Eliseo: *Pater mi, Pater mi, currus Israel, & auriga eius*. Tolluntur à nobis viri sancti, cùm peracto huius vitæ cursu meritis ardentissimæ charitatis, & operibus feruentissimis à terra in cælum rapiuntur (vnde ad hoc etiam videtur pertinere quod refert in suis dialogis S. Gregorius visam à S. Benedicto animam Germani Episcopi Capuani viri eximiæ probitatis ad cælum in sphæra ignea portari) horum si spiritu, & virtutibus effici participes desideramus, qua via processerint attenta consideratione, & frequenti meditatione inspiciendum nobis est, eorumque patrocinia intimo corde, & magno deuotionis affectu institutis cum ipsis sæpe colloquijs erunt postulanda.

Ita ratiocinabatur B. Aloi. l. 2. vita ipsius cap. 5.

S. Aug. l. 14. de Trin. c. 9.

4. Reg. 2. 9.

S. Greg. lib. 2. dial. c. 35.

3 Secundo poterunt cum Sanctis iniri colloquia, non vnum tantùm Beatorum in singlari alloquendo, sed simul plures: vel eorum virtutes commendando, vel gloriam admirando, eisque congratulando, vel opem implorando, vel pro acceptis gratijs gratias referendo. Quo in genere, vt exemplis, quibus instrui facilius possumus, abundemus, valde excellit illud S. Ioannis Chrysostomi de sanctis Apostolis Petro, & Paulo à Metaphraste in

Colloquium cum pluribus sanctis simul, quomodo instituendum.

S. Io. Chrysost. apud Metaph.

ſte in hæc verba relatum. *Quas nam vobis ô Beati Apoſtoli referemus gratias, qui tantum pro nobis loboraſtis? memini tui Petre, & obſtupeſco: recordor tui Paule, & excedo mente, opprimor lachrymis. Quid enim dicam, aut quid loquar, veſtras contemplans afflictiones, neſcio. Quot carceres ſanctificaſtis? quot catenas decoraſtis? Quot tormenta ſuſtinuiſtis? Quot maledicta toleraſtis? Quomodo Chriſtum portaſtis? Quomodo prædicatione Eccleſias ſanctificaſtis? Sunt benedicta veſtræ linguæ inſtrumenta, ſanguine conſperſa ſunt membra veſtra propter eccleſiam. Vos Chriſtum imitati eſtis in omnibus, in omnem terram exiuit veſter ſonus, & verba veſtra in fines orbis terræ.*

Pſal. 18. 5. Deinde nunc ſolum Petrum, nunc ſolum Paulum verbis ſimiliter deuotionis ardentiſſimæ ſeorſim alloquitur, quæ legi poſſunt apud eundem auctorem. Sed quo plures alloquimnr beatorum, eo deberet eſſe ardentior oratio: vt ſi omnium Martyrum admiremur, & commendemus inuictam fortitudinem, omnium Virginum Angelicam puritatem, omnium Confeſſorum excellentiſſimam ſanctitatem; eamque nobis optemus, poſtulemus, ad illam eorum exemplis nos excitemus. Formam deuotiſſimi

S. Cypr. lib. 2. epiſt. 6. colloquij cum Martyribus proferam ex S. Cypriano. *Quibus ego vos laudibus prædicem fortiſſimi Martyres, robur pectoris veſtri, & perſeuerantiam fidei quo præconio vocis exornem? Toleraſti vſque ad conſummationem gloriæ duriſſimam quæſtionem, nec ceſſiſtis ſupplicijs, ſed vobis potius ſupplicia ceſſerunt: finem doloribus, quem tormenta non dabant, coronæ dederunt: Laniena grauior ad hoc diu perſeuerauit, non vt ſtantem fidem deijceret, ſed vt homines Dei ad Deum velocius mitteret. Vidit admirans præſentium mulitudo cæleſte certamen, certamen Dei, certamen ſpirituale, prælium Chriſti, ſtetiſſe ſeruos eius voce libera, mente incorrupta, virtute diuina, telis quidem ſæcularibus nudos, ſed armis fidei ardentis armatos. Fluebat ſanguis, qui incendium perſecutionis extingueret, & ignes Gehennæ glorioſo cruore ſopiret. O quale illud fuit ſpectaculum Domino? Quàm ſublime, quàm magnum, quàm Dei oculis ſacramento,*

Pſal. 115. 15. *ac deuotione militis eius acceptum? ſicut ſcriptum eſt in Pſalmo, Spiritu ſancto loquente ad nos pariter, & monente: Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius.* Cum omnium Virgi-

Sap. 4. 1. num cæleſti choro candidiſſimo, & numeroſiſſimo formare colloquium poſſemus ex ipſis quoque ſacræ ſcripturæ verbis. *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate, immortalis eſt enim memoria illius: quoniam & apud Deum nota eſt, & apud*

homi-

hominés. Cùm præsens est imitantur illam, & desiderant eam, cùm se eduxit, & in perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum certaminum præmium vincens. Flos est ille ecclesiastici germinis, ait S. Cyprianus alloquens sanctas Virgines, *decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles laudis & honoris, opus integrum, atque incorruptum, Dei imago resplendens ad sanctimoniam, illustrior portio gregis Christi*. Hinc ad opem ab ipsis implorandam, ad eorum exemplum imitandum his, aut similibus verbis nos excitare possemus. Vos templa sancti Spiritus mundissima, speciosissima, sacratissima, in quibus, etiamsi lutea, & fictilia vasa passibilis, & infirmi vestri corporis haberetis terreo carnis pondere prægrauata, flores tamen, & fructus immarcescibilis honoris, & honestatis ante oculos diuinæ Maiestatis semper vernantes, gratissimè, & suauissimè olentes exhibuistis. Vos radijs solis mundiores, immaculatas vestras animas simul, & corpora ante thronum Agni immaculati tanquam candidas stolas obtulistis. Vos de mundi huius immundi cænoso deserto spiritualibus delitijs affluentes ascendistis. Figmentum nostrum bene nouistis, nam & vos omnes cæli thesaurum in vasis fictilibus circumtulistis, & mundo insidiante, dæmonibus inuidentibus, frementibus, obsistentibus, intactum, & illibatum custodistis. Propterea superandæ tibi fuerunt ò Beatissima Tecla sanctarum Virginum generosissima Protomartyr, feroces immissæ bestiæ, deinde venenati in fouea serpentes: tibi Catherina sanctissima rotarum machina illa formidabilis: Agatha cadentes forcipes: tibi Agnes accensus rogus: gladius in ardenti blaneo Cæcilia. Quot vestrum innocentissima corpora præcipitio perierunt, ne rueret pudicitia? quot aquis submersæ, ne pudoris naufragium faceretis? quot lapidibus obrutæ, sagittis confixæ, mille mortiferis instrumentis dilaniatæ, ne minimum quidem vulnus, aut maculam castimoniæ sustineretis? Custodiuit vos benedictio cælestis à sæuissimis inimicis, & à seductoribus callidissimis tutauit vos, & certamen forte dedit vobis, vt vinceretis, & sciretis, quoniam omnium potentior est sapientia. Nobis non datur tam forte certamen, quia digni non sumus tam alta corona: saltem ne qualemcumque palmam diuina misericordia nobis oblatam in minori certamine adiuti vestris intercessionibus omittamus. Hæc exempli gratia pro huiusmodi genere colloquiorum exposuisse sufficiat.

S.Cypr. de habitu Virg.

Sap. 10. 12.

Colloquia cū omnibus sanctis qualia instituēda, consideratā primū multitudine, sanctorum.

4 Tertij generis adhuc ardentiora colloquia cum omnibus

sanctis

ſanctis ſimul in cælo triumphantibus inſtituere oportebit: ad quæ poterit nos quadruplex conſideratio plurimum excitare: nempe multitudinis eorum planè nobis innumerabilis, deinde maieſtatis, & apud Deum auctoritatis, præterea conſideranda erit attentio, qua preces noſtras omnes diligenter excipiunt; denique propenſa voluntas ad eas exaudiendas, & quantum in ipſis eſt, quod certè multum eſt, adimplendas. Inprimis itaque de multitudine ſcripſit in ſua Apocalypſi S. Ioannes: *Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, ſtantes ante thronum*. Hunc numerum inde poſſumus aliqua ex parte colligere, quòd Martyrum multitudo, quæ propter genus certaminis difficillimi longè videretur debere eſſe minor, quàm Virginū, Confeſſorum, aliorumque Sanctorum; quantùm tamen excreuerit, niſi ex probatiſsimis haberetur hiſtorijs, incredibile videretur. Nam in vna tantùm Diocletiani ſæuiſsima perſecutione, quæ decima numeratur, & per decennium, & amplius vaſtauit Eccleſiam, tanta fuit copia ſanctorum Martyrum, vt ſicut colligitur ex libro de Romanis Pontificibus, ſingulis menſibus ad ſeptemdecim millia pro Chriſto interfectorum numerentur: qui numerus per omnes decem annorum menſes multiplicatus, quo toto tempore durauit ea perſecutio, vicies centena millia Martyrum cælo dedit, duos videlicet milliones. Quare non excedit fidem, immo parum aliquibus videtur, conſideratis alijs nouem præcedentibus Eccleſiæ perſecutionibus ſub Nerone, Domitiano, Traiano, Antonino, Seuero, Maximino, Decio, Valeriano, & Aureliano, pro tribus primis Eccleſiæ ſæculis quinquagies centum millia Martyrum extitiſſe, hoc eſt quinque milliones. Quibus ſi addantur Eccleſiæ ſæcula ſequentia, in quibus omnibus per varias orbis terræ partes inuicta ſemper plurimorum Chriſti militum declarata eſt fortitudo, ad vndecim milliones numerus Martyrum dicitur peruenire. Vnde redditur quorumdam opinio apud Genebrardum valde veriſimilis, poſſe nos in ſingulis totius anni diebus honorare triumphos Martyrum tamquam tali die in cælis coronatorum vſque ad triginta millia. Quin etiam ex antiquarum ſcripturarum monumentis haberi legimus in libro tertio reuelationum S. Brigidæ ſolùm Romæ qualibet die in anno ſeptem millium Martyrum poſſe feſta celebrari. De ſanctis verò Confeſsoribus ſi cùm Martyribus coniungantur, in eodem libro reuelationum ita dicitur: *Si menſurares terram centum pedum in longitudine,*

Apoc. 7. 9.

Genebr. in Pſ. 78.

Ariaſ. de Imitatione Chriſti tract. 3. c. 34.

dine, & totidem in latitudine, & seminares eam plenam puris granis tritici, quodlibet verò granum daret fructum centuplum, adhuc essent plures Martyres, & Cõfessores Romæ à S. Petri tempore vsque ad Cælestinũ, nempe illius ætatis summũ Pontificẽ. Atque hæ sanè reuelationes magnam apud pios, & doctos viros, teste Ioanne Cardinali de Turrecremata, qui eas descripsit, auctoritatem obtinuerunt. Quid igitur erit ab Adam vsque ad nostra tempora, & non in vna tantùm Vrbe Roma, sed in vniuerso terrarum orbe, non vnius tantùm ordinis, aut chori Sanctos recensere, sed omnes Patriarchas, Prophetas, Apostolos, & Apostolicos viros, Martyres, Virgines, Confessores, omnis generis, ætatis, sexus, & conditionis iustos, & electos? *Suspice cælum*, dixit Abrahæ Deus, *& numera stellas, si potes, sic erit semen tuum; benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris*. Hæc autem diuina promissio non tam ad carnalem, quàm ad spiritualem referenda est propagationem: *illa enim repetita comparatione cælestium stellarum*, ait S. Augustinus, *mihi magis promissa videtur posteritas cælesti fœlicitate sublimis*: quare de electis dicebat Christus Dominus: *Tunc iusti fulgebunt sicut Sol in Regno Patris eorum*. Atque harum stellarum in perpetuas æternitates lucentium claritatem, & numerositatem in dies succrescentem Dauid prophetico Spiritu admirabatur, & intimo cordis affectu venerabatur, cùm in Psalmo diceret: *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est Principatus eorum: dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur*. Sed de splendore, maiestate, auctoritate Sanctorum apud Deum, & cum Deo regnantium, quod pertinebat ad secundam nobis propositam considerationem, quænam lingua mortalis aliquid pro dignitate loquatur? Isaiam audiamus: *In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, & sertum exultation s residuo populi sui, & spiritus iudicij sedenti super indicium, & fortitudo reuertentibus de bello ad portam*. Si Rex aliquis proprio diademate amicum suum coronaret, sceptrum, quo ipse vtitur illi concederet, purpura, qua induitur, torque, & annulo Regio vellet insigniri, honor certè hic esset omnium existimatione maximus. Vnde consilium datum est Assuero Regi aliquando quærenti, *Quid debet fieri viro, quem Rex honorare desiderat? Homo, quem Rex honorare cupit, debet indui vestibus regijs, & imponi super equum, qui de sella Regis est, & accipere Regium diademà super caput suum, & primus de*

S. Brig. lib. 3. reuel. c. 27.

Gen. 15. 5.
Gen. 22. 17.

S. Aug. lib. 16. de ciu. c. 23.
Matth. 13. 43
Dan. 12. 3.

Psal. 138. 16.

Secundo considerands dignitas, & maiestas tot sanctorum.
Isai. 28. 6.

Esther. 6. 6.

Regijs Principibus, ac Tyrannis teneat equum eius, & per plateam Ciuitatis incedens clamet, & dicat: sic honorabitur, quem Rex voluerit honorari. Nullus est Beatorum in Regno cælesti, qui non eâdem quodammodo gloriæ purpura, sceptro, & corona beatitudinis, qua Deus ipse, quamuis modo, & ratione creaturæ conuenienti, honoretur. In eo enim omnium Sanctorum essentialis beatitudo consistit, vt Deum, sicut est in se, clara visione intueantur; ex quo intuitu Deus etiam in se ipso efficitur beatus essentialiter: nisi quòd seipse perfectissimè comprehendit actu suæ intellectionis increatæ, infinitæ, ab eo quod intelligit, & quo intelligit indistinctæ, quod creaturæ conditæ ex nihilo nulla ratione potuit conuenire. Cæterum illo ipso æternæ, ac summæ fœlicitatis obiecto, essentiæ nempe diuinæ, beantur Sancti, quo beatus est Deus: ideo dicebat S. Ioannes: *Charissimi nunc Filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus, scimus quoniam cùm apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*. Idemque propterea obseruauit in sua Apocalypsi magnum illud Christi Domini esse promissum: *Qui vicerit dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno eius*: propterea etiam Sancti cum illo regnãtes dicuntur ponere coronas suas ante pedes eius, tanquam eas illi, à quo acceperunt, referentes, & profitentes: *Quoniam redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni lingua, & tribu, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro Regnum, & Sacerdotes, & regnabimus super terram*. Non in hac terra, quæ cælorum amplitudini comparata, instar puncti est obscurissimi, & indiuisibilis, etiãsi per plura Regna magnis cõtentionibus diuidatur: sed Regnum Beatorum est super terram, & super elementares omnes regiones in altissimo cælo: vbi non officit regnantium multitudo, non enim eripitur vni, quod in immensum ab altero possidetur: vbi sunt veræ diuitiæ sine paupertate, vel indigentia; puræ deliciæ sine tristitia, vel deficientia; inuicta, sine infirmitate, vel morte, potentia. Nam sicut est apud Isaiam, *præcipitabit Dominus ex sancto monte illo mortem in sempiternum, & auferet lacbrymam ab omni facie*. Et S. Ioannes: *absterget*, inquit, *Deus omnem lacbrymam ab oculis eorũ, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor erit vltra, quia prima abierunt*. Ibi vestientur amictu luminis splendidissimo propter dotem lucidissimæ claritatis toto glorioso corpore vndique radiantis: armabuntur dote firmissimæ impassibilitatis, muniẽtur dote perfectissimæ impenetrabilitatis, portabuntur dote

S. Ioann. ep. 1. 2. 3.

Apoc. 3. 21.

Apoc. 4. 11.

Apoc. 5. 9.

Isa. 25. 8.

Apoc. 21. 4.

expe-

expeditissimæ agilitatis. Neque verò, vt ad secundum considerationis caput veniamus, est necesse ad nostras preces audiendas, Sanctos è cælo descendere, & vsque ad nos accurrere, quãuis id facere nullo negotio possint, & mira celeritate per eam; quam diximus dotem expeditissimæ agilitatis; sed sufficit illis è solio Maiestatis singulorum clara, & nunquam deficiens visio diuinæ essentiæ, quæ tanquam infinitè repræsentatiua, diuinitatis speculum voluntarium à Theologis appellatur. Quia, vt inter alios optimè Angelicus doctor exposuit, illa quæ Deus vult, & quatenus ipse vult, singulis Beatis repræsentat. Nam quemadmodum ex eo, quòd in sua essentia Deus eminenter continet creaturas, potest eas secundum esse reale producere, vel non producere, & liberè quando, & quatenus vult pro sua voluntate producit, ita potest illas quatenus vult in Beatorum mentibus secundum esse, quod vocant intentionale producere, idest repræsentare. Quod dictum de ijs tantùm est accipiendum, quæ in Deo sunt eminenter, nam quæ insunt formaliter, viso intuitiuè Deo, non possunt à Beato quolibet non videri. Siquidem, vt in sua prima epistola S. Ioannes affirmauit, *videbimus eum sicuti est:* est autem ipse formaliter hæc omnia, immo etiam essentialiter, cùm sit non solum omni modo perfectus, sed etiam omnis sua perfectio Deus. Erit tamen hoc loco, qui ambigat de nostris ad Sanctos effusis precibus, & quotidianis orationibus, quomodo ab ipsis illo simplici intuitu diuinæ essentiæ percipiãtur, quia sicut S. Augustinus in extremo libro de Trinitate obseruauit, non erunt ibi amplius volubiles nostræ mentis cogitationes, ab alijs in alias euntes, & redeuntes, sed omnem scientiam nostram vno simul conspectu obtinebimus. Ad hoc primum responderi posset, neque à Sanctorum gloria, neque à nostro bono esse alienum, vt in ipso introitu gloriæ preces omnes ad ipsos postea fundendas anticipata prænotione cognoscant. *Quòd facile intelligit*, ait Concilium Senonense, *qui Beatis peruium esse non ignorat illud diuinitatis speculum, in quo quidquid eorum intersit illucescat*. Qua in re Dei sapientiam, & clementiam poterunt imitari, de qua dicitur in Isaia: *Eritque antequam clament ego exaudiam:* & in Psalmo nono: *præparationem cordis eorum audiuit auris tua*. Deinde facilè possunt hæc omnia extra Verbum nouis reuelationibus intelligere: nam sicut non semel in hanc sententiam S. Augustinus ratiocinatur, si Prophetæ in hac mortali vita, ex eo quòd erat quantulumcumque in illis Deus, nondum facta præcognoscere potuerunt, quomodo

Tertio considerãdũ quàm attẽte audiãt sancti nostra colloquia.

S. Thom. in 2. d. 11. q. 1. art. 2. ad 4.

1. Ioann. 3. 2.

S. Aug. lib. 15. de Trin. c. 16.

Concil. Senon. in decreto fidei 13.

Isa. 65. 24.

Psal. 9. 17.

S. Aug. l. 22. de ciu. cap. 29. & l. de cura pro mor. c. 15.

modo

modo immortales Sancti, iam facta, & à nobis ad eos prolata; quando est illis Deus omnia in omnibus, non percipient? Et si mortalis oculus nostri corporis ab hoc diurno Solis lumine, immo etiam à splendore nocturno, vsque ad cælum intuendum excitatur, quomodo non poterit beatæ mentis oculus spiritualis multo præstantiori lumine collustratus, ea inspicere, quæ ipsi conspicienda speciali directione proponuntur? Quæ cùm ita sint, illud viua fide consideret quisquis cùm omnibus Sanctis instituere colloquia meditatur, quid animi gereret, & quo spiritu loqueretur ille orator, quem attentissimè audirent omnes mundi sapientes, & quotquot vnquam extiterunt viri grauissimi, & Principes potentissimi: qui tamen vix minima ex parte tot cæli ciuibus in æterna gloria cum Christo regnantibus videntur esse comparandi. At fortassis in Deo penitus iam absorpti, sunt erga nos animo minus benigno, atque beneuolo? Sed nequaquam ita est: vbi enim poterit esse vera benignitas, nisi fuerit in Sanctis? vbi perfecta charitas, nisi in Beatis? *Væ potius nobis*, ait S. Bernardus, *& vecordiæ nostræ, qui non modo ad omnes simul, modo ad hos, vel illos tota auiditate, & vehementia, corda vibramus: qui non crebris suspirijs, & feruentissima affectione abrumpere hinc, & in illa tam fœlicia agmina iaculari animas studeamus? Væ nobis à duritia cordis nostri, væ à peccato gentium, quas Apostolus memorat sine affectione fuisse. Præstolatur nos Ecclesia illa primitiuorum, & negligimus? desiderant nos Sancti, & paruipendimus? expectant nos iusti, & dissimulamus? excitemur aliquando fratres, desideremus desiderantes nos, properemus ad præstolantes nos, expectantes nos votis præoccupemus animorum*: Hæc S. Bernardus. At verò S. Augustinus in suis meditationibus sic omnes beatos alloquitur: *Fœlices sancti Dei omnes, qui iam pertransistis huius mortalitatis pelagus, & peruenire meruistis ad portum perpetuæ quietis, securitatis, & pacis, securi, & tranquilli, semperq; festiui, atque gaudentes. Obsecro vos per vestram charitatem, qui securi estis de vobis, solliciti estote de nobis. Securi estis de vestra immarcescibili gloria, solliciti estote de nostra multiplici miseria, per ipsum vos rogo, qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cuius pulchritudine iam satiamini, de cuius immortalitate iam immortales facti estis, de cuius beatissima visione semper gaudetis. Estote igitur memores nostri, subuenite nobis miseris, qui adhuc in salo huius vitæ circumstantibus agitamur procellis. Orate Dominum, orate pijssimi, orate omnia agmina Sanctorum,*

S. Bern. ser. 5. de omnibus sanctis.

Ad Rom. 1. 31

S. Aug. med. cap. 23.

rum, & vniuersi cœtus beatorum, vt vestris precibus meritisque adiuti salua naue, & integris mercibus mereamur peruenire ad portum perpetuæ salutis, & numquam finiendæ securitatis.

CAPVT SEXTVM.

De colloquio cum anima propria, siue de soliloquio.

1 ANTEQVAM de hoc genere colloquiorum exponamus quàm multiplici ratione possit institui, tria occurrunt obseruanda: primùm non habere amplius hic locum quadripartitas illas colloquiorum species superius explicatas, honorarij, gratiarum actionis, & similes. Hæ namque colloquedi formæ ad nos minimè sunt reflectendæ, sed ad Deum tantùm, & sanctos diriguntur. Hinc erit secundo loco obseruandum, quod antea dictum fuit, in toto progressu meditationis, vbi pius cordis affectus hoc suggerit, aliqua posse intermisceri colloquia, proprium tamen tempus colloquiorum esse, cùm concluditur meditatio; id nimirum esse intelligendum de colloquio cum Deo, & sanctis, non verò de quo nunc agimus, cum anima propria soliloquio. Quia cum oratio ad Deum, & sanctos tantummodo, non verò ad nos ipsos dirigatur, si quando reflectere ad nos internum sermonem, & colloquia in cursu meditationis velimus, non hic sistendum est, sed vlterius ad concludendum cum Deo, vel sanctis orationis negocium erit procedendum. Quare vel in progressu tantum meditationis erunt opportuna, vel si circa finem instituantur, aliud siue ad Deum, siue ad sanctos, vt oratio bene concludatur, est adiungendum. Sed tertium nihilominus erit obseruandum, huiusmodi colloquia magnæ solere esse efficacitatis ad se ipsum in oratione permouendum: & propterea in psalmis Dauidicis affectu plenissimis frequentissima inueniuntur, sicut explicando varias eorum formas infra referemus. Huius rei præter experientiam piè contemplantium, ratio etiam physica reddi potest, quia duplicatam quodammodo virtutem motiuam in se continent. Dum enim aliquis cum affectu alterum allo- Tria præsupponenda.

quitur ad aliquid ei persuadendum, & se primum, deinde alium mouere contendit, virtutem motiuam habet veluti circa duo mobilia diuisam, atque dispersam: At verò cùm quis alloquitur affectu impellente seipsum, idem est qui mouet, idem solus ipse, qui permouetur; & quia se magis quàm alium quemcumque habet in potestate, sibique metipsi est maximè præsens, omnino fortius operabitur, & mouere hac ratione debebit efficacius. Quod etiam exemplo radiorum solis ita declaratur: hi enim directi per aërem vtcumque calefaciunt; sed si ad corpus aliquod opacum, & ex parte diaphanum, sicut est speculum, reflectantur, adeo illorum virtus excrescit, vt etiam ignem accendant, quod antea non fecissent. Est nostra locutio operatio quædam mentis directa ad aliquid illustrandum, & manifestandum, quæ si animam nostram veluti speculum feriat, atque ita in nos reflectatur, talem potest accendere deuotionis affectum, qualem excitare nunquam antea potuisset. His itaque præsuppositis, vt ad certas formas huiusmodi colloquia reuocemus, tribus in vniuersum rationibus instituentur: primùm arguendo, & reprehendendo seipsum: secundò adhortando, & animando: tertiò sibi de diuino aliquo beneficio, ac dono misericorditer concesso, affectu non minus humili, quàm grato congaudendo, & congratulando. Primùm propriè pertinet ad incipientes, & vitam purgatiuam, secundum ad proficientes, & vitam illuminatiuam, tertium magis ad profectos, & vnitiuam: sic tamen, vt quemadmudum alibi dictum est, harum trium viarum affectus impermixti omnino esse non censeantur; sed ab vno in alium ascendere, vel descendere pro materiæ oportunitate, & instinctu deuotionis facilè concedatur.

Tres formæ horum colloquiorum.

2 Primum itaque arguendi, & reprehendendi se inter meditandum, nunquam animæ nostræ materia est defutura, si quando non succedat, in alijs libris superius explicatis, vbi de præparanda materia meditationis ageretur, in libro saltem conscientiæ vel vnam quamcumque paginam ibi fusius declaratam ipspicere voluerimus: nunc enim occasio querelarum, nunc accusationum, nunc exprobrationum facile inuenietur. Querelarum, sicut Dauid in psalmo propriam animam alloquebatur dicens: *quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?* Quæ si vllo vnquam tempore, profectò in otio, & quiete sanctæ contemplationis iustissima est querela: cùm anima post habitis cogitationibus sæculi, & curis mordacibus rerum mundanarum deberet vacare soli Deo, & videre: *quoniam suauis est*

Prima forma colloquij arguitiua. *Lib. 2. c. 3.*

Psal. 41. 6.

Domi-

Dominus, vt idem propheta dixit, & in suis lamentationibus Ieremias: *Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo eum: Bonus est Dominus sperantibus in eum, animæ quærenti illum.* An aliquid melius, aliquid dulcius, aliquid præstantius misera poterit inuenire, quàm cùm Deo colloqui, & conuersari? Quare sic animam suam alloquitur S. Augustinus ad eius torporem in exercitio contemplationis excutiendum: *Fuge paululum anima mea occupationes tuas, & absconde te modicum à tumultuosis cogitationibus tuis, intra cubiculum mentis tuæ, & exclude omnia præter Deum, & quæ adiuuent te ad quærendum Deum, quem cùm inueneris, acquiesce aliquantulum in eo. Dic ergo anima mea dic: quis es Domine, & quem te intelligam? tu es, quod es, & es, qui es; id es, quo nihil maius cogitari potest, nec melius, nec iucundius: vita es, sapientia, lux veritas, æternitas, bonitas, summum bonum, tu tibi omnia sufficiens, nullo indigens, quo omnia indigent vt sint, & bona sint. Inuenisti anima mea quod quærebas.* Est etiam satis efficax in hoc genere illa animæ in meditatione torpentis excitatio, quam initio suarum meditationum proponit S. Anselmus. *Anima christiana, anima de graui morte resuscitata, anima de misera seruitute Christi sanguine liberata, excita mentem tuam, memento resuscitationis tuæ, cogita redemptionem, & liberationem tuam: retracta vbi, & quæ sit virtus salutationis tuæ, versare in meditatione eius, delectare in contemplatione eius, excute fastidium tuum, fac vim cordi tuo, intende in hoc mentem tuam, gusta bonitatem Redemptoris tui, accendere in amorem Saluatoris tui, mande fauum verborum, suge plusquam mellitum saporem, gluti salubrem dulcorem.* Sed quando hæc animam à somno torporis adhuc non excitarent, vehementissima est illa eiusdem auctoris in libro de miseria hominis obiurgatio, & exprobratio, quam imitari quisque poterit tempore meditationis in ariditate mentis constitutus. *Anima sterilis quid agis? quid torpes anima peccatrix? dies Iudicij venit, iuxta est dies Domini magnus, iuxta, & velox nimis dies iræ: quid dormitas anima tepida, & digna euomi? quid dormitas? qui non expergiscitur, qui non tremit ad tantum tonitruum, non dormit, sed mortuus est. Arbor infructuosa, vbi sunt fructus tui? arbor digna securi, & igne, digna succidi, & accendi, qui sunt fructus tui? vtique spinæ pungentes, & peccata. O lignum aridum, & inutile, quid respondebis in illa die, cùm exigetur à te vsque ad ictum oculi omne tempus viuendi tibi impensum, qua-*

Ier.3.24.

S.August. vel quisquis est auctor.l.de spiritu.& anima c.62. tom.3. S.Aug.

S.Ansel.l.medit. redempt. cap.1.

S. Ansel. l.de miseria hominis.

liter fuerit à te expensum. Tunc quippe condemnabitur quidquid fuerit inuentum in te operis inutilis, vel otiosi sermonis, & silentij vsque ad minimam cogitationem, etiam quod vixisti, si non fuerit ad Dei voluntatem directum. Huc vsque sanctus Anselmus.

Secunda forma colloquij exhortatoria.

3 Secunda species colloquiorum cum anima propria, non tam est per modum reprehensionis, quàm exhortationis, non terrendo, sed spem, & fiduciam addendo: & tot possunt esse species, ac formæ, quot sunt virtutes, & rationes, quibus ad easdem virtutes conuenit seipsum excitare. Huius rei exempla, nec in psalmis desunt, nec in meditationibus sanctorum patrum, quibus etiam aliqua nostra subdemus. Cognouerat propheta Dauid testimonio illi reddente per Spiritum sanctum propria conscientia, se iam erutum de potestate tenebrarum, ad statum gratiæ, & sanctitatis esse translatum, ideo ad iter iustitiæ prosequendum sic animam suam adhortabatur: *Conuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi: quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacbrymis, pedes meos à lapsu.* Ac si diceret: peruersa olim anima, & inquieta, dum falsam quietis vmbram rerum caducarum vanis imaginibus delusa sequebaris, festina passibus desiderij ad locum veræ, & sempiternæ quietis, quia propterea Dominus benefecit tibi, gratiam suam tibi impendendo, qua nihil potest dari pretiosius: propterea te à morte liberauit, idest à peccato, neque enim anima natura sua immortalis, aliter mori potest, quàm per peccatum gratiam amittendo, quæ est animæ vita spiritualis, & supernaturalis. Sed & oculos meos à lachrymis liberauit, ne iterata crimina perpetrando noua mihi detur materia lachrymarum. Eruit pedes meos à lapsu; quia sicut est in alio Psalmo: *eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fæcis, & statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos.* Hæc ad spem sibi excitandam sunt in psalmis frequentissima: sed ad charitatem, qua sicut amamur à Deo, ita vicissim redamare illum maximè obligamur, accommodatissimum est illud cum anima propria colloquium S. Bernardi, ex quo ad arcanum sanctissimæ Trinitatis mysterium in seipsa tanquam in speculo & imagine peruestigandum hac ratione progreditur. *O anima mea si vis amari à Deo reforma in te imaginem tuam, & amabit te, repara in te similitudinem suam, & desiderabit te. Consilio namque sanctissimæ Trinitatis ad imaginem, & similitudinem suam creauit te Creator tuus, quod nulli alteri ex creaturis donauit,*

Psal. 114. 5.

Psal. 39. 2.

S. Bern. de inter. domo c. 63

nauit, vt tantò eum ardentius diligeres, quantò mirabilius ab eo te conditam intelligeres. Considera ergo nobilitatem tuam: quoniam sicut Deus vbique est totus, totus omnia viuificans, omnia mouens, & gubernans, & sicut Deus est, viuit, & sapit, ita tu secundum modum tuum es, viuis, & sapis: & sicut in Deo tres sunt personæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus: sic & tu habes tres vires, intellectum, memoriam, & voluntatem, & sicut ex Patre generatur Filius, & ex vtroque procedit Spiritus sanctus: ita ex intellectu generatur voluntas, & ex his ambobus procedit memoria: & sicut Deus est Pater, Deus est Filius, Deus Spiritus sanctus, non tamen tres dij, sed vnus Deus est, & tres personæ; ita anima est intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animæ, sed vna anima, & tres vires. Ex quibus animæ viribus quasi excellentioribus iubemur eũ diligere, vt diligamus eum toto corde, tota anima, tota mente; idest toto intellectu, tota voluntate, tota memoria. Quod autẽ hìc de virtute spei, & charitatis exempli gratia protulimus, idem suo modo circa alias virtutes siue Theologales, siue morales erit obseruandum: vt si occasione illorum Christi Verborum: *Estote prudentes sicut serpentes*, ad virtutem veræ prudentiæ nos ipsos excitare meditemur, simili colloquio vti cum anima propria possemus. Anima, quæ à solo Deo fuisti ad viuam eius imaginem procreata, spiritibus Angelicis in hac parte simillima, si prudentiam à Deo, & Angelis nescis addiscere, comparata propter peccatum iumentis insipientibus, & similis illis facta, saltem à vilissimo reptili eam addiscas: non attendis quali cautione, & quanta circumspectione caput suum supra omnes alias sui corporis partes custodiat serpens? Tu verò quàm parum curas de tuo capite, & suprema tui parte, quæ est ratio, intentio, boni cuiuscumque operis ad Dei obsequium, & maiorem eius gloriam inchoatio: ne quid præter, aut etiam contra rationem admittas, ne quid minus bona, aut etiam mala intentione committas; ne illa, quæ tui sunt commodi, & honoris, diuino obsequio, & maiori eius gloriæ anteponas. Non aduertis quanta sit serpentis prudentia in exuenda veteri pelle; & se renouando, dum sicut fertur, subintrâns angusta saxorum illata sibi vi, detractas antiquas exuuias ibi relinquit? Tu verò semper quæris laxitates, cùm tamen admoneat Christus Dominus: *Contendite intrare per angustam portam*: ideo nunquam exuis antiqui hominis veternosam consuetudinem, & morticinam conuersationem. Non consideras serpentis prudentiam, quo-

Matth. 10. 16

Psal. 48. 13.

Luce 13. 24.

modo aurem vnam, vt dicitur, applicat pulueri, alteram cauda sibi obstruit, ne vocem audiat incantantium ? Tu verò non dum ex toto didicisti mundanarum sirenum cantus eludere, Dæmonum susurros, & maleficas incantationes excludere, memoria originis tuæ, quia terra es; & tui finis, quia redibis in terram, sicut occasione primi serpentis mala insusurrantis à Deo dictum primo homini, & eius posteritati fuit: *Quia puluis es, & in puluerem reuerteris*: Hæc à nobis exempli gratia sunt posita.

Gen.3.19.

Tertia forma colloquiorũ, gratulatoria.

4 Tertia species horum colloquiorum, pèr modum cõgratulationis erit instituenda: non debent autem huiusmodi congratulationes esse de bonis caducis, & transitorijs, nam propterea diues ille in Euangelio stultus ab ipso Deo est appellatus, qui sic animam suam alloquebatur: *anima mea habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, & epulare. Sed cohæres Christi*, ait S. Augustinus; *quid gaudes, quia socius es pecoris? Erige spem tuam ad bonum bonorum omnium, illud est bonum tuum.* Debet ergo animæ lætitia, & congratulatio esse de veris bonis nõ tam naturalibus, quàm supernaturalibus, & æternis, siue iam per Dei gratiam reipsa obtẽtis, siue firma spe prægustatis, & suo tempore Dei misericordia obtinẽdis. Hæc autem sunt, primùm remissio peccatorũ per infusionẽ gratiæ iustificantis, virtutũ simul atque donorum: deinde habituũ vitiosorum, & prauarum inclinationum quotidiana diminutio, cũ oppositarum augmento virtutũ: tertio loco est donum perseuerantiæ, quod in hac vita est omnium supremum, & maximum; quartò denique in alia immarcescibilis gloriæ corona, quæ partim consistit in essentiali beatitudine animæ, partim in accidentali gloria corporis. Pro his omnibus, eo quo possumus ordine, affectuosissimum cum anima propria colloquiũ habere nos docuit Propheta Dauid illis Psalmi verbis: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt nomini sancto eius: Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius: Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis*; quod spectat ad primum ordinem gratiarum: *qui sanat omnes infirmitates tuas*, quod pertinet ad secundum: *qui redimit de interitu vitam tuam*, & hoc est tertium, cui statim addit, & quartũ: *qui coronat te in misericordia, & miserationibus*; & hoc distinctum per gloriam animæ: *qui replet in bonum desiderium tuum*, & gloriam corporis; *renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.* Hæc vt aliquanto melius perpendamus, aduertere oportet, aliàs sæpe excitasse Dauidem seipsum, & animam suam ad Deum ex

Lucæ 12.19.

S. Aug. enarr. in Psal. 102.

Psal. 102.1.

naturæ

naturæ operibus toto corde celebrandum ; vt cùm integrum hac de re Psalmum instituit, cuius hoc est initium : *Benedic anima mea Dominum, Domine Deus meus magnificatus es vehementer*; eumque ex mirabilibus commendat, quæ visuntur in cælo : *Extendens cælum sicut pellem*; deinde ex ijs, quæ occurrunt in aëre : *Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum*; postea quæ cernuntur in terra: *Qui fundasti terrã super stabilitatẽ suam:* & in aquis fontium, & fluuiorũ terram vndique rigantium; & fœcundantium: *Rigans montes de superioribus suis, de fructu operum tuorum satiabitur terra*; demum in magno, & spatioso mari : *Hoc mare magnum, & spatiosum, illic reptilia, quorum non est numerus*; & Psalmum tandem concludit repetitis illis, quibus inceperat verbis : *Benedic anima mea Dominum*. Sed hæc omnia collata cum gratiæ beneficijs, & cum mirabilibus, quæ Deus intra nos tanquã in alio mundo, mole quidem minori, virtute tamen grandiori, operatur, minora, & viliora esse videbuntur. Ideo nõ contentus Dauid semel dixisse : *Benedic anima mea Domino*; iterum dixit *Benedic anima mea Domino*; addidit quoque : *& omnia, quæ intra me sunt, nomini Sancto eius*. Ac si dixisset, tenor quidem pro beneficijs naturæ Deum benedicere; sed iterum, & multo magis pro beneficijs gratiæ : debeo Deum ore laudare; sed amplius corde, mente, toto spiritu, atque omnibus internis animæ meæ viribus, & facultatibus exaltare. *Puto*, inquit S. Augustinus super hunc Psalmum, *quia non ad interiora corporis loquitur Dauid, puto eum non hoc dicere, vt pulmo noster, & iecur, & si qua sunt intestina carnis erumpant in vocem benedictionis Domini. Est quidem pulmo pectoris nostri, quasi follis quidam anhelantis spiritum reciprocũ, qui spiritus concepti aëris in vocẽ, & sonũ exprimitur, cùm verba digerimus : nec potest vocis aliquid sonare ab ore nostro, nisi quod pulmo expressius emiserit. Sed quod hinc agitur, hoc totum ad aures hominũ : habet aures Deus, habet sonũ cor, interiora sua alloquitur homo, vt benedicant Deũ: clamas voce, si est homo, qui audiat, siles voce, quando non est qui audiat; interiora tua nunquã deest, qui audiat.* Hæc S. Augustinus qui pluribus pergit explicare, cur dixerit Dauid animæ suæ: noli obliuisci omnes retributiones eius : hoc est enim, quod possumus Deo, atque debemus pro tot beneficijs dignè referre : nunquam obliuisci omnes retributiones eius. Quàm multa mala commisimus, & ea nobis ipse dimisit, tot nobis retribuit bona, qui mala tribuere pro meritis debuisset : nos illi retribuimus

Psal. 103. 1.

S. Aug. enarr. in Psal. 102.

mala pro bonis, ipse nobis retribuit bona pro malis. Est igitur hoc primum beneficiorum Dei, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, infusione videlicet gratiæ viuificantis animam, & à peccato iustificantis. Secundum sequitur: *qui sanat omnes infirmitates tuas*, siue languores tuos, vt alij legunt. Non enim statim atque homo iustificatur, à prauis inclinationibus liberatur: *Adhuc post remissionem peccatorum, quibusdam perturbationibus ipsa anima quatitur*, (ait ibidem S. Augustinus) *adhuc in periculis tentationum versatur, quibusdam suggestionibus delectatur, quibusdam non delectatur, languor est. Sanat & omnes languores tuos, sanabuntur omnes languores tui: noli timere, magni sunt, inquies, sed maior est medicus, omnipotēti medico, nullus languor insanabilis occurrit. Tantùm tu curari te sine, manus eius ne repellas, nouit quid agat, nō tantum delecteris, cùm fouet, etiam tolera, cùm secat. Tolera medicinalem dolorem, futurā cogitans sanitatē.* Hinc tertia subsequetur Dei retributio: *qui redimit de interitu vitam tuā:* tribuit enim ipse gratiā, & vt gratiæ cooperereris idem ipse retribuit, atque ita in ea vsque ad finē perseuerando, spiritualis animæ tuæ vita redimitur ab interitu sempiterno. Sequitur & quarta Dei bonitatis, & misericordiæ retributio: *qui coronat te in misericordia, & miserationibus*; ipsius misericordia tributum est tibi, vt merearis, eiusdem iterata misericordia retributum, vt coroneris. Neque id vna simplici misericordia factum est; sed miseratione multiplici: multa dedit, vt à peccato resurgeres, & iustificareris, plura vt erectus ne iterum caderes, firmareris, & vsque ad finem in gratia perseuerans conseruareris, plurima, vt reposita tibi corona iustitiæ fruereris, vt repleatur in bonis desiderium tuum: tunc enim, non antea coronaberis, cùm apparuerit gloria sua. *Et renouabitur, vt aquilæ iuuentus tua*, ad volandum nimirum, nihil amplius mole corruptibilis corporis prægrauante, vsque ad altissimum empyreum cælum; ibique solem Diuinitatis in sua luminosissima sphæra oculo mentis, & acie directa semper intuendum. *Benedic igitur anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius.* Hæc pro colloquio cum anima propria per exemplum dicta sufficiant.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

De colloquio cum rebus inanimatis, siue, irrationalibus.

1 HOc est sextum, postremum, atque infimum genus colloquiorum, quo nos possumus inter meditandum spiritualiter adiuuare, & ad varios pios affectus animum excitare. Habet autem suas, vt superiora colloquia varietates quas ordinis, & distinctionis cōmodioris gratia, possumus ad quatuor genera causarum reuocare, explicando à quo effici, ad quem finem, in qua materia, & qua forma, siue ratione conuenientius oportebit. In primis itaque circa illum, qui ea est habiturus, posset aliquis dubitare, an deceat hominem creaturam, videlicet, intellectu, & ratione præditam cum irrationalibus, atque etiam surdis, & insensatis rebus, præsertim inter orandum, inire colloquia; siquidem à Sapiente in Ecclesiastico admonemur: *vbi auditus non est, non effundas sermonem*. Quod si stultus aliquis haberetur loquens cum homine absente, qui non solum nihil audit, sed neque potest ob nimiam loci distantiam quidquam audire; quantò magis, qui cùm brutis animantibus, stirpibus, & lapidibus, & quidem diuina meditando, sermocinabitur? Ad hæc tamen sunt multa, quæ respondeamus, & illud primùm: ab ipsa quoque diuina scriptura nos habere hac de re manifesta documenta, & exempla; ita vt etiam ad causam primam, & summum rerum omnium principium cognoscendum, quod spectat ad quæstionem omnium grauissimam, & ad veritatem maximè super omnes alias necessariam, vt interrogemus bestias terræ, pisces maris, volucres cæli, & ipsam terram. *Interroga iumenta*, inquit Iob, *& docebunt te, & volatilia cæli, & indicabunt tibi, loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris: quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecit?* Secutus tale consilium S. Augustinus pro hac de natura diuina omnium altissima quæstione, sic ait in suis confessionibus: *Interrogaui terram, & dixit: non sum, & quæcumque in eadem sunt idem confessa sunt. Interrogaui mare, & abyssos, & reptilia animarum viuarum,*

Rationabilia esse talia colloquia cum irrationalibus.

Eccl. 32. 6.

Iob. 12. 7.

S. Aug. lib. 10 confess. c. 6.

uarum, & responderunt: non sumus Deus tuus, quare super nos. Interrogaui auras flabiles, & inquit vniuersus aër cùm incolis suis: fallitur Anaximenes, non sum Deus tuus. Interrogaui cælum, solem, lunam, stellas: neque nos sumus Deus, quem quæritis, inquiunt; Et dixi omnibus his, quæ circumstant fores carnis meæ: dixistis mihi de Deo meo, quod vos non estis, dicite mihi de illo aliquid, & exclamauerunt voce magna; ipse fecit nos. Interrogatio mea, intentio mea, & responsio eorum, species eorum. Idem nos facere Prophetæ sancti exemplo suo docuerunt Isaias, Ieremias, Daniel, & Regius Propheta Dauid. Nam Isaias cælum, terram, mare, insulas eius, & germina orbis terrarum in spiritu sæpius est allocutus. *Audite cæli, & auribus percipè terra, quoniam Dominus locutus est*, ait in princi-
Isa.1.2. pio suæ prophetiæ. Et infra: *Audite insulæ, & attendite populi*
Isa.49.1. *de longe*, & iterum: *Audiat terra, & plenitudo eius, orbis, &*
Ierem.2.12. *omne germen eius*. Ieremias verò; *Obstupescite*, inquit, *cæli*
Dan.3.58. *super hoc, & portæ eius desolamini vehementer.* Sed Canticum trium puerorum apud Danielem est in hoc genere admirabile; erant illi tres serui Dei in medio fornacis Babyloniæ constituti, & flamma effundebatur, ait scriptura, cubitis quadraginta nouem super fornacem: interim cùm grandi miraculo Angelus Domini veluti flammeum ibi tentorium, & quasi oratorium construxisset; quæ in eo feruore precum inde effusarum audiebantur colloquia, alia non erant, nisi prouocatio omnium creaturarum ad benedicendum, laudandum, & super exaltandum Creatorem, à cælestibus incipiendo, & per ea, quæ in aëre, aqua, & terra gignuntur deueniendo, ac discurrendo. Similis argumenti est totus psalmus Dauidicus quadragesimus octauus su-
Psal.148.1.2. pra centesimum: vbi ad laudandum Deum inuitantur sol, & luna, & omnes stellæ, & lumen, ignis, grando, nix, glacies, & spiritus procellarum, montes, & omnes colles, ligna fructifera, &
Psal.113.5. omnes cedri, bestiæ, & vniuersa pecora, serpentes, & volucres pennatæ: & alibi rubrum mare, & fluuium Iordanem interrogat Dauid ad extollenda mirabilia Dei, qui semel tempore Moysis, & iterum post annos quadraginta tempore Iosue elementum aquæ pro transitu populi hebræorum tanta celeritate diuisit, vt fugere illum populum videretur: *Quid est tibi mare, quod fugisti? & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum?* Immo verò Deus ipse aliquando in sacra scriptura inducitur alloqens insensatas suas creaturas: vnde apud Iob, testatur Deus ita se egis-
Iob.38.10. se cum mari. *Circumdedi illud terminis meis, & posui vectem, & hostia*,

boſtia, & dixi: huc vſque venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Terræ quoque in principio Geneſis ipſe mandauit: *germinet terra herbam virentem:* & piſcibus maris: *creſcite, & multiplicamini, & replete aquas maris.* Sed cum alio fine Deus, alio verò nos inſenſatas, & inanimes huiuſmodi res alloquamur, explicare iam oportet qua intentione,& fructu colloquia huiuſmodi à nobis ſint inſtituenda, quod facere ſecundo loco propoſuimus. Gen.1.11.22.

2 Secundò itaque obſeruandum eſt, cùm ea diuinorum verborum ſit virtus, & efficacia, vt ipſum Dei dicere ſit facere, & benedicere creaturis ſuis, ſit ſemper illis bene aliquid facere, *quoniam ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt;* Deum alloqui creaturas, & illas audire nihil erit aliud, quàm Deum efficaciter ordinare, has verò illi obedire, vt ſtatim fiat in illis, quod ipſe dicit eſſe faciendum. Neque fiat ſolùm, vt tales ſint, quales antea non erant; ſed etiam, vt ſint, ſi forte antea non fuiſſent: *vocat enim*, vt ait Apoſtolus, *ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.* Vnde etiam in quodam pſalmo dicitur non de productis tantum meteoris, ſed etiam quando viſum Deo fuerit producendis: *ignis, grando, nix, glacies ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.* Hanc admirabilem ſuam virtutem placuit Deo aliquando ſanctis quibuſdam viris ex parte communicare: vt cum Ezechieli prophetæ mandauit in medio campi oſſibus mortuorum pleni vaticinaretur de illis oſſibus: *oſſa arida audite verbum Domini;* & ſtatim ad prophetæ verba in Dei nomine, vt reſurgerent præcipientis, omnia illa corpora mortuorum ſimul rediuiua, tanquam numeroſus aliquis exercitus apparuerunt. Sed nos, qui miracula hic non quærimus alio triplici fine res mortuas, aut irrationales alloqui in oratione poterimus. Primus finis eſt non tam ad illas, quæ capaces attentionis non ſunt, quàm ad nos ipſos attentiores in meditatione reddendos. *Quis mihi tribuat*, dicebat S. Iob, *vt ſcribantur ſermones mei? quis mihi det, vt exarentur in libro ſtylo ferreo, & plumbi lamina? vel celte ſculpantur in ſilice?* Quomodo in corde proprio ſacra verba gerebat impreſſa, qui ea in ſilicibus ferreo inſtrumento ſic inſculpta eſſe voluiſſet? & quia hoc, quod etiam voluiſſet non aſſequebatur, alterum ſaltem, vt proprio cordi altius haberentur impreſſa conſequebatur. Secundus finis ſuperiori ſubordinatus, & affinis eſſe ſolet, ad varios pios motus nobis metipſis excitandos: nihil enim eſt aliud alloqui affectu pietatis inter meditandum, & orandum

Cur inſenſatas res alloquamur. — Pſal.32.9. — Ad Rom.4.17 — Pſal.148 8. — Ezech.37.1. — Primũ vt nos attentos reddamus. — Iob.19.23. — Secũdò, vt nos moueamus.

res

res insensatas, quàm bonum huiusmodi nostrum affectum velle eis manifestare, vt ipsæ nobiscum similiter, si fieri posset, erga Deum afficerentur; & quia id fieri non potest, earum tanto magis supplere defectus nobis incumbit. Atque huc spectant illæ prophetarum exclamationes, & sæpius iteratæ prouocationes rerum omnium creatarum ad benedicendum Deo, ad eius bonitatem laudandam, & misericordiam exaltandam: *quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius*. Nam quia rationis expertes creaturæ id præstare nequaquam possunt, nos dum intelligimus ex quàm multis capitibus Deus sit ab omnibus honorandus, & quod aliæ præter creaturas intellectu præditas ipsum honorare, illi benedicere, & gratias agere propriè non possunt, & quod omnia illis collata bona, sunt magis nostra, quàm illorum beneficia; tantò nos magis ad illarum partes in hoc officio subeundas, atque vt possumus explendas excitamus.

Psal.135.1.2 3.

Tertiò, vt Deũ moueamus.

Hinc tertius exoritur finis pro nostro spirituali emolumento maximè intendendus, vt facilius Deum ad nostra pia desideria, & vota flectamus: quippe qui visa hac multiplici cordis nostri motione, & bona animi dispositione gratias etiam ipse multiplicat, & dona sua liberalius elargitur.

Quis ordo seruandus in his colloquijs.

3 Sequitur iam tertium explicandum circa materiæ varietatem in hoc genere colloquiorum, quis ordo habeatur? Hunc autem in Cantico trium puerorum ante omnia licebit agnoscere: ibi enim præter Angelicos Spiritus, qui vt primariæ creaturæ in principio Cantici ad benedictiones, & laudes Deo tribuendas inuitantur, cùm dicitur: *Benedicite Angeli Domini Domino, laudate, & superexaltate eum in sæcula*; & in fine homines, pro quibus condita sunt omnia visibilla: *Benedicite filij hominum Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula*, in illo medio quasi per quatuor classes omnes irrationales creaturæ distributæ ad benedicendum Deo prouocantur. Primùm cæli, & alia quæcumque corpora ibi consistentia, vt aquæ supercælestes, sidera errantia, & non errantia, luminaria maiora, & minora, sol præsertim, & luna, quæ omnia suum conditorem indita sibi virtute, motu, pulchritudine, splendore, & magnitudine valde commendant. His itaque dicitur: *Benedicite aquæ omnes, quæ super cælos sunt Domino, benedicite omnes virtutes Domini* Domino: *benedicite sol, & luna* Domino: *benedicite stellæ cæli* Domino. Secunda classis rerum creatarum in toto illo spatio continetur, quod infra cælum lunæ ad terram vsque protenditur: sphæra primùm purioris ignis elementaris,

Dan 3.53.

Dan.3.60.

taris, deinde aëris suprema regio propter vicinum ambientem ignem æstuosa, in qua proinde cometæ facilè accenduntur. Hanc media regio aëris subsequitur frigida, & tuburlenta: ex qua propterea erumpunt pluuiæ, niues, grandines, & pruinæ. Huic subest infima regio aëris terræ finitima, ventis, quos spiritus sacra scriptura solet appellare, multipliciter agitata. Quæ omnia similiter ad bene Deo dicendum verbis illis inuitantur: *Benedicite omnis imber, & ros Domino, benedicite omnes spiritus Dei Domino: benedicite ignis, & æstus Domino: benedicite frigus, & æstas Domino: benedicite rores, & pruina Domino: benedicite gelu, & frigus Domino: benedicite glacies, & niues Domino, benedicite fulgura, & nubes Domino, laudate, & super exaltate eum in sæcula.* Tertia classis insensibilium creaturarum, quas ad laudandum Deum possumus adhortari terræ elemento continentur, primùm terra ipsa, tum montes, & colles, & vniuersa per terram germinantia, quibus statim propterea dicitur: *Benedicat terra Dominum: Benedicite montes, & colles Domino, benedicite vniuersa germinantia in terra Domino.* Quartò denique loco elementum aquæ, præcipuè autem mare ad idem præstandum illis subsequentibus verbis inducitur: *Benedicite maria, & flumina Domino*, nec non ea, quæ in aquis natant, & quæ per terram gradiuntur, & quæ supra terram volitare cernuntur: *Benedicite cete, & omnia, quæ mouentur in aquis Domino, benedicite omnes volucres cæli Domino, benedicite omnes bestiæ, & pecora Domino.* Atque hæc omnia extra hominem sunt, & magno hoc mundo ad opificis sui declarandas perfectiones, ad nostrum commodum, & eruditionem continentur. Sed neque desunt intra hominem, tanquam intra minorem mundnm alia, cum quibus pia interdum colloquia meditando vtiliter instituantur. Ideo seipsum hortabatur Dauid: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt nomini sancto eius*; non anima tantum, de qua satis superius dictum est, sed & corpus, & caro & pars animæ sensualis, & irrationalis. Quia sicut nihil est à Deo conditum, quod ad conditoris gloriam, & nostram aliquam vtilitatem non pertineat, & nihil, quod aliqua ratione in die vniuersalis iudicij non debeat reprobos creaturis abutentes accusare, & electos benè illis vtentes commendare: ita nihil inuenitur quantumuis insensatum, & inanimè, ex quo materiam habere alicuius pij colloquij meditando non possimus. Quare agens Apostolus de Sanctorum cælestibus desiderijs, & expectatione bonorum sempiter-

Dan. 3. 64.

Dan. 3. 74.

Dan. 3. 78.

Psal. 103. 1.

Ad Rom. 8. 19 piternorum in Epistola ad Romanos, longa prosopopæia inducit huiusmodi creaturas omni sensu carentes, tanquam extremũ Iudicij vniuersalis diem auidè expectantes, ægrè vanitati mundanorum seruientes, ingemiscentes propterea, & quasi parturientes, filiorum Dei reuelationem, & perfectam ab omni miseria liberationem præstolantes, cum spe de illa fœlicitate quodammodo participandi: *sicut* (ait S. Io. Chrysostomus) *nutrix, quæ infantem alit Regium illo ad paternum Principatum euecto, & ipsa quoque bonorum fructum percipit: ità mundi huius, quamuis inanimis creatura. Vt ex hoc quanta sit illa gloria, quanta nostra debeat esse spes, & patientia intelligamus. Nam expectatio creaturæ, inquit Apostolus, reuelationem Filiorum Dei expectat, vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe: quia, & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ Filiorum* Dei. *Scimus enim, quod omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adbuc:* circa quæ verba Chrysostomus: *vides*, inquit, *vt auditorem Apostolus pudefaciat? tantum non hoc proferens, ne creatura efficiare deterior, neue tu præsentibus rebus acquiescas. Non enim illas solum non amplecti oportet, sed ingemiscere ob retardationem nostræ ab hoc orbe profectionis: Si enim irrationalis creatura hoc facit, multo magis conuenit te, qui ratione præditus, ornatusque es, hoc ostendere.*

S. Chrys. hom. 14. in ep. ad Rom. 8.

Tres formæ horum colloquiorum.

4 Superest quarto loco explicanda forma, siue ratio diuersa huiusmodi colloquiorum: ea verò triplex esse poterit, sicut in simili superius dicebamus, per modum videlicet reprehensionis, deinde adhortationis, tertiò gratulationis. Primùm per modum reprehensionis, sub qua, & querelas, & minas, & pias imprecationes comprehendimus: tale est colloquium, vt rem exemplis declaremus, quo S. Gregorius Nazianzenus per modum acris reprehensionis de immortificata carne conqueritur, eam accusat, eique minatur his verbis. *Caro perniciosa, cœnum, lutea pedica, plumbum deorsum vergens, fera indomita, cælestis imaginis, quam à Deo accepimus vinculum, ac sepulchrum, non improbitati tandem tuæ, impudentiæque finem impones? non spiritui, ac senectuti iam canæ, stulta miseraque te submittes? verere me tandem, & petulantiam istam compesce, nec in animæ meæ perniciem perpetuo furore debacchare. Alioquin nisi quam primùm apprehensa Christi fimbria pestiferum improbitatis tuæ profluuium compresseris, immortalis Dei manum, diemque illum, qui omnia hominum dicta factaque in vnum collaturus est te-*

Primum per modum reprehensionis.

S. Greg. Naz. in epigr. aduersus carnẽ.

stor

stet fore vt te acerrimè oppugnem, omnique dolorum genere frangam, atque cadauere imbecilliorem reddam. Simile est, quod de S. Francisco in eius vita legimus, consueuisse iumentũ vile appellare corpus suum, eique minari multiplicata verbera, onera grauiora, & pabuli subtractionem. Per modum verò imprecationis est illud Dauidis, cum Montibus Gelboe tristitiæ, & doloris plenum colloquium: *Montes Gelboe nec ros, nec pluuia veniant super vos, neque sint agri primitiarum: quia ibi abiectus est clypeus fortiũ, clypeus Saul, quasi non esset vnctus oleo.* Sed vehementior, & plena mysterijs est illa S. Iob imprecatio, qua propter contractam originalem culpam nocti, & diei conceptionis suæ ita maledicit: *Pereat dies, in qua natus sum, & nox in qua dictum est: conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras, & non requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine: obscurent eum tenebræ, & vmbra mortis, occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine. Noctem illam tenebrosus turbo possideat, non computètur in diebus anni, nec numeretur in mensibus. Sit nox illa solitaria, nec laude digna.* Ieremias verò adhuc vlterius in simili detestatione progressus est: non enim solùm diei natiuitatis suæ maledixit, sed etiam viro nuntianti gaudium talis natiuitatis: *Maledicta*, inquit, *dies in qua natus sum, dies in qua peperit me mater mea non sit benedicta. Maledictus vir, qui annunciauit patri meo, dicens: natus est tibi puer masculus, & quasi gaudium lætificauit eum*. Oportet tamen in hac re diligenter aduertere creaturis irrationalibus secundum se consideratis maledicere otiosum esse, ac vanũ, vt verò creaturæ Dei sunt, multò minus licere eis maledicere, esset enim quædã blasphemiæ species, & perinde quodammodo ac si male ipsi Deo diceretur: sicut eadẽ ratione, qui creaturæ irrationali propter ordinẽ, quem habet ad creaturam rationalẽ imprecatur malũ, est perinde ac si ipsimet rationali creaturæ illud malũ imprecaretur. Quare iusta erit, vel iniusta illa imprecatio, & maledictum, quatenus iustum est, aut iniustũ imprecatum malum: atque ita si fuerit ex odio, ira, impatientia, vel aliqua iniqua maleuolentia, iniquum etiam erit maledictum: quod facilè illis erumpit, de quibus inquiunt Dauid, & S. Paulus: *venenum aspidum sub labijs eorum, quorum os maledictione, & amaritudine plenum est*. Si verò id fiat ex honesta iustæ pœnæ voluntate, ac emendationis nostræ desiderio, iusta est maledictio: qualis fuit (neque enim alia esse potuit) illa terræ à Deo propter peccatum primorum parentum data maledictio:

S.Bon. in vita S.Fran.c.5.
2.Reg.1.22.
Iob.3.3.
Ierem.20.14.
S.Thom. 2.2. q.76. artic.2. vbi etiã Caie.
Psal.13.5.
Ad Rom.3.13.

Male-

Genes.3.18. *Maledicta terra in opere tuo, spinas, & tribulos germinabit tibi:* aut in odium culpæ, cuius occasio, locus, vel tempus fuit illa res, cui maledicitur: qua ratione Dauid Montibus Gelboe, Iob nocti conceptionis, & Ieremias diei natiuitatis suæ honestè maledixerunt. Quare sapientia opus est non vulgari ad huiusmodi maledicta piè vsurpanda, & vbi in diuinis Scripturis inueniũtur, sanè interpretanda: non sicut quidam corruptæ mentis infideles propterea sacras Scripturas, vbi hæc leguntur execrati. Nam sicut dicitur in Ecclesiastico: *In thesauris sapientiæ significatio disciplinæ: execratio autem peccatori, cultura Dei.* Secunda species colloquiorum cum irrationalibus creaturis per modum exhortationis, vt facilior, ita etiam est vsitatior, qualis habetur in toto ferè sacro Cantico trium puerorum superius adducto, vbi ad benedicendum Deo omnes creaturæ repetitis identidem exhortationibus inuitantur, sicut etiam in Psalmo: *Laudate Dominum de cælis*, & in alio: *Lauda Ierusalem Dominum, Lauda Deum tuum Sion:* Isaias quoque: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum; aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Quin etiam lachrymas, & vigilias, & sacci asperitatem, atque alia pœnitentiæ instrumenta, quæ S. Gregorius Nazianzenus vocat stoliditatis, & vecordiæ peccantium medicamenta, pio, & eleganti colloquio sic ipse aduocat, & vt ad se veniant adhortatur: *Venite iam, & quidem in magna copia, expiatrices lachrymæ: veni laboriosum, tam mentis, quàm corporis peruigilium, vt flammæ meæ ardorem minuatis, fœtidamque vitiorum putredinem abstergatis. Venter satietatem ableget, genua humi flexa obrigescant, puluis cibi loco sit, asperrimus saccus mollia membra vndique tegat, vexataque animæ meæ suppetias ferat. Veni tristis cura, carnis domatrix, futura supplicia mihi semper ob oculos ponẽs.* Tertia species, & forma colloquiorum dirigitur ad res inanimatas per modum congratulationis, quæ tamen cõgratulatio cùm non possit in ea re absolutè sistere, sed debeat ad creaturam intellectu præditam, aut etiam ad Creatorem ipsum vlterius ordinari, ferè solet admisceri exhortatione aliqua ad Deum laudandum, honorandum, gratias illi tanquam bonorum omnium auctori exhibendas. Quale est illud in Psalmo: *Lauda Ierusalem Dominum, Lauda Deum tuum Sion: quoniam confortauit seras portarum tuarum benedixit filijs tuis in te, qui posuit fines tuos pacẽ, & adipe frumenti satiat te*, & in alio Psalmo: *Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei*, & alibi: *Si oblitus fuero tui Ierusalẽ, obliuioni detur dextera mea, adhæreat lingua mea faucibus meis, si nõ memi-*

Marginalia: Eccl.1.33. Secunda species colloquiorum per modum adhortationis. — Psal.148.1. — Psal.147.1. — Isa.45.7. — Naz. in carm. aduersus car. — Tertia species colloquiorum per modũ gratulationis. — Psal.147.1. — Psal.89.1. — Psal.136.6.

meminero tui Ierusalē, si nō proposuero Ierusalē in principio lætitiæ meæ. Hinc accepta sæpius occasione varia colloquia S. Augustinus habet cum patria cælesti in libro suarum meditationū, vt cū ait: *O domus Dei luminosa, & spaciosa, dilexi decorē tuū, & locum habitationis gloriæ Domini Dei mei fabricatoris, & possessoris tui, tibi suspirat peregrinatio mea, nocte, ac die tibi inhiat cor meum, ad societatem beatitudinis tuæ peruenire desiderat anima mea. Dico ei, qui fecit te, vt possideat me in te: immo tu dic, tu roga vt dignum me faciat participatione gloriæ tuæ. O vita, quam præparauit Deus his, qui diligunt Deum, vita vitalis, vita beata, vita secura, vita tranquilla, vita pulchra, vita munda, vita casta, vita sancta, vita ignara mortis, nescia tristitiæ, vita sine labore, sine dolore, sine anxietate, sine corruptione, sine perturbatione, sine varietate & mutatione, vita totius elegantiæ, & dignitatis plenissima, vbi non est aduersarius impugnans, vbi nulla peccati illecebra, vbi est amor perfectus, & timor nullus, vbi dies æternus, & vnus omnium spiritus, vbi Deus facie ad faciem cernitur, & hoc vitæ cibo mens sine defectu satiatur.* Ex huiusmodi colloquio deuenire possumus ad aliud cum anima propria; vt ibidem facit S. Augustinus: *Fœlix anima mea, semperque fœlix in sæcula, si intueri meruero gloriam tuam, beatitudinem tuam, pulchritudinem tuam, portas, & muros tuos, & plateas tuas, mansiones tuas multas, nobilissimos ciues tuos, & fortissimum regem tuum Dominum nostrum in decore suo*: deinde ad ipsos sanctos, quod etiam ibidem facit S. Augustinus, opem eorum, & intercessionem postulando: tum ad Angelicos spiritus per suos ordines, & hierarchias, postea ad supremam Angelorum, & hominum Reginam: ac demum, si eousque deuotio ferat ad singulas personas sanctissimæ Trinitatis. Vt ordo tam intentionis, quàm executionis in tanta colloquiorum, quæ fieri possunt varietate, sicut initio huius materiæ diximus, obseruetur, & oratio suis omnibus numeris absoluta compleatur.

S. Aug. l. med. c. 19. 21.

Lib. 5. c. 1. §. 5.

CAPVT OCTAVVM.

De fine imponendo meditationi, & eius examine.

1 FINIS meditationi non sic imponitur, vt quamuis illo spatio temporis præterlapso ab actu ipso meditandi cessandum sit, non debeat aliquid illius actionis, saltem in virtute remanere. Hæc autem virtus orationis facile euanescit, eiusque veluti in ipso flore fructus peribit; si quis inde statim ad alienissima negocia se proripiet, nihil vnquam de successu meditationis, qualis nam fuerit amplius recogitando. Propterea monemur ab auctore spiritualium exercitiorum, vt oratione completa inde surgentes, per modicum tempus, quàm bene vel male successerit examinemus: & siquidem male, inquiram causas cum pœnitudine, ac emendationis proposito; sin verò bene gratias Deo agam, eundem postea modum obseruaturus. De hoc igitur examine pro complemento, & fine huius nostræ tractationis, tria supersunt exponenda, primum in quo consistat, deinde cur fieri debeat, tertiò quibus potissimum de rebus, & qua ratione faciendum.

Lib.exer.hebd. 1.addit.5.

In quo consistat hoc examen.

2 Primùm in quo examen huiusmodi consistat intelligi potest ex tribus nominibus, quibus appellari consueuit: dicitur enim examen, reflexio, & ab aliquibus etiam ruminatio. Dicitur primùm examen orationis, ad differentiam alterius examinis generalis, & alterius particularis, de quibus in eodem libello spiritualium exercitiorum sæpe fit mentio. Est enim examen generale, quod non fit de vna tantum specie nostrarum actionum, sed de omnibus, vt quidquid in eis peccatum fuerit ea die, mense, vel anno, aut etiam tota vita, per virtutem pœnitentiæ, & suo quoque tempore per sacramentum confessionis expietur. Examen verò particulare versatur circa vnum aliquod peccatum, aut vitium particulare, à quo præcipuè cupimus emendari. At examen orationis, de quo nunc agimus, respicit quidquid in eo exercitio bene, vel male contigisse dignum animaduersione reperitur. Est igitur quoddam examen speciale

ciale medium inter generale, & particulare: quod in qua mentis operatione situm sit magis indicatur secundo nomine, quo ab aliquibus reflexio appellatur. Est enim mentis ad suas internas operationes reflexio, quædam illarum replicata in se ipsas consideratio, quæ fieri in cursu meditationis, cum eo quod quærimus emulomento spirituali vix potest. Si enim segnis, & remissus aliquis in meditatione versatur, certe arguitur carere huiusmodi reflexione, quod si conetur esse valde attentus circa ea, quæ habet ad contemplandum sibi proposita, eò minus poterit mens considerationem reflectere ad se ipsam. Vnde Ioannes Cassianus quandam affert hac de re S. Antonij sententiam, quam ipse cælestem, & plusquam humanam vocat, dicentis: *Non est perfecta oratio, in qua se Monachus, vel hoc ipsum, quod orat, intelligit*. Est quidem prærogatiua beatificæ visionis, vt quia ad sanctos completa fælicitate beandos debet in ratione talis actus includere certitudinẽ perpetuitatis suæ, reflexiua sit eminenter ad se ipsam. Sed hoc non est mirum, quia verè beatus esse non potest, qui se esse beatum non intelligit. At verò contemplatio nostra in hac vita cùm nõ nisi breuis sit, & admodum imperfecta, præstat, vt dum peragitur, attentio mentis ad eius examinandas qualitates non distrahatur; sed illa demũ absoluta per animi reflexionem, qualis fuerit, & qualis esse debuerit, expendatur. Tertio solet hæc reflexio ab aliquibus appellari ruminatio, voce, tũ ab optimis latinæ linguæ auctoribus, tum maximè ab ecclesiasticis ad iteratam rei consideratiõe significandã aptè translata. Vetitũ fuit hebræis in Leuitico, & in Deuteronomio, ne animalibus, quæ non ruminant vescerentur, sed immunda, quæcumque huius generis sunt, haberentur; munda verò censerentur animalia, quæ ruminant. Quia sicut exponunt sancti Gregorius & Augustinus; spiritualis animæ nostræ cibus in memoriam, quasi in ventrem copiosè primùm ingestus, vt nobis magis sapiat, & proficiat, ad os, idest ad intellectum repetita consideratione identidem est reuocandus. Cibus sine dubio spiritualis mundarum animarum est contemplatio, hàc ipsæ per pascua diuinarum scripturarum pia meditatione incedentes quotidie reficiuntur: *Sed nisi quæ affluenter sibi congesserunt in se recolant, quanta sit virtus illius cibi, quem sumpserunt, non sentiunt*, ait S. Gregorius; & affert in eandem sententiam illud à sponsa dictum in sacris Canticis: *guttur tuum sicut vinum optimum dignum, dilecto meo ad potãdum, labijsque*

Cass. collat. 9. cap. 30.

Leuit. 11. 13. Deut. 14. 6.

S. Gregor. in Cant. 7. S. Aug. lib. 50 hom. 35. & in Psal. 41.

Cant. 7. 9.

& dentibus illius ad ruminandum. Vbi per guttur diuinas voces, quibus noster intellectus instruitur, per vinum dilectio, qua contemplantis inebriatur affectus, per labia, & dentes discretam recognitionem, & ponderationem ipse interpretatur. Sanctus verò Augustinus profert ad idem testimonium Salomonis in Prouerbijs dicentis: *thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis, stultus autem glutit illum: Quia non ita prodest*, inquit ipse, *quod mente fuit reconditum, nisi ad os postea illius sapor, & dulcedo reuocetur*.

Prouer. 21. 20. iuxta 70. interpret.

Cur fiat examen orationis.

3 Ex his facile erit inuenire quod secundo loco quærebamus, ad quem videlicet finem huiusmodi reflexio, & examen oratione completa fieri debeat. Si quidem inter omnes actiones, quæ à nobis in hac vita exerceri possunt, contemplatio in se est præstantissima: in huiusmodi autem non solum antequam fiant, sed etiam postquam sunt facta, reflectendā esse considerationem nemo negabit. Nam si vbi scripserit aliquis epistolam ad magnæ auctoritatis virum, aut orationem, vel poëma quamtumuis accuratè composuerit, nulla ratione prætermittet id totum à se conscriptum statim postea relegere, & diligenter inspicere, an omnia secundum artis rhetoricæ præcepta, sint posita; nunquid minus erit præstandum in oratione nostra coram Deo? *Noli*, inquit S. Bernardus, *vilipendere orationem tuam, quoniam ille, ad quem oras, non vilipendit eam, sed antequam egrediatur de ore tuo, ipse scribi eam iubet in libro suo*. Quis est, qui ad colloquium magni Principis singulari fauore semel admissus, vt cum illo per horam, & amplius, sicut voluerit, de rebus grauissimis negotietur, vbi se inde recipiat in domum suam, bona itineris parte secum ipse non cogitet, quid, quomodo locutus sit, quod responsum acceperit, quæ officia prætermiserit, qualis spes obtinendi, quod postulabat, affulxerit? Et tamen homo homini, mortalis mortali, & de rebus non nisi ad hanc mortalem vitam pertinentibus, loquebatur. *At considera*, inquit S. Io. Chrysostomus; *quanta est tibi concessa fœlicitas, quanta gloria orationibus attributa, sermocinari cum* Deo, *& cum Christo miscere colloquia, optare quod velis, quod desideras postulare*. Sed fortassis hoc loco dicturus est aliquis: vbi quis aulas magnorum Principum ad agendum cum illis ingreditur, ille amplarum ædium nitidissimus apparatus, illa circumfusa nobilium famulorum multitudo, ille splendor personæ, & subiecta oculis maiestas præstringit aciem mentis, vt non possit,

S. Ber. in med. cap. 6.

S. Chrys. l. 2. de orat.

qui

qui se inde subducit, viuas earum rerum imagines aliquamdiu secum non circumferre, & ad eas mentem cogitationemque reflectere. At dum orando, & meditando cum Deo agimus, nihil videmus, nihil sentimus, nullum responsum ad nostra colloquia reportamus: vnde mirum non est, si cessante illa animi applicatione, & absoluto meditationis exercitio, facile omnia ex mente dilabuntur, & euanescunt. Nihilominus tamen hoc ipsum est, quod non tam excusare nostram in hac parte negligentiam, quam excitare diligentiam deberet: cauere enim maximè oportet, ne propter quotidianam frequentationem huius tam excellentis, quam insensibilis, & quodammodo occultæ operationis, agendi per internam orationem cum Deo, assuescamus tempus illud inaniter, & indecorè transigere, sine spe remedij aliquando adhibendi: siquidem de illius successu examinando, fuerit ne bonus, an malus, plerumque non cogitamus. Et quamuis hoc examen speciale in examine generali, quod ad aliud diei tempus differtur, includi posse videatur: qui tamen in orandi studio se valde remissum, & negligentem experitur, non solum de innouandis animi præparationibus, de quibus antea fusè pertractauimus, cogitare serio debebit, verum etiam omnino statim post absolutam meditationem, qualis ea fuerit, quid ei defuerit, qua in re, & quare sic defecerit, inspiciat diligenter necesse est; præsertim vbi ad exercitia spiritualia per aliquot dies separato otio peragenda se dederit; hoc enim potissimum tempore à B. P. Ignatio huiusmodi examen post finem meditationis iniungitur. Comparat S. Io. Chrysostomus orationem fonti constructo in horto aliquo amœno, & delitioso, cuius aquæ nisi deriuentur ad irrigandas omnes areolas, & singulas horti plantationes, languent primùm omnia, quæ virebant, deinde arescunt, & breui tempore siccantur. Quare non sufficit illam horam nostræ matutinæ meditationis, quasi fontem aquis bonarum cogitationum vsque ad margines impleuisse; si statim inde surgentes, quasi omnium obliti, repagula, & obices eiusmodi negociorum sic opponimus, vt humor collectæ pietatis deriuare ad radices aliarum operationum, quæ interdiu erunt exercendæ, non permittatur. *Bibe aquam de cisterna tua,* dicebat Salomon in prouerbijs, *& fluenta putei tui: deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide;* quibus verbis aduersari ea videntur, quæ statim adduntur: *habeas eas solus, nec sint alieni participes tui.* Sed si hæc dicta de nostris aquis in sensu spirituali accipiantur, optimè cohærent. Aquas

S. Chrys. l. 1. de orando Deo.

Prou. 5. 15.

enim

enim de sua cisterna bibit, & fluenta putei sui, qui contemplationi suo tempore diligenter intentus soli Deo vacat, & sibi: deriuantur autem fontes eius foras, & aqua illius diuiditur in plateis, cùm à vita contemplatiua descendit pro bono proximorum in actiuam; & tamen habet aquas suas solus, nec sunt alieni participes eius, quia licet multis prosit in actione, nulli tamen, nisi Deo reseruat intentionem, nec sic effunditur in negotia, vt spiritus minuatur, & extinguatur adepta in oratione deuotio. Immo verò quamuis arma orationis deposuisse pro tempore videatur, altera tamen sua manu, hoc est, virtute, & proposito accensæ voluntatis, sic ea retinet, vt possit dicere cum S. Iob: *Gloria mea semper innouabitur, & arcus meus in manu mea instaurabitur.* Ex quò per diem crebras illas orationes ad cælum identidem iaculatur, quas S. Augustinus, & Ioannes Cassianus in viris spiritualibus valde commendant, & fuisse in vsu religiosis fratribus in Aegypto, vterque testatur: *ne erecta vigilanter intentio*, inquit S. Augustinus, *per productiores moras hebetaretur, & euanesceret*. Cassianus verò: *Quamobrem*, inquit, *vtilius censent breues quidem orationes, sed crebrerrimas fieri, vt frequentius Dominum deprecantes, iugiter eidem cohærere possimus*. Hac ratione satis illud Christi Domini præceptũ adimplebimus: *Oportet semper orare, & nõ deficere*; & aliud simile ambulandi semper in diuina præsentia: quod hominibus ad perfectionem aspirantibus in persona Abrahami Deus aliquando præcepit, dicens: *Ambula coram me, & esto perfectus*. Non quasi nos possimus vnquam subducere à diuino conspectu, vel tanquam, si nihil aliud facere deberemus, nisi orare, & Deum perpetuo contemplari: sed vt illius quàm sæpissimè possumus recordemur. *Sicut enim*, inquit S. Bernardus, *nullum est momentum, quo homo non vtatur, vel fruatur* Dei *bonitate, & misericordia, sic nullum debet esse momentum, quo illum præsentem non habeat in memoria: Vt non tam sæpè respirare*, (ait S. Gregorius Nazianzenus) *quàm* Dei *meminisse debeamus*. Vnde solent à quibusdam huiusmodi frequentes mentis in Deum eleuationes appellari aspirationes; non solum, quia viris valde spiritualibus ex bona consuetudine, quasi indeliberatè vsu veniunt, tanquam aspirantibus, & crebro suspirantibus ad cælestia; verum etiam quia, sicut aspiratio fit per attractionem anhelitus copiosioris ad præcordia refrigeranda, ita ex abundantia interioris feruoris, & æstu piorum desideriorum huiusmodi affectus subinde concipiuntur, & ad Deum breui, sed efficaci

Similis interpret. est S. Gregor. hom. 12. in Ezech.

Iob. 29. 20.

S. Aug. ep. 121. Cass. l. 2. c. 10.

Luca 18. 1.

Genes. 17. 1.

S. Ber. in med. cap. 6. Idem habet Hugo Vict. l. 1 de claustro animæ.

S. Naz. orat. de cura paup. præst.

ficaci oratione funduntur. *Os meum aperui*, dicebat Dauid, *& attraxi ſpiritum, quia mandata tua deſiderabam*. At vbi potiſſimum, & qua ratione cæleſtis hic ignis accendatur idem in alio Pſalmo nos docuit, dicens: *concaluit cor meum intra me; & in meditatione mea exardeſcet ignis*. Sed quemadmodum ſi benè primùm accenſo igni flammæ ſenſim deficiant, & carbonibus remanentibus quamuis non extinctis, copioſi tamen cineres ſuperfundantur; perinde talis ignis non calefacit, ac ſi eſſet extinctus: ita etiam excitata in matutina oratione deuotio, & feruor ſpiritus, ſi mundano puluere ſuperuenientium negotiorum ſtatim quodammodo obruatur, nec eo, de quo nunc agimus examine vnquam diſcutiatur, facilè intepeſcat neceſſe eſt, & ad ſubſequentia opera noſtra diurna ſic refrigeſcat, ac ſi antea in corde non exarſiſſet. *Pſal. 118. 131.* *Pſal. 38. 4.*

4 Videamus itaque magis in particulari tertium illud, quod propoſuimus, quibus de rebus fieri debeat hoc examen. Occurrunt autem quattuor præcipua rerum capita, quorum duo ad malum, alia duo ad bonum orationis ſucceſſum pertinent, vt malo repertis cauſis, remedium adhibeatur; pro bono autem gratiæ Deo referantur, & in eo magis quotidie confirmemur. Atque vt de ſingulis aliquid breuiter exponamus, primùm erũt examinandæ animi euagationes, ſiue mentis in orando diſtractiones, quæ nihil aliud ſunt, niſi priuationes quædam formalis, vt vocant, attentionis magis neceſſariæ pro oratione mentali, quam pro vocali: ſiquidem in vocali ſæpè ſufficit attentio virtualis, vt cùm quis horas canonicas mente diſtractus, ſed inuoluntariè, & nihil de illis interim prætermittendo recitauit. At in oratione mentali ſemper attentio requiritur formalis, & actualis; adeo vt quoties in illa, quamuis inuita mens noſtra patitur euagationes, toties neceſſe ſit aliquid de ſubſtantia interruptæ orationis fuiſſe detractum. Diuidit has mentis euagationes Ioannes Climachus in quattuor differẽtias: *Aliud*, inquit, *eſt orationis ſordes, aliud exterminatio, aliud furtum, aliud macula*. Deinde explicans ſingula, ſordes dicit eſſe Deo aſſiſtendo cogitationes iniquas animo volutare. Et hæ quidem in graui materia, vt ſi eſſent cogitationes impudicæ, & plena deliberatione, quod Deus auertat, admitterentur, graui primùm culpa non carerent, deinde etiam ex illa circumſtantia irreuerentiæ in orando ſpecialem contraherent deformitatem virtuti Religionis intra genus ſacrilegij aduerſantem, atque adeo talem culpam aggrauantem ſaltem venialiter, vel etiam, vt alij opinãtur, *Quibus de rebus fiat hoc examen.* *Climac. gradu 28. de or.*

morta-

mortaliter, ob exhibitam Deo in tam ſacra exercitatione grauem irreuerentiam, quod etiam ſi non planè certum habeatur, tamen ob dubium eſſet in confeſſione ſpecialiter explicandum. Sed abſint ab anima, & corde cuiuſuis, præſertim coram Deo in oratione aſtantis huiuſmodi ſordes, atque dedecora. Exterminatio ſecundum Clymachum eſt, ad curas eo tempore importunas, & inutiles ita mentem obligatam, & veluti captiuam habere, vt orandi facultas interim adempta eſſe nobis videatur: in qua ſic diſtractæ mentis euagatione, maior vel minor culpa inuenietur, pro maiori, vel minori nobis relicta huiuſmodi torpori, ac ſomnolentiæ reſiſtendi libera facultate. Furtum iuxta eundem auctorem eſt, cùm menti latenter, & furtiuè aliquid de attentione ſurripitur: quod genus diſtractionis, vel nullius, vel venialis eſt culpæ, ſiquidem vel cum nulla, vel cum imperfecta noſtra aduertentia contingit. Macula, inquit Climachus, eſt impetus diſtractionis approprians, qui proinde non ſolùm ſine culpa, ſed etiam ſi ei ſtatim reſiſtatur, poteſt eſſe cum merito. Neque propterea macula à Climacho appellatur, quod ſemper animam maculet, ſed quia oratio ſecundum ſe conſiderata inde veluti neuo aliquo videtur deformari, quamuis anima ipſa lucrum inde ſpirituale humiliationis, patientiæ, fortitudinis, & in reſiſtendo diligentiæ poterit reportare. De hoc poſtremo inſtabilis, & inquietæ noſtræ mentis incommodo auertendo, S. Ephrem apta ſimilitudine ſic admonuit: *Quemadmodum ſi quis columbam domi foueat, eademque feneſtram fortè apertam reperiat, & ex domo auolet, non virga, vel lapide eam auocare conatur, ſed ſparſis leguminum granis prudenter ſtudet allicere, atque recipere, ſic quoque multa indiget prudentia, atque experientia, qui cogitationum maculas purgare cupit*. Atque hæc eſt ratio ſuauior, & expeditior mentem euagantem ad propoſita puncta meditationis quàm primùm aduertitur ſine alia violentia reuocandi. Cætera horum ſpiritualium morborum remedia, & adiumenta propè triginta fuerunt à nobis ſuperius expoſita, vbi in libro primo tres fontes difficultatũ in oratione ſuperandarum per plura capita declarauimus. Poſt mentis euagationes erunt examinandæ cordis deſolationes, quæ in hoc diſtinguuntur ab euagationibus, & diſtractionibus, quod hæ pertinent ad intellectum, & cognitionẽ, cùm ipſius propriè ſint impedimẽta, deſolationes verò magis pertinent ad voluntatem, & affectum, cuius ſunt defectus, atque miſeriæ ſignificatæ non ſolum nomine deſolationis, ſed etiam ſterilitatis, & ariditatis. Quibus appella-

Suar. to. 2. de relig. l. 3. de or. vocali cap. 4. §. 13.

S. Ephrem de recta viuendi ratione admon. 35.

Lib. 1. à cap. 4. vſque ad 9.

pellationibus tres nobis indicantur species desolationum cum suis causis, & remedijs adhibendis, per similitudinem agrorum excolendorum. Nam horum infœcunditas ex triplici causa solet prouenire: primùm ex defectu coloni, vnde agri sine cultura, & cultoribus dicuntur desolati, & deserti. Secundò ex natura soli petrosi, vel arenosi, vt sicut in Euangelio dicitur, semen diuini verbi radices ibi mittere nequaquam possit; & id significatur nomine sterilitatis. Tertio impeditur agri fertilitas ex aëris inclementia, & sinistris cælorum influentijs: vnde olim Deus per Moysem dicebat ijs, qui eius vocem audire, & mandatis obedire neglexissent: *sit cælum, quod super te est æneum, & terra, quam calcas, ferrea*: & hoc significatur nomine siccitatis, atque ariditatis. Oportebit itaque examinatis speciebus harum desolationum, & causis intellectis, de oppositis remedijs cogitare, & serio statuere: vt de perseueranti assiduitate contra desolationes; de cultura diligentiori, contra sterilitatem; de influxibus cælestibus aduocandis, contra siccitatem, & ariditatem. Luca 8.14. Deut. 28.23.

5 Post hæc erunt examinanda alia duo capita boni successus, quorum primum pertinet ad illustrationes intellectus, & ad veritates inter meditandum cognitas, & bene perspectas, de quibus dicebat Christus Dominus in Euangelio: *Cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos*. Alterum caput amplectitur pia desideria, honestos variarum virtutum affectus, & bonæ voluntatis concepta proposita. Proderit autem non parum præcipua quædam ex his omnibus breuiter; & cum delectu in aliquo libello interdum sibi adnotare, sicut fecisse nouimus viros perfectionis studiosissimos, idemque vt alij facerent commendasse. Ita enim desideria melius examinantur, proposita magis firmantur, & post aliquod tempus recognita sæpe plus excitant, præsertim in tentationibus, vel desolationibus, quàm aliorum longissimi tractatus spirituales, sermones, aut conciones. Ampla denique materia huius examinis (quod non per modum meditationis, sed cuiusdam, vt diximus, facilis, & expeditæ reflexionis inambulando per cubiculum, aut sedendo fieri potest) erit illud totum, quod octo libris superioribus obseruandum in hoc exercitio exposuimus, & compendiosè in extremo capite libri primi sub hoc titulo continetur: de octo exequendis in exercitio internæ orationis. Quæ si à nobis executioni mandata fuisse inueniantur, & tamen optatam mentis collectionem, & expectatam deuotionem minimè nos esse expertos aduerterimus, credere debemus ob aliquam ex his quinque rationibus id acci- Ioann. 8.32. Lib. 1. c. 9.

TESTIMONIA SACRAE SCRIPTVRAE,

Quæ habentur in his octo Libris passim exposita, in sensu, siue literali, siue mystico.

VETERIS TESTAMENTI.

Ex Genesi.

Ex Exodo.

Ex Leuitico.

Ex Lib. Numerorum.

Ex Deuteronomio.

Ex Lib. 1. Regum.

Ex Lib. 2. Regum.

Ex Lib. 3. Regum.

Ex Lib. 4. Regum.

Ex Lib. 1. Paralip.

Ex Lib. 2. Paralip.

Ex Lib. 1. Esdræ.

Ex Tobia.

Ex Iudith.

Ex Esther.

Quid

Ex Iob.

quanto

Ex Psalmis.

Ego

Defe-

Ex Prouerbijs.

Hi

Ex Ecclesiastico.

Ex Isaia.

Et

Ex Ieremiæ prophetia.

Ex Ieremiæ Lament.

Ex Baruch.

Ex Ezechiele.

Ex Daniele.

21 Vbi

Ex S. Marco.

Et re-

Ex S. Luca.

Ego

Ex Actis Apostolicis.

Ex Epistola ad Romanos.

Ex Epistola prima ad Corinthios.

Ex Epistola secunda ad Corinthios.

12 2 *Siue*

Ex Epistola ad Galatas.

Ex Epistola ad Ephesios.

Ex Epistola ad Philippenses.

nam

Ex Epistola ad Colossenses.

Ex Epistola ad Tessalon. 1.

Ex Epist. prima ad Timotheum.

Ex Epist. secunda ad Timoth.

Ex Epistola ad Titum.

Ex Epistola ad Hebræos.

Ex Epist. S. Iacobi.

Ex Epist. S. Petri 1.

Ex Epist. S. Petri 2.

Ex Epist. S. Ioannis 1.

Ex Apocalypsi.

Finis Testimoniorum Sacræ Scripturæ.

INDEX RERVM, ET VERBORVM.

Numerus paginam; p, principium; m, medium, f, finem paginæ significat.

INDEX RERVM.

S. Bar-

B

C

Contem-

D

Lampa-

Gratum

P

Pecca-

Sapien-

T

Tuæ

FINIS.

pagina	*versu*	*errata*	*sic corrige.*
6	13	Baræ	Barac
19	21	tre	tres
32	29	tamen	tandem
50	12	omniputente	omnipotente
65	1	sub imagine	ab imagine
65	1	alias	alius.
115	5	apprehendi	apprehendendi.
261	20	diunctionem	coniunctionem
261	23	coniunctionem	cogitationem
279	14	vt homines	cur homines
427	25	mortaliter	moraliter.

Alia errata minutiora huic primo typographico labori lector beneuolus condonabit.

REGESTVM.

a A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt.

Omnes sunt quaterniones, præter a, & Tt, terniones; & Oo, Pp, Qq, Rr, Sſ, duerniones.

ROMAE, Apud Hæredem Bartholomæi Zannetti. 1622.

SVPERIORVM PERMISSV.